Tim: Neve A.M.

C. C. C. OXON.

Tim: Neve A.M.

C. C. C. OXON.

1360 e 22
~~1388 g 21.~~

Arndt (J.)
1360. K. 22
R

Joannis Arndtii THEOLOGI APUD Germanos celeberrimi, ac Superintendentis quondam in Ducatu Lunæburgico meritissimi, DE *Vero Christianismo* LIBRI QUATUOR:

Ob præstantiam suam olim latine redditi; nunc autem revisi ac emendati, cura & studio

Antonii Wilhelmi Boemi.

Accedit huic Editioni

NOVA PRÆFATIO DE *Vita & Scriptis Arndtianis.*

TOMUS I.

LONDINI:
Apud *J. Downing* in vico vulgo dicto *Bartholomew-Close*, prope *Smithfield*, MDCCVIII.

BRITISH MUSEUM

Sereniſſimo & Celſiſſimo

PRINCIPI ac DOMINO,

Domino GEORGIO,

PRINCIPI HÆREDITARIO
Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum & Gothorum;

DUCI
Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæ & Cumbriæ;

COMITI in
Oldenburg, Delmenhorſt & Kendale;

BARONI de
Wockengham, *&c.*

Summo Copiarum Britannicarum Terra Marique Præfecto;

Principi & Domino meo Clementiſſimo;

A JESU REGUM PRINCIPE IN TERRIS
Omnigenam Beatitatem adprecor.

SERE-

Serenissime atque Celsissime

PRINCEPS;

DOMINE,

DOMINE CLEMENTISSIME.

UT in rebus omnibus quas tractamus, ita speciatim in dedicandis libris, varii respectus hominum animos occupare solent. Unus hunc, alius illum scopum sibi habet præfixum. Diversa quippe Principia, quibus regimur mortales, ad diversos pariter fines tendunt. De meo si quæratur FINE in præfigendo *SERENITATIS*

TIS TVÆ Nomine (libertate audendi hoc, indulgentiſſime conceſſa) libris hiſce *Arndtianis* Britannico ſub ſole nunc prodeuntibus, ſubmiſſe pariter ac libere fateor, eo me fuiſſe conniſum, ut a profanis quibuſvis vaniſque auctoramentis, vacuus eſſet animus; ne de *Vero Chriſtianiſmo* librum edens, in ipſum *Chriſtianiſmum* peccare videar. Hinc vel tremendum *VERI CHRISTIANSMI* Nomen (quem Titulum in fronte gerit liber) animum ſubinde admonuit, ſancta manu ac mente ſanctum tractare opus, ne profana ipſi ſanctuario inferendo, duplicis judicii reus fiam.

Hic vero, *SERENISSIME PRINCEPS*, ſcopus fuit, hic finis, hæc inſtituti ratio, ut memoriam libri tot animarum converſione (qui ſane divinus character eſt,) inſignis, & *SERENITATI TVÆ* de meliori jam antehac noti, tantum nova hac *Editione* innovarem, & commendata ſedula ejus lectione, ad *vivam Chriſtianiſmi praxin* ulterius proſequendam, utpote quæ utramque ibi paginam implet, recens quoſdam ſtimulos adjicerem. Quis enim non cum plauſu admiretur, ſi Veri Chriſtianiſmi cum illuſtri proſapia conjunctionem videat, & hanc ab illo exornari, illuſtrari & coronari animadvertat? Quanto enim terra fertilior eſt, tanto pejor fit neglectu, non niſi malorum fructuum ubertate luxurians: Et quo ſublimius hominis in hoc mundo genus eſt, eo

eo magis malorum ferax evadit, si veræ pietatis vel christianismi cultura deficiat.

Sicut autem ubique sterile est virtutibus hoc seculum, ita *verus Christianismus* ex interno divinæ vitæ principio ac fonte derivatus, in plerorumque *REGUM* ac *PRINCIPUM* animis, eousque videtur extinctus, ut præter inanem quandam honestatis larvam & splendidum orthodoxiæ titulum, vix illis quicquam supersit. Hinc si ex tali gregè animam servare suam quis voluerit, ei certe subsidia gratiæ cœlitus oblata, magno & præsenti animo sunt arripienda, ne divinæ Sapientiæ labor & ad altiora invitatio, dum foris recantat & in plateis vocem edit, omnibus salutis pandens viam, irrita elabatur.

Ardui momenti res *VERITAS* sit oportet, non nisi ab Omnipotenti DEI Filio in terris instauranda! Quippe qui humanam induit naturam, ut Veritatem deplorando *Adami* lapsu amissam, recuperaret, & pulsis mendacii tenebris, pristino nitori ac integritati restitueret. Hæc nimirum *VERITAS*, ipsa est *DEI IMAGO*, in interiori mentis recessu denuo reparanda. Dico in *interiori recessu*: Non enim delectatur Dominus *VERITATIS* quadam specie externe assumpta, utpote quæ non nisi mentita Veritatis figura est; sed Veritate in ipsis præcordiis

cordiis fixum quasi locum occupante, & omnes mentis facultates divinæ lucis viribus collustrante. Neque hic sufficit altiori Veritatis sensu tangi nonnunquam atque percelli; sed convictio ipsam etiam Veritatis energian comitem habeat, quæ ita se exserit, ut abjectis vanis quibusvis ac *falsis* de Christianismo notionibus, (quæ Veritatis larvam induentes, sub ea miseris mortalibus imponunt) ad ipsam solidam Veritatem ejusque fruitionem seu gustum, adspiret animus. Hæc quo altius in nos descendit Veritas, eo impensius placet, eo minus molestiæ, minus laboris habere, deprehenditur.

Hæc autem Veritatis Lux, dum intus accenditur, non potest non radios suos per omnes dein animæ potentias ac totius vitæ habitum, diffundere. Cujusmodi exempla subinde Scriptura recitat, eorum qui *in Veritate ambularunt*. Et ipsa essentialis *VERITAS* orat Patrem, ut sui cultores Veritatem non modo agnoscant, sed in Veritate etiam *sanctificentur*. Nam hujus Veritatis tanta est efficacia, ut *Voluntas*, excusso vanitatis dominio, Veritatis dictamini morem gerat; *Intellectus* divina luce, quam de se fundit Veritas, suaviter demulceatur; *Memoria* autem, quæ falsarum idearum receptaculum antea erat, solidioris cognitionis thesauro instruatur. Ut nihil de externa jam *Conversatione* dicam

cam, quæ Veritate intus radices agente, eandem etiam ſpiret; nihil de *Verbis*, quæ Veritatem ſapiant; nihil de *Moribus*, qui Veritatem animo prius impreſſam, externo actu habituque deinceps exprimant.

SERENISSIME PRINCEPS;

Regia certe virtus divina hæc *VERITAS* eſt, & anima quaſi reliquarum omnium. Margarita eſt in agro abſcondita, propter quam autem omnia ſunt vendenda, ut Servator monet. Eſt *UNICUM* illud neceſſarium tantopere a Domino commendatum. Certe quæ hinc promanant Bona, vera ſunt, ſolida & conſtanter duratura. Quæ autem extra hunc Veritatis ambitum, h. e. extra ipſum *CHRISTUM* ſunt, tot ſunt fortunæ ludibria; quæ licet *Bona* vulgus appellet, huc tamen atque illuc in ancipiti hac rerum mutatione jactantur, ſiquidem ea ſolummodo permanent, quæ in Veritate peraguntur. Noſti hoc *SERENISSIME PRINCEPS*, nec ſine experientia didiciſti, conſtantius nihil eſſe in hoc ſeculo, vago illo rerum humanarum fluxu & refluxu. Niſi hic mentem divina Veritas regat & ſolidiori futurorum cognitione imbuat, miſerum in modum naviculæ inſtar, in impetuoſo ſeculi mari concutietur.

Cum ergo hic liber *VERI CHRISTIANISMI* Titulum jure poſſideat, hominis autem, etiam ſummi, beati-

tas

tas non niſi in viva Veritatis cognitione ponenda ſit, eum *SERENITATI TUÆ REGIÆ*, cui fauſta quæque & beata ex animo adprecor, inſcribere non dubitavi. Venerabile ſemper *ARNDTII* nomen in Proteſtantium Eccleſia fuit. Ut autem elapſo ſeculo ſtrenuus contra *falſum Chriſtianiſmum* teſtis fuit, ita etiamnum, licet mortuus, loqui minime ceſſat. Melius vero interdum eſt, cum mortuis converſari doctoribus, quam cum vivis. Ut enim hi variis tentationibus afflicti, facile in *Verum Chriſtianiſmum* impingere poſſunt; ita illi, mortalium rebus exemti, ſine humanæ infirmitatis nebulis, liberam Veritatis lucem ſpargunt.

Faxit Deus pro infinito ſuo amore, ut *CELSITUDO TUA REGIA* in medio hoc judiciorum Dei ſtrepitu, quo humanæ res turbantur, ſolidioris Veritatis guſtu, magis magiſque afficiatur; quippe quæ ſemel guſtata, mentis acuit famem, & cœleſtium ſitim magis inflammat. Benedicat idem *AUGUSTÆ ANNÆ, CONJUGIS INCLITISSIMÆ* ſceptro, uberrime! Emittat e ſanctis cœlis, throno inquam gloriæ ſuæ, divinam ſapientiam, ut præſens verſetur cum ea in labore! Ducat eam in actionibus ſuis *modeſte*, (quæ Salomonis erat oratio *Sap.* IX, 9, 10, 11.) & cum timidæ ſint & inſtabiles mortalium ratiocinationes, divinæ

vinæ eam circundet veritatis munimento, ut VERITATEM quæ in JESU est, amans ac propagans, in hoc SEMPER EADEM permaneat!

SERENITATIS TUÆ REGIÆ

Ad humillima precum

Scribeb. Londini d. 14. Jul. MDCCVIII.

Et obsequiorum studia,

Devotissimus servus

Anton. Wilhelm. Boemus.

J. O.

PRÆFATIO
DE
VITA & SCRIPTIS ARNDTIANIS.

QUI pio*rum hominum* Vitas *ſcribunt, operam ſuam nec inutiliter inſumunt, nec male de Eccleſia & pietatis ſtudio merentur. Cum enim veri Chriſtiani vita & continua contra peccatum ſit* pugna, *& jugis ad alteram vitam* migratio, *non poteſt non eſſe gratum, quicquid nonnihil confert ad utriuſque difficultates feliciter ſuperandas.* Quod ſi certet etiam aliquis, non tamen coronatur, niſi legitime certaverit, *aſſerente Apoſtolo* 2 Tim. II, 5. *Et ſi quis vel maxime in viam ſe det, ad exoptatum tamen* ſcopum *haud quaquam perveniet, niſi indefeſſo conatu cœptum perſequatur iter, & via moleſtias, temporis injurias, caloris frigoriſque incommoda aliaſque viatoribus obvias difficultates, ἀτοπίας ac defatigationes promptus ſubeat, illiſque omnibus impigre defungatur.*

§. 2. *Quis vero viator non grato animo acceperit, ſi a prætereunte vel verbulo de viæ errore, vel inde latronum imminentium periculo, loci ad quem tendit, diſtantia, aliiſque itineris circumſtantiis*

ſtantiis fuerit edoctus? Aut ſi athletam intueri mavis, quis tam hardus erit ſtupiduſque, qui jamjam in arenam deſcenſurus, amici conſilia rejiciat, quibus vel de adverſarii ſtratagematibus artibuſque, vel ejuſdem fortitudine & inſultandi violentia, vel de ſui corporis parte minus armata, & magis expoſita; vel de vulnerum infligendorum aut cautela, aut inflictorum medela, vel id genus aliis certanti evenire ſolitis, fideliter fuerit admonitus? Qui ſic omnes feriendi cogitaverit artes, eo melius defenſionis rationem præmeditari poterit & imminentia evitare pericula, ut hoc tandem modo legitime certare diſcat.

§. 3. *Ampliori hæc non indigent deductione. Hoc unum modo nunc dicimus, quod eadem ratio ſit in* ſpirituali *tam* certamine, *quam* itinere: *Niſi quod pericula hic ſuboriantur majora, ſtratagemata ſe offerant longe ſecretiora, vulnera infligantur magis lethalia, non niſi divina virtute ſananda. Errores pariter quibus inficiuntur cœli viatores, modo aperta vi & quaſi agmine facto, irruunt; modo ſub pietatis ſpecie & velamine quodam hypocritico ſerpunt irrepuntque. Alii* voluntatem *ad mundi amorem alliciunt. Alii* intellectum *tentant. Alii* phantaſiam *variis peccatorum imaginibus commaculant. Alii* memoriam *fœdant & conſpurcant. Alii* affectus *ſeculi moribus conformes efficiunt. Alii ſubjugatis nobilioribus facultatibus, inferiores* corporis *regiones occupant, & in iis pro lubitu dominantur. Alii non tam corpus, ſeu regiones illas magis obviam quam* ſpiritum *hominis ipſum, & ditiones magis ſpirituales, & ab oculo corporeo remotas, invadunt. Omnes hi errores, quanti & qualeſcunque tandem ſint, diverſi quidem ſunt, & diverſis effectibus ſe produnt & cognoſcuntur, ex uno tamen eodemque corruptionis fonte propullulant, & ex pravo ſemine intus hærente,* (Marc. VII, 21.)

naſcun-

nascuntur. Sicut enim unica saltem est VERITAS, *quæ per totum lucis Regnum & universum spiritualis vitæ ambitum sese diffundit, licet juxta varios, qui hinc prodeunt actus, varia dein sortiatur nomina: Ita etiam unicum saltem est* MENDACIUM, *cujus effectus ut longe lateque se velut expandunt, ita pro variis quibus exumpit, modis, & secundum* facultates, *quas præcipue afficit,* (Gal. V, 19.) *diversa etiam accipit nomina.*

§. 4. *Non est autem nobis propositum, jam singulatim hæc persequi, sed pericula, quæ spiritualem viam & pugnam ingredienti obversantur, levi saltem digito subindicare. Enimvero, quis hic non prædicaverit sanctorum animas, post varios casus, tentamina certaminaque, in quietiorem regionem translatas? Et quis tam stupido hebetique est animo, quin in illorum exempla intuens, amoris cujusdam cœlestis igniculos, in se sufflari sentiat, atque ad sanctorum vestigia sequenda se exstimulari? Quare operæ pretium fore arbitratus sum, vitam, fata scriptaque* Joannis Arndtii, *Theologi inter Germanos tam cum viveret, quam post mortem ejus celeberrimi, breviter delineare; spe fretus, fore, ut Christiani lectores fructum inde aliquem forte non exiguum, in curriculo cuivis proposito, percipiant.*

§. 5. JOANNES ARNDTIUS, Ducatus *quondam* Lunæburgici, Superintendens Generalis, *natus est* Ballenstadii *in Principatu* Anhaltino, *Anno* 1555 *Patre* Jacobo, *Principi* Wolfgango *a sacris. Postquam prima literarum rudimenta in scholis hauserat, & ad paulo altiora jam tenderet, studii medici amore præ aliis captus, in illud magno animi nisu cœpit incumbere; morbo tamen (non sine singulari Dei providentia, ut mox clarius patescet,) satis periculoso implicatus, voto* *Arndtii patria,* *Afflictio,*

se obstrinxit, missō medico, ad sacrum Theologiæ studium animum posthac applicare, si divinā gratiā morbo ereptus, recuperatis viribus, denuo studiis invigilare liceret. Sic sæpius accidere solet, ut viri ad majora nati, variis calamitatibus ad sublimiora paulatim præparentur. Ubi Lutheri *exemplum memoratu dignum, qui partim* Alexii *intimioris amici subitanea morte, partim fulminis vehementi ictu, in itinere perterrefactus intusque commotus, mundo valedicere,* h. e. *in monasterium secessum meditari cœpit; in monasteriis si non unice, præcipue tamen, pietatis studium coli, extra illorum vero cancellos boni vix quippiam præstari posse, pro illius temporis ratione, supponens. Sed ad* Arndtium, *cujus* Vocatio *ad Ministerium & persecutiones, quas in eodem pertulit, describendæ veniunt.*

Vocatio,

§. 6. *Postquam Academicis studiis imbutus esset* Arndtius, *& aliquot Universitates,* Helmstadium *puta,* Wittebergam, Basileam *& Argentoratum intervisisset, obtigit illi* 1583 *vocatio ad munus Ecclesiasticum in patria gerendum. Citò tamen varii contra illum motus concitari cœperunt ab alius cujusdam partis (quæ tunc ibi plus valebat,) hominibus rigidioribus. Quorum sane conatibus ac machinis (ajunt* Prædestinationis *controversiam agitatam fuisse, & universalem gratiam contra adversæ partis patronos ab* Arndtio *assertam,) in tantas tandem angustias* Arndtius *redigebatur, ut patrio solo ac Ecclesiæ, cui per septem annos serviverat, pulsus, cum familia alio migrare teneretur.*

Persecutio.

Vocatur Quedlinburgum.

§. 7. *Vix natale solum, acerbioribus controversiis involutum, reliquerat* Arndtius, *dum alia ipsi offertur Vocatio ad pastoratum* Quedlinburgi, *quæ inferioris* Saxoniæ *urbs est, obeundum. Hoc per novem annos fideliter administrata, ac* Arndtii *nomine ac pietatis studio, quo eminebat,*

minebat, *jam latius divulgato*, Brunſuicum de- Brunſui-
num *ann.* 1599 *vocatur ad ſacra Eccleſiæ Mar-* cum.
tino *dicata, moderanda. Magno hic ardore,*
ſed perſecutionibus non minoribus, cauſam Dei
egit Arndtius. *Hæc autem hic verba Præfa-*
tionis Germanicæ, quam anonymus Autor præ-
fixit Editioni, quæ Rigæ *in* Livonia *magno ſtudio*
anno 1679 *publicum eſt, exprimere malumus: Cum*
Beatus auctor Brunſuicii, *talento divinitus ſibi*
conceſſo, Chriſto Domino ſuo animas lucrari cœ-
piſſet, ipſique fideliter inſervire, Domino ſub-
inde conatus illius ita ſecundante, ut Verbum
vim ſuam ac potentiam vividâ animarum con-
victione exereret; aliqui Eccleſiaſtici ordinis ho- Zelus.
mines (à propria conſcientia convicti, quod ſi
Arndtius *veram Domini viam doceret, cul-*
pandos ſe eſſe merito, & multorum in ſubeun-
do officio defectuum, reos agendos) ægre hunt
Arndtii *zelum animo ferebant. Ne itaque*
illorum hypocriſis nimium appareret, optimum
fore arbitrabantur, ſi unum vel alterum hæreſin
affricarent Collegæ, & ita Arndtianæ *famæ*
diſpendio, ſuam reſarcirent, aliosque ab Arnd-
tianæ *doctrinæ amore abſterrerent. Antiqua*
ſane procedendi methodus! qua ipſi olim Pha-
riſæi, adverſus Chriſtum utebantur. Nec omit-
tebant reipſa efficere, quæ animo conceperant.
Quamobrem aliis ſiniſtras haſce contra Arnd-
tium *ſuſpiciones nulla non occaſione, ſecretim* Perſecu-
tamen, inſpirabant: Exhortabantur alios, ut ab tio.
Arndtii *doctrina, velut veneno quodam, ſibi ca-*
verent. Et ſane, qui ſalutis negotium ut par-
ergon, ſeu leviuſculi momenti rem tractabant,
fidelem hanc (ut putabant) admonitionem am-
babus amplectebantur, & vigilantiſſimorum (ita
enim volebant videri,) horum Paſtorum veſtigia
acrius jam ſequentes, Arndtii *doctrinas, utpote*

palato

" *palato sibi relicto non admodum gratas, ultro*
" *fastidiebant.*

§. 8. " *Hæc cum secretius paulo egissent, &*
" *viam ad molienda majora sibi parassent* Arndti-
" anæ *vitæ & doctrinæ inimici, e re sua fore cre-*
" *debant, si ex publico etiam ambone, ut canes*
" *non muti,* Arndtii *doctrinas proscriberent, & sub*
" *hoc hypocritico orthodoxæ doctrinæ velamine, de*
" *molesta hac veritate ejusque propagatore strenuo,*
" *vindictam sumerent, naturali mentis æstui non*
" *injucundam. Cujus rei in Epistola valedictoria*
" *ad Consules* Brunsuicenses *exarata, & in su-*
" *pra laudata* Præfatione *adducta, ipse meminit*
" Arndtius, *cujus verba huc redeunt:*

Velim consideretis dignissimi viri, quid sit, coram tota Ecclesia hæreseos aliquem insimulare, *fanaticismi* reum agere, & quælibet ejus facta & dicta, velut totidem nugas & deliramenta explodere, immo, ut indoctum & brutum pecus, Theologiæ prorsus ignarum, prostituere aliquem, & falsæ doctrinæ suspicione oneratum, aliorum contra eum animos occupare; cum tamen puriorem doctrinam, non sine corporis bonorumque discrimine, nec sine honore, in publicis etiam persecutionibus, masculè confessus sim & tutatus. Et, ut quod res est, coram Deo & Vobis, dignissimi viri, dicam, fateor, duram, quam antea subii persecutionem, & ex dilecta mea patria, *Anhaltino* Principatu expulsionem, me longe minori animi afflictione, quam hanc, pertulisse. Ita ut vel mortem ipsam facile hinc arcessere potuissem, nisi JESU CHRISTI Domini me exemplum, & dilectorum ejus Apostolorum me erexisset, *&c. Sed de his postea commodiori dicendi erit locus. Illud tantum adjicimus,* Arndtium *ex hoc persecutionum æstu* (*unde se effugere & ereptare optasse scribit,* si fieri potuisset

mani-

manibus pedibusque ad locum, licet pauperculum,) *tandem anno* 1608 *divina providentia fuisse eluctatum.* Islebium *enim in patriam* Lutheri *evocatus, provinciam oblatam amplexus est, & per tres fere annos, Evangelii verbo gregem sibi inibi commissum, fidelissime pavit.* *Vocatio Islebium.*

§. 9. *Per varia hæc fata & naturali homini sat gravia, ad altiora* Arndtium *præparatum esse, non sine ratione quis conjecerit. Veritates enim, quæ sub crucis exercitio perdiscuntur, animum altius, quam quisque putasset, penetrant, ac propterea efficaciori etiam modo cum aliis suo tempore communicantur. Et dum ex fonte spiritualis vitæ interno scaturiunt, latius etiam sese diffundunt, interioresque animæ facultates vivide magis afficiunt. Cujus rei exemplum in* Arndtio *conspicere licet, quippe qui Anno* 1611, *postquam tres* Islebii *transegerat annos, per* Georgium *Ducem* Lunæburgensem, *pietatis* Arndtianæ *fama fortasse motum, ad pastoratum* Cellensem, *ac supremam seu generalissimam, ut vocant, Ecclesiarum* Lunæburgicarum *ephoriam, postulabatur. Cui vocationi morem gerens, latiorem campum uberioremque animarum segetem ingrediebatur, & Deo annuente, sub Principis tutela, per* undecim *annos, quibus huic provinciæ præerat, genuinam & minime fucatam pietatem exemplo pariter ac doctrina, sedulo inculcabat. Hæc generatim de Ecclesiastico* Arndtii *munere, quod in diversis locis variisque sub adversitatibus subiit, dixisse sufficiat. Cui nonnulla de* Controversiis *contra* Arndtium *excitatis, subjiciamus.* *Ad ephoriam Ecclesiarum Lunæburgicarum.*

§. 10. *Ut ratio tot controversiarum, quæ contra beatum virum tam graviter agitabantur, eo clarius perspiciatur, placet ad certa illas referre capita. Primum se offert de* Fide salvifica *doctrina, in qua non unius erroris* Arndtium *postulabant acriores ipsius antagonistæ. Videbat* *Castigat errores circa Fidem.*

beatus

beatus Autor, si unquam ullam, certe hanc de-
ctrinam de Fide justificante tractationem (si manca
sit & imperfecta, ut sæpe proponi solet,) innume-
ros in Ecclesia errores peperisse & abusus. Im-
perfectam dico de Justificatione tractationem, si
quis imputativam Christi justitiam magno fer-
vore stabiliat adstruatque; illum autem ordinem
& dispensationem, quæ hanc partim præcedit, (&
in tristitia ac sincera, quæ juxta Deum est,
ut aiunt, contritione consistit,) partim vero subsequitur, uber-
rimis fidei fructibus & renovatione conspicua, vel
plane non, vel levi saltem digito attingat. Unde
omnino non potest non sequi perniciosissima malorum
& errorum lerna, quæ in hunc usque diem de-
plorandum in modum Ecclesias pervasit. Hinc
enim est, quod multi juxta carruptam carnis in-
dolem adhuc viventes, manibus (quod ajunt) illo-
tis, in ipsum Christi meritum, satisfactionem, &
reliquas sancti ac sane tremendi ejus officii partes
involent, veteremque Adamum vano salamine, de
humana quadam ac suo ingenio conficta imputatio-
ne petito, demulceant; Meritum Christi ore ja-
ctantes, vivificam autem ejus virtutem negligentes,
in eo sitam, ut anima ex peccatorum morte re-
suscitata, nova plane ac supernaturali vita, quæ
ex DEO est, principio, intus instruatur & cœlitus
armetur. Quam quidem virtutem regni Dei igno-
rant, qui fervido, sed cæco impetu, neglecto or-
dine divino, in mortem Christi & resurrectionem
ruunt; fidem ipsi concipientes ex suis humanis
viribus, quæ nulla est, omnique virtute & fructu
divini spiritus, cujus aliaqui illa opus esse debebat,
destituta.

§. 11. Perspiciebat inquam hoc beatus Autor,
& medicam manum negotio huic adhibiturus, sum-
mo studio id agebat, ut pravam hanc, mancam
& periculosam docendi methodum, expurgaret, &
quemlibet credendorum articulum sua integritati

puri-

puritati & nitori, quo divinitus coruſcat, reſti-
tueret. Hinc primo ſtatim de Vero Chriſtia-
niſmo libro (qui anno 1605 dum Brunſuicenſi
Eccleſiæ præeſſet, lucem adſpiciebat,) profundita-
tem lapsûs noſtri, qui in Adamo contigit, incul-
cat, (vid. cap. II. & XLI.) animamque dein
per veræ humiliationis, contritionis, mortificationis
& pœnitentiæ viam, ab errore & peccati amore
revocans, (vid. capp. IV, VIII, XV, XVI, &c.)
Chriſto adducere allaborat, ut vivâ fide ipſi uni-
ta, in & ex eo divinæ naturæ, in Adamo amiſ-
ſæ, beneficio Juſtificationis & omnium quæ hinc
promanant, bonorum ſpiritualium, particeps iterum
reddatur. Hoc autem cum ex parte hominis FIDE
fiat, hanc ardui momenti opus eſſe, vel ultro pa-
teſcit. Cum enim animam e tenebrarum regno,
in regnum lucis transferat, non humanæ Rationis,
vel humani mere Intellectus, ſed ipſius Dei opus
ſit oportet. Quod porro capp. V, IX, XXXIX
luculenter demonſtrat, fideique in anima divinam
energiam, fructus & conſequentia alia, uberius
explanat.

Ordinem ſalutis inculcat.

§. 12. Cum omni ſtudio ac dexteritate doceret
hæc Arndtius, & in hoc a communi docendi me-
thodo, (ſcholaſtica nimirum, ſuperficiaria &
ſterili) recederet, diverſos hinc vidit effectus.
Erat miſera tunc temporis tam Eccleſiaſtici,
quam politici ſtatus in Germania, facies. Bella
inteſtina circa ann. 1617 ingruentia, ſtatum pub-
licum turbabant; res vero eccleſiaſticæ variis
Theologorum diſſidiis ac ſcriptis eriſticis, ſeu ut
vocant polemicis, concutiebantur. Communis in
ſcholis & academiis docendi methodus, utut ali-
quantiſper emendari cœpta, magis magiſque in an-
tiquum illum ſcholaſticorum morem iterum dege-
nerabat, adeo ut innumeris controverſiis reſona-
rent ubique cathedræ. Hinc de Eriſtica Theolo-

Ejus de Theologia polemica querelæ.

gia tam graves querelas ab Arndtio *ſubinde fuſas, in hoc de* Chriſtianiſmo *libro deprehendet lector. Quod malum autem vivis coloribus uberius depinxit in Præfatione,* Theologiæ Germanicæ *ab ipſo olim præmiſſa & ad finem latinæ hujus de* Chriſtianiſmo *editionis, adjecta.*

§. 13. *Cum ita vanam de* Fide *ſterili &* Juſtificatione *imaginationem, tam ore, quam calamo proſterneret* Arndtius, *eamque ut immane quoddam Idolum mortalium corda occupans, adoraretur, nonnulli hanc maximi momenti rem altius penſitantes, divinos ex hac veritate aculeos in ſe ſentiebant, & eandem cum* Arndtio *docendi viam ingrediebantur. Alii vero, fortaſſe* ventris *potius, quam* pectoris *curam gerentes, (ut* Hieronymus *de nonnullis ſui temporis hominibus, loquitur)* Arndtii *doctrinam hæreſeos macula conſpurcare annitebantur. Hinc* operoſa Fides *& per charitatem efficax, quam autor ex Scriptura & ipſo Reformationis opere per* Lutherum *cæpto, tanto zelo urgebat,* Papiſmo *patrocinari, illis videbatur. Commune ſane Diaboli ſtratagema, quo miſeri mortales, (ſi qui non divino, ſed terreno ſenſu, divina metiantur,) ſe facile ſinunt abripi, ita ut optimæ veritates ſub hæreſeos larva oculo variis præjudiciis laboranti, appareant. Huc itaque tendunt omnes conatus* Arndtii, *hoc volunt omnia ejus ſcripta, ſpeciatim hi, quos præ manibus habemus, de* Vero Chriſtianiſmo *libri*; Fidem *puta* divino ſplendore & energia pollentem tradere, & integritati ſuæ reſtituere, *quæ inanibus quibuſdam diſputatorum contentionibus, quales hodienum obſervare licet, obſcurata & diminuta erat. Hujus rei optimus teſtis eſt* Daniel Dilgerus, *Dantiſcanus Paſtor, in epiſtola ad autorem noſtrum* d. 12 *Aug.* 1620 *data*:

Hæreſeos ſtigmate notatur.

data: (a) " *Homines*, inquit, *hujus exulcerati seculi ad veram pietatem non exemplâ magis tuo, quam quasi imperio excitas, impellis, adigis, dum libros de* Vero Christianismo, *edis. Vis, dicam, venerande Vir, quod sentiam; multis sepe lachrymis deploravi præsentis seculi mores, in quo non solum quisque sibi religionem fingit, refingit; sed & illi, qui veræ religionis se socios esse gloriantur, ita vivunt, ut vita ab ethnicis, Deum ignorantibus, discerni non possit! Solo nomine gaudent, quod* Lutherani *nominantur &* Christiani; *quomodo autem quadantenus saltem, quantum possibile, exemplaris vestigiis Christi insistendum sit, nemo curat. Ecclesiæ doctores fere omnes, certe præcipuos, disputandi, & plusquam muliebris rixandi, calumniandi, traducendi, tenet libido & maxonibus, ac probe se suo munere defunctos putant,* NB. *si saltem fidem salvificam in meritum, & sanguinem Christi secundum nudum sonum & literalem sensum auditoribus inculcent; licet non explicent naturam veræ fidei, licet etiam non vere bona opera & fructus fidei necessarios, tanto conatu & ardore à Spiritu sancto commendatos, ab auditoribus exigant. Auditores eodem spiritu aguntur, & sic labiali sua & imaginariâ fide, vel ut* Lutherus *noster loquitur, fide sua fictitiâ pereunt; atque sic non utilem, sed futilem laborem Ecclesiæ Dei collocant. Hos omnes, venerande Vir, cum tu in rectam viam revocas, unicumque hoc agis, ut de veræ salvifica fide, omnes recte instituantur, quis tam sanctissimi propositi, & tam præclarissimorum laborum non approbator esset?*" Ita sane apparet, *mortua Papistarum* opera *a*

Ab aliis laudatur.

(a) *Vid.* Spener. *Hist. Pietism.* §. 9. *occasione* Croes. *Hist. Quaker. edita.*

Luthero *fuisse rejecta, παννυχία vero serpentis, qui nunquam non hominum saluti insidias struit, mortuam* fidem, *in ipsam Protestantium docendi praxin semel immissam, nimis ubique locorum obtinere.*

§. 14. *Sed ad aliam properamus causam, quæ varias* Arndtio *peperit lites & persecutiones. Et hæc est* Enthusiasmi & Fanaticismi nota *bono viro per calumniam impacta. Non est meum, uberius hic discutere, quid forte* Enthusiasmi, *& quid* Fanaticismi *nomine veniat.* Enthusiasmum *sanioribus temporibus, primitivis puta, sanam obtinuisse significationem, e Patrum Græcorum scriptis satis liquet. Denotabat enim sanctum animi habitum, quo virtutes Dei illuminante Spiritus S. gratia per verbum, vivo & efficaci sensu percipiuntur, ita ut homo Deo plane sit deditus, addictus & consecratus. Sed quid non facit corrupti seculi mos, quo vocabula pro lubitu finguntur, ac refinguntur, ut jam rectam, jam vero sinistram notionem flexibili hominum menti imprimant? Cum enim aliqui rem in se bonam ad malum detorquent usum, vocabula etiam ipsa, quibus res exprimitur, temporis tractu a* genuina *degenerant significatione. Et sicut olim pura coruscabant luce, ita mox abusu & seculi vitio polluta, jam fatui ignis instar, ejus sequaces a veritatis tramite longius deducunt. Hinc si* Enthusiastam *jam dixeris, quilibet fere in sequiorem vocis sensum intentus, nihil aliud, quam hominem vanæ mentis deliriis immersum, & sub magno eoque sancto prætextu, rejecto mediorum gratiæ usu, magnas inanitates molientem, intelligit. Sic vox in se sana, nonnullorum vitio & abusu, non modo odiosa est reddita, sed & alios, quantumvis innocentes, ludibrio hominum & contemtui exponendi, infelix organon seu instrumentum. Occasio vero, quam* Arndtii *inimici huic calumniæ prætexebant, paulo jam altius hic erit repetenda.* §. 15.

Enthusiasmi reus agitur.

§. 15. *Circa idem fere tempus, quo* Arndtii de Christianismo *opus innotuit, varia pariter diversorum hominum prodibant scripta, hinc inde ab academicis doctoribus ut* Enthusiastica *& fanatica, magno zelo confutata. In horum censum cumprimis venit* Valentinus Weigelius, *quondam* Tzschopæ *in Misnia pastor &* 1588 *ibidem mortuus. Hujus* conciones *in pericopas Evangeliorum dominicalium, anno* 1611 *& demum* 1618 *una cum multis aliis, in lucem emittebantur. Quot vero errorum hic vir postmodum fuerit postulatus, enumerare hic nimis foret prolixum. Differunt de ee doctorum sententia, & qui æquius judicare videntur, inter alias rationes hanc afferunt, quod Ecclesiarum Misnicarum moderatores* Weigelium *ad ultimam vitæ suæ horam non modo in munere hoc toleraverint,* (b) *sed magno etiam in honore, ut virum* Theodidactum, *& egregiis donis conspicuum, habuerint. Quicquid autem sit,* Weigelii *libri (sive ab ipso fuerint conscripti, vel sub ipsius nomine, ut conjiciunt quidam, evulgati,) magnos ubique ciebant contra autorem animorum motus, ita, ut quicquid postea dictionem* Weigelianam *vel tantillum saperet, vel ipsius principiis videretur accedere, magno impetu proscriptum fuerit, & ex templis & academiis eliminatum.*

Occasio hujus rei.

Weigelii scripta.

§. 16. *Circa annum* 1614 *alia quædam Societas in* Germania *emergebat, quæ sub fratrum* Roseæ Crucis, *vel* Rosæ-crucianorum *nomine, longum latumque spargebatur, incerto licet autore, nec forma illius cœtus adhuc satis cognita atque perspecta. Non modo universam pervadebat* Germaniam, *sed per* Belgium *etiam,* Angliam, Galliam *aliaque Regna sese diffundens, ubique fere locorum aliquot sibi patrocinantes inveniebat.*

Rosæ-crucianorum societas,

(b) *Conf.* Spener. *l. c. §.* 10.

Anno

Anno 1617 *fratres hi* Roſeæ Crucis, *libellum, quem* FAMAM FRATERNITATIS *inſcribebant, publicæ exponebant luci, qui hinc inde diſperſus, varios in animis concitabat motus, a multis laudatus, a multis etiam non paucorum errorum inſimulatus. Et cum circa idem tempus doctrina* Arndtii *ex editis de* Chriſtianiſmo *libris, acrius examinari cœpiſſet, & ad limam Orthodoxias certatim revocari, immaturo quidam & plane iniquo judicio propter phraſium quandam analogiam, in* Weigelianorum *ac* Roſæ-crucianorum *cenſum illum referebant, vel ad minimum pro* Enthuſiaſtarum *patrono malevolo animo venditabant.*

§. 17. *Accedit, quod a* Roſæ-crucianis, *&* Weigelianis *varia proponebantur dogmata in Theologia* ſcholaſtica *& academica parum obvia.*

Et doctrinæ. *Quo referenda ſunt, quæ de* divinorum humanorumque reformatione univerſali, *de* chiliaſmo, *de* Judæorum converſione, *de* unctione Spiritûs & Θεοδιδάξια interna, *de* ſeculo Spiritûs ſancti, *idque genus aliis doctrinis, afferebant. Quæ quidem maximam partem ut fanatica hinc inde explodebantur, tanquam inſulſis vanorum* Enthuſiaſtarum *notionibus annumeranda; quemadmodum ex variis doctorum appareret judiciis, acerbius nonnunquam in* Roſeæ Crucis *fratres latis, eo quod forte, ex horum numero aliqui virgulam cenſoriam in ipſas* Proteſtantium *Eccleſias, illarum abuſus, defectus, ipſoſque libros Eccleſiarum ſymbolicos, æquo liberius ſtringerent, & in ipſos rerum divinarum moderatores durius inveherentur, vel denique ab ipſis* Proteſtantium *Eccleſiis, ſeceſſionem facerent, ut facile in ejuſmodi rebus ἀταξία committi ſolet. Cum autem eodem fere tempore circa* Arndtium, *qui & ipſe* ſcholaſticam *Theologiam caſtigabat, ejuſque ſcripta exardeſceret controverſia, & contentionis ſerra acrius reciprocaretur, rigidiores*

cen-

ensores, calumniandi ansa hinc arrepta, sine ulla mora ta Arndtio *affricabant dogmata, quæ in* Roseæ Crucis *sectatoribus ut erronea, falsa, fanatica & enthusiastica a multis explosa erant & reprobata. Hac via uno quasi ictu omnia licet optime dicta factaque, prosternere, & irrita reddere studebant* Arndtiani *nominis osores; & talis illis artibus efficiebant etiam, ut causa ejus, quæ tamen potius Dei erat, sub variis ad tempus contradictionibus laboraret ac premeretur; quæ vero postea eo illustrius exsplendescebat, & dissipatis tot contradictionum ac præjudiciorum nebulis, clarius rursum emicabat.*

§. 18. *Unde facile quis observare potest calliditatem infernalis serpentis, qui servis Dei ac sinceris pietatis assertoribus infamiam inurere allaborat, ut ipsam causam Dei, quam agunt, suspectam reddat, variisque hominum animis infestis præjudiciis, veræ pietatis incrementum & progressum præpediat. Quo sane* nomina *quæque* odiosa *referenda sunt, quorum quovis seculo & quavis regione, nova sunt inventa, & adhuc reperiuntur; vel si quæ obsoleta fuerint, a communi animarum hoste, vel ex orco suscitantur rursum, ad causam Dei hominumque salutem obruendam. Quid enim ad* Arndtium, *si vel maxime alii asperius, quam par esset, Ecclesiarum protestantium defectus, earumque confessiones publicas, taxarent? Cum* Arndtius *Ecclesiæ vulnera unitatis spiritu non modo detegeret, sed & medicam manum offerret? Et quî rigidiores censuræ in publicas Ecclesiæ confessiones,* Arndtium *effecerint, qui ipse plus simplici vice, sancte constatur, se huncce librum juxta sensum librorum symbolicorum Ecclesiarum* Augustanæ Confessionis, *velle intelligi?* (c) *Aliorum vero a* Lu- *Excusatur* Arndtius.

(c) *Vid. præfat. general. circa fin. Epilog. lib. secundi, &c.*

theranorum *Ecclesiâ* secessio ac separatio, nu
noſtrum tangit autorem, qui diverſas inter Luthe
ranos ecclesiaſticas functiones publice ipſe ſubiit
& ad epiſcopalem vel generalem, ut vocatur
Principatus Cellenſis ephoriam evectus, in illa
tandem animam Creatori reddidit. De quo de
inde plura. Et ſi vel maxime nonnulli poſthabitâ
Scripturâ, propriæ mentis impetus pro tot divini
effatis obtruſerint aliis; Arndtium hujus cri
minis reum egerit nemo, qui leviter ſaltem hunc
de Chriſtianiſmo librum inſpexerit, quippe qui
'ubique magni ſit, nec parvos tulit in bonis cor
'dibus fructus, uti et cetera hujus autoris ſcripta
'ob modum valde perſpicuum, quo ſolidam pie
'tatem & vitam verè chriſtianam proponit, nun
'quam Scripturæ ſacræ terminis & autoritate
'neglectis: ut judicioſus quidam ejuſmodi ſcripto
rum æſtimator loquitur (d).

§. 19. *Quicquid autem ſit, adverſa pars* non
ceſſabat, *modo* Papiſmi *inſimulare* Arndtium
*cum hunc bona opera eorumque praxin tam ſeri
audirent urgere; non ſatis conſiderantes,* Arnd
tium *nequaquam ea ut juſtificationis* media, *quam
ſoli gratiæ tribuit, urgere; ſed ut vivæ fidei in
tus habitantis,* fructus *ac* emanationes: *modo
in* Enthuſiaſtarum *claſſem vel* Fanaticorum
*(nomina ſemper maxime odioſa) illum refere
bant; ſed nullo jure. Licet enim* Θεοδίδαξιν in
ternam maxime requireret, tantum tamen aberat
ut vanæ ac ægræ mentis deliriis ac faſcinatio
bus, quæ gratiæ media excludant, patrocinaretur
ut potius ex toto hoc opere pateat, autoris de
ſtrinam eo tendere, ut ſuppreſſo amoris propri
æſtu, (qui ipſe quaſi fons eſt & primum princi
pium Intellectualium errorum) deletiſque menda
cibus corruptæ mentis ideis, divinum gratiæ lume

An Enthuſiaſmi reus?

(d) *Dn.* Poiret *Epiſt. de Autorib. Myſtic.*

(e) *Vid*

anim

animæ facultates bene repurgatas & ut ita dicam, amplificatas, *verbi usu colluſtrare debeat & exornare. De quo ipſe* lib. III, cap. 10. *de* Vero Chriſtianiſmo *& alibi paſſim.*

§. 20. *His & ſimilibus odioſis imputationibus autor noſter ad tempus onerabatur. Quæ occaſione memini circa initia ſuperioris ſeculi Eccleſiæ* Anglicanæ *aliquot doctoribus, circa* Puritaniſmi *negotium, ſimile quid accidiſſe. In* Hibernia *enim acriores* Papiſmi *propugnatores, Eccleſiæ* Anglicanæ *Miniſtris,* Puritaniſmi *nomen nunquam non impingere ſtudebant. Ratio erat, quod nomen hoc, tum aliorum, tum præcipuè Regis ipſius (utpote in* Puritanos *non admodum propenſi) animos graviter offendere noſſent. Hinc rebus ſuis ſe bene conſulturos credebant, ſi hoc nomine Eccleſiæ* Anglicanæ *Miniſtris impacto, non modo rudem plebeculam ab illorum imitatione abſterrerent, ſed Regis etiam in ipſos concitarent animum. In quæ rerum eccleſiaſticarum miſera* ὑποψίαις *quidam Theologus, in* Hibernia *tunc degens, literis die* 24 Octobr. 1620 *datis, celebri* Jacobo Uſſerio, *tunc in* Anglia *commoranti, incommoda hinc oriunda referebat, una ſollicitando, quo penes Regem (erat is* JACOBUS I.) *intercederet, ut hic* Puritani *definitione edita, malo huic in tempore obviam iret, & callidam hanc adverſariorum machinationem ſupprimeret* (e).

§. 21. *Sed memores inſtituti unde paulatim digreſſi ſumus, ad* Arndtii *nunc* Phraſeologiam *progredimur, quam iniqui horum librorum cenſores ſubinde carpebant. Videlicet legerat ſtudioſe autor noſter diverſa veterum Theologorum & Patrum ſcripta, quæ veram pietatis vim ac indolem præ aliis videbantur exprimere. Ex his imprimis memoranda ſunt* Macarii *Homiliæ, quas,* Arndtii phraſeologia:

(e) *Vid. Vita* Uſſerii *per D.* Parr, *p.* 16.

ut supra citatus scriptor loquitur, (f) *memoriâ tenebat*; Bernardi, Thomæ Kempisii, Joannis Tauleri *opera*, Theologia Germanica, *cum nonnullis aliis, quorum spiritum sedulâ lectione & usu penitius imbiberat noster* Arndtius. *Et quidem quod ad celeberrimi* Tauleri, *qui* Coloniæ & Argentorati *docuit, libros speciatim attinet, autor noster eousque illorum lectione capiebatur, ut una cum rebus, ipsam etiam phraseologiam Germanicam, qua lingua sibi vernacula scripsit* Taulerus, *fortasse nil tale cogitans, usurparet & in suos dein derivaret libros. Quare adversarii unam vel alteram loquendi formulam Mysticis usitatam,* e. g. *circa* justificationem, Bona opera *&c. arripientes,* Arndtium *plus æquo Papistis & Enthusiastis favere autumabant. Auxit hanc sinistram opinionem semel conceptam, quod secundo de* Christianismo *libro aliquot capita ex* Weigelii *scriptis desumpta, in quibus de* orationis natura *agit, inseruisset, nihil certe a sana doctrina alienum continentia. Hoc vero sufficere credebant adversarii, tam ad* Papismi, *quam* Enthusiasmi *stigmate notandum* Arndtium. *Ubi quidem, quantum ad* Tauleri *lectionem, prolixâ defensione non egebat autor, quippe quem protestantium non pauci & præcipue* Lutherus *ipse, ob eximiam pietatem & solidioris christianismi praxin e libris ejus relucentem, egregiis mactarunt laudibus. Quarum catalogum bene longum exhibet editio operum* Tauleri *Germanica, quæ cum D.* Speneri *præfatione anno* 1680 *prodiit, &* 1692 *&* 1703 *denuo impressa est. Certum est,* Lutherum, *veterem hunc scriptorem* omnium scholasticorum *libris longe antepositisse, &* ferream *appellasse omnem aliam artem & scientiam, tunc in scholis vigentem, si cum vivida* Tauleri *methodo conferatur. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Circa capita ve-*

(f) Poiret *loc. cit.*

o illa ex Weigelio *in de* Christianismo *librum ranslata, ipse se satis excusat, eo, quod ab amicis sibi fuerit scriptum hoc* Weigelii, *suppresso tamen scriptoris nomine, communicatum, & cum nihil sanæ doctrinæ contrarium in eo deprehenderit, se non dubitasse illa, utut non nihil immutata, suis iterum tradere lectoribus. Verum non inutile, nec ingratum fuerit, hoc loco* Arndtii *accusatores & defensores paulo specialius enumerare.*

§. 22. *Acerbissimus horum scriptorum* Arndtianorum *oppugnator fuit D.* Lucas Osiander, *academiæ* Tubingensis *in Ducatu* Wurtenbergico *Theologus, cujus nomen alias ex opere Biblico innotuit. Quem, cum reliquis* Arndtii *antagonistis nominis celebritate præstet, multorum loco hic nominâsse sufficiat. Edebat hic anno* 1624. Judicium *quod vocat* Theologicum, *de scriptis autoris nostri, in quo pro more virorum, qui corruptæ mentis affectu fascinari se patiuntur, innumeros fere optimo autori errores imputat, (quæ rectius injurias & scommata dixeris,) jam* Papismi, *jam* Flacianismi, *jam* Weigelianismi *etiam &* Schwenckfeldianismi *reum hunc agens. In testimonium, hominem ψυχικὸν, utpote spiritualia discernendi facultate destitutum, de divinis solidum judicium ferre non posse, utut maxime sibi hoc arrogare videatur. Hunc* Osiandrum *multi dein alii, licet minorum gentium, sunt secuti, in primis tales, qui in divinis examinandis, plus justo ex hominum autoritate pendentes, secundum magnorum virorum effata, res Theologicas metiri solebant. Quos vero sigillatim recensere, ne justo longior sim, supersedeo. Ferunt tamen ipsum* Osiandrum *ante mortem ad meliorem mentem rediisse, & seria facti illius pœnitentia fuisse ductum. Sed ad ipsos jam* Arndtii *defensores & amicos.* Arndtii antagonistæ.

§. 23. *Etsi vero, ut supra dictum, divinæ hæ veritates, quas beatus vir proferebat, variis con-*

troversiis ob litigandi pruriginem, illud commune malum, fuerint involutæ, nihilominus tamen multi testimonio hujus viri, ut quodam quasi classico turbulentis illis temporibus fuerunt excitati, non modo Arndtii *famam, sed ipsam præcipue causam Dei & christianæ religionis VERITATEM, sub specioso* Orthodoxiæ *servandæ titulo impugnatam, defendendi. Eo enim litigandi libido aliquos malo feriatos adigebat, ut non modo* Arndtium, *sed & ipsius amicos atro carbone notare non erubescerent.* Ejus defensores. *Inter amicos* Arndtii *primo loco meretur nominari* JOANNES GERARDUS, *vir ob pietatem & eruditionem conspicuus, & in academia* Jenensi *professor Theologiæ publicus. Hic cum* Arndtium *nostram ut patrem spiritualem suspiceret, & hujus ductu pietatem eruditioni jungendam urgeret, malevolorum morsus & ipse est expertus, &* Enthusiastarum *numero tantum non adscriptus. De quo altercandi pruritu & perverso tum temporis christianæ religionis statu, ipse querelas animo conceptas, in eleganti carmine ita expressit:*

Qui studium hoc ævo pietatis gnaviter urget,
Et sophies partem tractat utramque sacræ:
Ille *Rosæ-crucius*, vel *Weigelianus* habetur,
Et nota turpis ei scribitur hæreseos.
De me non verita est virosa calumnia idipsum
Spargere, & his nugis conciliare fidem.
O cœcas hominum mentes! O pectora cœca!
O sine judicio debile judicium!
Discite quæso prius, quis vere *Weigelianus*,
Quisve *Rosæ-crucius* discite quæso prius.
Dispellunt radii solares nubila cœli,
Lux veri è falsis clarior emicuit.

§. 24. *Strenuus hic* Arndtianæ *causæ defensor, famam autoris nostri pro virili vindicavit; Post-*

illam

tam quam vocant & commentarios Arndtii *in Psalmos, præfatione exornavit, in qua autoris scripta lectoribus commendat. Ex præfatione* Arndtianis *sermonibus ab ipso præmissâ, nonnulla hic subjiciam verba, ex quibus mens ejus, qua in beatum autorem fuit, facile elucet. Ostendi alibi, ait* Gerardus, *diversos in Ecclesia docendi modos obtinere, quorum unus* Mysticus Jo. Gerardus. *docendi modus dicitur, & eo præcipue tendit, ut interioris hominis ædificatio respiciatur, veteris Testamenti historia aptis allegoriis & spiritualibus applicationibus, cum novo conferantur, ac ad Christum tandem accommodentur omnia. Pariter, ut in proponendis fidei articulis præcipuus respectus eo habeatur, quo vera cognitio internæ nostræ corruptionis, una cum vivâ in Christum fide, & ardenti Dei proximique amore, terrenorum abnegatium, cœlestium vero desiderio, humili Dei timore, sincerâ resignatione, intimâ humilitate, aliisque hujus generis virtutibus, ingeneretur cordi. Ubi simul monitum fuit, docendi hanc methodum, hisce diebus, in quibus penes maximam hominum partem fides est extincta, charitasque friget, summe esse necessariam. Hinc talem dominicalium pericoparum explicationem extare, non modo optavi, sed etiam plus vice simplici celebrem Theologum & divino spiritu indutum,* Joannem *puto* Arndtium, *Generalem Ducatus* Lunæburgici *Superintendentem & Pastorem* Cellensem *literis admonui, ut in Ecclesiæ emolumentum operam hanc in se susciperet, & hujus naturæ explicationem conderet. Quia enim jam ultra sedecim annos eum ut* spiritualem *meum* Patrem *suspicio, (utpote qui ad studium Theologiæ me primum excitavit, & ad id digne gerendum, suam mihi suppeditavit manuductionem) & novi, hanc eum docendi methodum sequi pro egregiis donis, ipsi*

‘ *divinitus conceſſis & ſenſu ſpirituali quo in*
‘ *Chriſto pollet; hinc prægnantem ſatis rationem*
‘ *habuiſſe me credidi, ſi tale quid ab ipſo ex-*
‘ *peterem.*”

§. 25. Arndtii *amatoribus merito etiam ac-*
Dorſcheus. *cenſendus eſt* JOANNES GEORGIUS DORSCHEUS Argentinenſis *Profeſſor, qui ſequentes verſiculos* Arndtii *effigiei ſubjectos, reliquit:*

Improbitatis atrox pulſor, lux Chriſtianiſmo
Adverſus ſcelerum claſſica, clara Tuba,
ARNDTI, nexe Deo magnis virtutibus, aſtris
Inſite perpetua conditione boni.
Ingrato faciem ſubduxti ſuaviter orbi,
Cur ſanctis faciem fulgere quæſo negas?
En tabula, facies, mens, libri; cetera, fama!
Qui pius æternas totum habet inter opes!

Imprimis vero ad hanc Arndtii *defenſorum claſſem*
Varenius. *referendus* HENRICUS VARENIUS, *Concionator aulicus* Brunſuicenſis. *Hic non modo virulentum* Oſiandri *ſcriptum ſolidiſſime refellit,* Vindicias Chriſtianiſmi Arndtiani *anno* 1624 *edendo, ſed & denuo* 1626 brevi conſideratione, *quam vocat, cuidam* Roſtio, *qui* Arndtianis *controverſiis ſeſe immiſcuerat, reſpondit. Porro* Arnd-
Egardus. tii *defenſionem ſuſcepit* PAULUS EGARDUS, Northorffii *in* Holſatia *paſtor, vere pius. Hic eodem anno quo* Oſiandri *ſcriptum prodibat, pro autore publicam edebat* Apologiam. *Notari hic etiam meretur Facultatis Theologicæ* Wittebergenſis (*quæ de cathedra* Lutheri *ſemper gloriatur,*) *judicium, de anno* 1620. *In hoc licet ſe teantur,* ‘ *phraſeologiam* Tauleri & Theologi
‘ Germanicæ *in* Arndtii *ſcriptis obviam eſſe*
‘ *ex hac tamen neutiquam inferri volunt,* We
‘ gelianiſmi *cum eſſe inſimulandum, immo pro*
‘ *poſitum*

positum ejus ſumme commendandum eſſe aſſeverant, quippe qui a peccatis homines tanto zelo dehortetur, & melioris vitæ rationem inculcet."

Ut nihil jam dicam de Mullero, Frantzio, Lutkemanno, Affelmanno, Gejero *aliisque Lutheranæ Eccleſiæ doctoribus, qui* Arndtii *veſtigia legentes, ipſius ſcripta ad promovendam ædificationem ſumme utilia, judicarunt.* Mullerus, Gejerus, &c.

§. 26. *Nec prætermittendum eſt judicium* Calviniani *cujuſdam ſcriptoris,* THEODORI UNDEREYCK, Caſſellani *primum, & tandem* Bremenſis *paſtoris, qui* Arndtii *de* Vero Chriſtianiſmo *libros citando, ita inter alia loquitur: Quod vero* Arndtium *ac* Mullerum *noſtratibus* (Calvinianis) *annumeraverim, ne velim male interpreteris. Ejuſmodi enim viri, ſpiritu pollentes, in magno ſunt honore, non modo apud me, ſed & multos alios paſtores pie doctos, ac illis e noſtratium numero merito anteferendi, qui ventri ſerviunt, & cum pura doctrinâ ac confeſſione terrenos agunt empæctas, & ſecretos antichriſtos. Cum e contrario illorum virorum cor & converſatio ſit in cœlis, & in amore Chriſti occupetur, qui omnem exuperat agnitionem.*" *Quod elogium, cum ab alius ſectæ doctore (Preſbyteriano) profectum ſit, eo magis eſt memorandum. Patet enim hinc, (ut hoc obiter addam) optimum* Medium *ad diſſentientium animos ſibi invicem reconciliandos, eſſe, ſi in amore Dei coaleſcant hominum corda. Hic ſi unionis initium fiat, nullum eſt dubium, quin* Unitiva Virtus *e Chriſto capite, in omnia omnino myſtici corporis membra deſcendens, reciproco amore omnia ea ſuaviter ſit conjunctura, quæ variis Religionum diſſidiis diſtracta antea jacebant. Ea enim ſpiritus ſectarii vis eſt & energia, ut nil ſere bonum ſibi videatur, quam quod inter angu-* Under-eyk.

ſtos propriæ ſectæ cancellos, naſcitur. Eo ipſo autem

tem fit, ut donis, quæ in alium contulit divina sapientia, ita libere perfrui non liceat. Dum enim secretis odiis, suspicionibus variis, ac siniſtris quas de socio fovet opinionibus, indulget, suarum tantummodo notionum servus evadit, catholicæ veritatis luciſque (quæ ignorat studia partium, & generosa, Evangelica, suavis, amica est) ne vix tenuem quidem radiolum sub miserâ hac mentis captivitate perſentiſcens, cum plenum alias solem videre ipſi liceret. Mille exemplis hoc illustrari posset, niſi inſtituti id prohiberet ratio; unum tamen idque minime alienum adduxiſſe ſufficiat, quod de magno quodam Eccleſiæ Romanæ *Præſule narrant, qui cum in* Arndtiana *ſcripta incidiſſet, ac neſciret autorem, poſtea eo explorato, dixiſſe fertur:* Mirari ſe, hæreticum (*Proteſtantem*) tam egregia poſſe concinnare ſcripta (g).

Ultimæ horæ Arndtii.

§. 27. *At vero vela nunc contrahenda ſunt, & properandum ad ultima fata meritiſſimi* Arndtii, *digna omnino, quæ curatius enarrentur. Etenim* mors *ejus non minus ac* vita, *gratiam & virtutem Dei ſingularem, in hoc autore conſpicuam reddit. Erat* 3. *d.* Maii 1621 *cum ultimam concionem haberet beatus vir in v.* 5, 6. Pſal. CXXVI. Qui ſeminant cum lachryma, cum exultatione metent, *&c. Domum reverſus quasi interno quodam præſagio admonitus, uxori dixit,* concionem ſe jam habuiſſe funebrem, *& paulo poſt morbo correptus, decumbere cœpit. Die* 9 Maii *ſacra Euchariſtia e manibus* Wilhelmi Storchii, *ſumpta, beatum ad vitam meliorem tranſitum altius jam meditabatur. Idem* Storchius (*qui a confeſſionibus* Arndtio *erat*) *ingravescente morbo, ipſi aſſiſtens, inter alia eum interrogabat:* An doctrinis, quas contra tot contradictionum ac oppoſitionum inſultus, ſtrenue

(g) *Vid.* Arnd. *Vita poſtillis præfixa.*

hactenu

hactenus defendisset, ut divinitus agnitis, firmus adhuc inhæreret, ipsisque immori constans ipsi animus esset? *Id quod clara & ingeminata voce affirmavit* Arndtius.

§. 28. *Die* 11 Maii *magnam spiritus luctam subibat divinus vir, ita ut ex* Ps. CXLIII *exclamaret:* Domine, ne intres in judicium cum servo tuo! *Paulo post placido & suspenso velut somno aliquantisper videbatur requiescere, sed expergefactus, oculis sursum elevatis, hæc fudit verba:* Vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti a Patre! *&c.* Joh. I, 14. *Interrogatus ab uxore:* quando hanc vidisset gloriam? *Regessit Beatus:* Jam, jam vidi! O gloriam, quantam & qualem! Gloria est, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit! Hanc, hanc ego vidi gloriam! *Interna luctæ.*

§. 29. *Sed nondum ad certaminis metam pervenerat Noster, licet appropinquantis victoriæ primitias jam paulo altius degustâsset. Circa veperam ejusdem diei cum octavam sonaret, quæsivit Beatus;* Quota jam esset hora? *Accepto responso, ad nonam usque conquievit, qua audita, denuo interrogavit, & paulo post in hæc ultima erupit verba:* NUNC TANDEM VICI! *Et hoc verbo beatus vir, ut fidei quodam signaculo, cum consummavit cursum; post tantum certamen, cujus luculentus testis doctrinâ & vitâ fuerat, pernes laudes Agno, cujus virtute vicit, in justorum cœtu æternum decantaturus.* *Victoria.*

§. 30. *Sub finem autem hujus præfationis, lectorem benevolum more solito decet instrui* de occasione, *qua libri de* Vero Christianismo *primum editi, de illorum* scopo, editionibus & translationibus, *denique de hac nostra* latina editione. *Scripta Autoris.*

§. 31. *Ediderat* Arndtius *anno* 1605 *primum librum de* Vero Christianismo, *Jenæ typis Steinmannianis excusum. Hunc* Scripturæ Librum *appellabat, & reliquos tres successu temporis edere promittebat. Vix in lucem prodierat* primus *de* Christianismo *liber, cum hinc inde multi ejus lectione adeo afficerentur, ut non desisterent, & literis, & coram compellare autorem, ut etiam reliquos tres in lucem prodire curaret. Inter alios supra laudatus* Gerardus, *qui intimius* Arndtio *innotuerat, tunc temporis ad hunc ea de re sequentia scribebat:* ‘ *Non solus ego expecto, sed* ‘ *mecum alii docti & boni, quorum catalogum* ‘ *bene longum tibi enumerare possem. Inter eos* ‘ *primum facile locum obtinet Cancellarius Alten-* ‘ *burgensis* D. Gerstenbergerus, *cui primus ita* ‘ *placet, ut reliquorum etiam desiderio teneatur.*” *Quo tandem factum, ut anno* 1608 *tres reliquos libros manuscriptos & Vitæ, Conscientiæ, & Naturæ titulo insignitos,* Gerardo *transmitteret* Arndtius, *& ut publici juris fierent, consentiret.* Scopum *horum librorum ipse beatus vir in epistola ad amicum his verbis declarat:* ‘ Primus ‘ *ad interiorem hominem viam sternit & patefa-* ‘ *cit:* Secundus *ad eundem propius deducit, ad* ‘ *gustum nempe rerum spiritualium, per crucis to-* ‘ *lerantiam:* Tertius *totum hominis intro con-* ‘ *vertit & in seipsum introducit, regnumque Dei* ‘ *intus latere demonstrat:* Quartus *per Macro-* ‘ *cosmum & Naturæ librum Deum autorem &* ‘ *conditorem naturæ, pectoribus humanis intimi* ‘ *insinuat.*” *Et in alia epistola ad* Augustum *Juniorem, Ducem* Brunsuicensem & Lunæburgensem *hæc habet:* ‘ Finis & Scopus *meorum* ‘ *librorum talis est:* I. *Volui mentes studiosorum* ‘ *& concionatorum avocare a Theologia nimis dis-* ‘ *putatrice, quæ in scholasticam pene abiit.* II. *Ani-* ‘ *mus fuit, populum christianum avocare a fide* *mortua*

Illorum accasio.

Scopus.

‘ *mortua & reducere ad fructificantem.* III. *A*
‘ *nuda ſcientia & theoria, ad praxin fidei & pie-*
‘ *tatis.* IV. *Oſtendere, quid ſit vita vere chri-*
‘ *ſtiana, fidei verae conſona; & quid ſit illud*
‘ *Apoſtolicum*, Gal. II, 20: Vivo jam non ego,
‘ ſed vivit in me Chriſtus.”

§. 32. *Quantum ad verſiones hujus libri at-* *Verſiones.*
tinet, prodiit Lunæburgi *latine* 1625, & Francofurti 1658, & *hoc noſtro ſeculo* Lipſiæ 1704. Latina.
Atque hac ratione Deo ſic dirigente, exteris etiam nationibus horum librorum copia fuit facta. Nec latine tantum, ſed Belgice *quoque prodiit anno* Belgica,
1642 & 1647. *Pariter* Dani & Bohemi *in* Danica,
ſuas transfuderunt linguas, ita ut ſolida Chriſti- Bohemica.
aniſmi praxis, quam hic liber ſpirat, & ex ipſis ſcripturarum ut ita dicam, viſceribus, derivat, mox latius non ſine fructu diffundi cœperit. De latinæ *verſionis autoritate non admodum conſtat, niſi quod ferant*, Chriſtianum *Ducem* Brunſuicenſem, *latinam verſionem Facultati Theologicæ* Jenenſi, *quæ tunc erat, tranſmiſiſſe, hujuſque cenſuram & approbationem expetiiſſe. Quiſquis vero ſit autor, de exteris non male meritus eſt, etiamſi in nonnullis, ut jam ab aliis obſervatum* (h), diffuſior *ſit, imo in dictionum ſuperficialium accumulatione, nonnunquam nimium luxurietur. Ut aliquantulum huic ſtyli luxuriæ obviam eatur in nova hac editione, veteris verſionis aliquot editiones fuerunt adhibitæ, collatis inſuper aliquot* Germanicis *editionibus, curatius editis. Hinc non-* *Quid in hac editione præſtitum.*
nulla in hac editione reſecta fuerunt, quæ ibi abundare videbantur; aliqua etiam adjecta, quæ meo quidem judicio in illa deficiebant, ut taceam nonnulla aliæ circa paragraphorum diſtinctionem, aliaque ad externam libri formam & habitum ſpectantia, quæ ad meliorem uſum paululum immutata deprehendet lector.

(h) *D.* Pritius *præfat. ad Edit.* Lipſienſ. §. 33.

§. 33. *Si cui conatus hi qualescunque in omnibus non placuerint, sciat quod nec mihi. Dictio (utut subinde paululum immutata,) sterilis nimium apparet, jejuna, nec interno spiritus vigori & affectui ex autore relucenti, satis conformis. Interea non tam* placere, *quam* prodesse *volui. Et per me facile licuerit, si quis circa hanc aliquantisper innovatam versionem, eandem sibi sumat libertatem, quam ego mihi circa veteres versiones sumere non dubitavi. Puto, si hanc denuo castigare voluerit, & ad originalis Textûs spiritum revocare. Dico* Spiritum : *videat enim, ne statim ad hoc se satis idoneum credat, etsi* Tullianæ *fortasse suadæ hausisse se aliquid putet.* Arndtiana *possideat, si quidem ea digne exprimenda sint. Divina hæc sunt, cœlestia, interna, spiritualia, adeoque cum hominum facundiam & artificia longe superent, non tam veneres verborum phaleraſque humana arte conquisitas, requirunt, quam internum rerum divinarum* gustum, *vivamque* αἴσθησιν (Phil. I, 9.) *jugi experientia in animo corroboratam. Quid enim naturalis homo de Divinis intelligit? Si autem non intelligit, quomodo dictione satis polenti vividaque, internas Dei operationes variasque circa animæ restaurationem œconomias, expresserit? Non hic* Tulliana *eloquentia, nec inanes jejuneque Rationis argutiæ sufficiunt. Qui de* contritione cordis, vera pœnitentiâ, regeneratione, Justificatione, nova creaturâ, interno homine, unione mystica, spiritualis vitæ renovatione quotidiana, veteris hominis mortificatione & crucifixione, unctione, amore Dei, sui-ipsius abnegatione seu resignatione, *aliisque innumeris sanctioris vitæ articulis, quorum enumeratione Scriptura abundat, digne loqui velit ac scribere, videat, ne splendidum humanæ eloquentiæ apparatum, vel dicente Apostolo,* sermones quos humana sapientia docet, (1 *Cor.* II, 13.) *ad hoc* sufficere

Divina possideat, divinâ digne expressurus.

ſufficere, vanus in animum inducat. Sed ad rem.

§. 34. *Poſtquam linguis hiſce ſupra dictis* Arndtii *noſtri ſcripta inclaruerant, &* Angli *ſuarum partium eſſe duxerunt, in nativum ea transfundere idioma. Prodiit nempe anno* 1646 *primus de* Vero Chriſtianiſmo *liber, in* Anglicum *Idioma tranſlatus per hominem Laicum, qui* Radulphum Caſtrenſem Antimachivalenſem *ſe appellat. Reliquorum trium librorum in* Præfatione *illius opuſculi, mentionem quidem injicit, ſpem de illorum tranſlatione aliquam faciens; dubito tamen, an ad finem unquam perduxerit cœptum opus: ad minimum me tale quid vidiſſe, non memini. Ait vero in præfatione, hunc de* Vero Chriſtianiſmo *librum jam* 20 *ante annos in* Anglià *fuiſſe notum, utut* Romano *(ut loquitur autor)* habitu indutum. *Variis deinde autorem noſtrum mactat encomiis, jam* celebrem Germaniæ Theologum, *jam* reverendum Dei virum *appellans, & ſingulari exhortatione ad* Arndtii *lectionem populares ſuos invitans, quam latine redditam, huc poſuiſſe juvabit:* In reverendi *Arndtii* ſcriptis inveniet lector non modo cœleſtem doctrinam, ſed opulentam illam margaritam, arboremque humilitate, patientià, manſuetudine, longanimitate conſitam, una cum theſauro illo in agro abſcondito, mundo univerſo pretioſiore, & omnem dictionem exuperante, multiſque aliis gemmis de Salvatore noſtro Jeſu Chriſto. *Fatetur deinde, ſe jam* ſenio gravem & medios inter belli ſtrepitus, *opus hoc fuiſſe aggreſſum. Hinc & defectus verſionis ſuæ, (quæ præterea non ex originali, ſed ipſa verſione latinâ fuit confecta,) facile agnoſcit, alii ad emendandum opus a ſe cœptum, bonam apprecans voluntatem.*

Anglica.

Encomium autoris.

Commendatur a D. Worthington.

§. 35. *Subjungam huic de* Arndtio *testimonio, alium* autorem Anglicum, *qui* Thomæ Kempisii *libellum de* Imitatione Christi *anno* 1657 *a se anglice redditum, cum amplâ præfatione de dignitate & utilitate hujus libelli,* Londini *evulgavit. Est vero ille* JOANNES WORTHINGTON *Theologiæ Doctor &* Cantabrigiæ *primum clarissimi* Henrici Mori σύγχρονος & *amicus, postea autem* Londini *Pastor & veræ pietatis promotor assiduus, ut vel ex egregio Tractatu, quem de* Resignatione sui-ipsius *composuit, (sed qui non nisi post obitum autoris anno nempe* 1689 *prodiit,) satis apparet. Postquam ille narrasset,* aureum hoc Enchiridion, *(libellum* Kempisii *hoc insignit titulo) singulari quadam providentia, ab omnibus Christianis etsi diversorum nominum ac partium, amice fuisse exceptum, asserit ex instituto de* Lutheranis *sequentia:* ‘ *Inter* Lutheranos *vel* Lutheranorum ‘ *potius Reformatores, magni semper factus* ‘ *est hic libellus ab illis, qui* Joh. Arndtii *vestigiis insistunt. Erat hic olim Superintendens* ‘ Lunæburgensis, & alter Salvianus *suæ nationis. In eo totus erat hic vir, ut de antichristiano corde vitaque convinceret homines, & ad* ‘ *amplectendum verum Christianismum excitaret,* ‘ *in vitâ & potentiâ consistentem. Ne in* cibo ‘ & potu *h. e. in meris opinionibus & observationibus externis, in speculativo & notionali* ‘ *Christianismo, fide sterili, ac arida cognitionis* ‘ *& pietatis formâ, regnum Dei collocarent, sed* ‘ *in id unice incumberent, ut* reapse *meliores* ‘ *efficerentur, & tanquam populus vere & sincere* ‘ *reformatus, prælucerent aliis in omni gratia &* ‘ *virtute, mortisque Christi ac resurrectionis potentiam in se-ipsis demonstrarent ac veterem* ‘ *hominem crucifigerent, ut peccati corpore tandem destructo, ipsi ad vitam novam resuscitarentur,*

' rentur, quæ ipſa eſt ſancta, innocens, ſuavis ac ' humilis vita Chriſti. Ex hac vera (pergit) *' erga proximum charitate & compaſſione, ad pro- ' movendum ſpirituale animarum bonum unice in- ' tenta, fidelis hujus Dei ſervi* (Arndtii) *ſcri- ' pta ſunt derivata; quamvis multas propterea ' ſufferre contradictiones & cenſuras debuerit; ' ſed, quam injuſte, ab aliis uberius eſt demon- ' ſtratum."*

Votum.

§. 36. *Concludimus voto: Faxit Deus Ter Optimus Maximus, ut etiam hæc nova* Chriſtianiſmi Arndtiani *editio latina eundem, quem* Germanica, *& ſi placet Numini, adhuc majorem fructum in animis legentium proferat, ad amplificationem regni & gloriæ divinæ, deſtructionem vero regni Satanæ; ut hæc & reliqua terrarum orbis loca, viva viventis Dei per Filium ſuum cognitione, impleantur!*

JOANNIS ARNDTII
PRÆFATIO GENERALIS
Ad christianum lectorem.

Magnus abusus Evangelii.

QUantus quamque detestandus sacrosancti Evangelii abusus sit in hac ultima fæce mundi, *christiane lector*, abunde testatur vita impia & conscelerata eorum, qui plenis buccis Christum & illius verbum jactantes, nihilominus vitam antichristianam ducunt, haud aliter, quam si inter ethnicos, non christianos agerent vitam. Horum extrema perversitas me impulit ad scribendum; ut simpliciores scirent, in quo consistat *verus christianismus*, puta in demonstratione veræ, vivæ & practicæ fidei, exserentis se per seriam devotionem, perque fructus justitiæ. Unde sane *CHRISTIANI* nominamur, non ut in Christum tantum credamus; sed ut in Christo etiam vivamus, & ipse vicissim in nobis. Deinde, ut & illud constaret, seriam pœnitentiam ex intimis cordis penetralibus proficiscì, animum, sensum & affectiones mutare penitus, totumque hominem Christo & illius Evangelio conformare; nosque per verbum Dei indies in novam creaturam renovari oportere. Etenim, sicut quodvis *semen* similes sibi fructus profert; ita verbum Dei in nobis quotidie fructus novos ac spirituales producat; nosque, ubi per fidem nova creatura sumus effecti, in nova etiam nativitate vivamus. Verbo: animus est demonstrare: *quomodo in nobis Adamus mori, Christus autem vivere debeat*; cum non satis sit, verbum Dei scire, sed viva praxi illud insuper exprimi oportet.

In quo consistat verus christianismus?

Dei semen in nobis fructus proferat.

§. 2.

§. 2. In hoc plerique hodie errant sibi persuadentes, Theologiam esse meram *notitiam & verbosam quandam scientiam*; cum verius sit, esse ipsam *vivam experientiam* & exercitium vere practicum. Quilibet jam eo fine in Theologiæ studium incumbit, ut nominis celebritatem sibi acquirat; nec quisquam est, qui curet *probus* & *sanctus* fieri. Nemo non hodie viros eruditos quærit, a quibus in artibus, linguis & scientiis possit instituti; sed vix ullus est, qui a vero & unico summoque *DOCTORE* nostro *JESU CHRISTO*, discere cupiat illius mansuetudinem & humilitatem: quantumvis vero verius sit, esse ipsius vitam, unicum exemplar, certamque normam & regulam vivendi; adeoque summam sapientiam & artem artium, unde merito dicere liceat:

Theologia est experientia.

Omnia nos Christi vita docere potest.

Studium pietatis penitus extinctum.

§. 3. Qui Christi *ministri* esse velint, infinitos reperias; qui *imitatores*, pauciſſimos: etsi fieri non possit, quin Christi minister sive amator, etiam imitator sit, juxta illud *Jo.* XII, 26: *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Nam qui Christum diligit, idem exemplar vitæ illius sanctissimæ diligat oportet, puta humilitatem, mansuetudinem, patientiam, crucem, contumelias & contemtum; utcunque carni mortificationem afferant. Etsi vero, dum in hoc corporis ergastulo habitamus, vitam Christi adeo accurate perfecteque imitando assequi non possimus, (id quod in ipso limine profiteri volui, ne quis alienam sententiam libris meis affingeret;) at *amari* tamen a nobis illam, & omnia nostra studia suspiriaque huc spectare par est. Ita enim in Christo vivimus, & Christus in nobis; juxta illud *Joannis* 1 Epist. II, 6: *Qui dicit, se in illo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.*

In quo consistat amor Christi?

Qui Christum non imitatur, hic nec credit in illum.

§. 4.

§. 4. In quo nunc homines nimis quam peccant, qui plerique omnes nihil non ſcire ſtudent, neglecto interim amore Chriſti, qui eſt omni ſcientia auguſtior & utilior, *Eph.* III, 9. Chriſtum autem *amare* nemo poteſt, niſi ſimul animum inducat, ſanctiſſimæ illius vitæ veſtigiis inſiſtere. Immo, haud paucos illorum reperias, qui Chriſto offenduntur, & quos exempli vitæque ipſius, puta humilitatis vilitatisque, pudeat. Ad hos pertinet illud *Marc.* VIII, 38: *Quemcunque puduerit mei in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & Filium hominis, ubi venerit in gloria Patris ſui.* Chriſtianorum hodiernorum hic ſenſus eſt, ut auſint ſibi expetere aliquem Chriſtum magnificum, ſplendidum, opulentum & mundanum ſive politicum; aſpernentur autem illum miſerum, manſuetum, humilem, vilem & contemtum; nec recipere, profiteri & imitari ipſum curent. Quibus proinde viciſſim in illa die dicet: *Neſcio vos*, Matth. VII, 23: Veſtram ſuperbiam tam ignoro, quam vos olim humilitatem meam fuiſtis dedignati.

Quid ſit amare Chriſtum & illius pudere?

Humilem Chriſtum nemo vult imitari.

§. 5. Quæ corrupta & impia vivendi ratio, non jam ſaltem Chriſto illiuſque diſciplinæ ex diametro adverſatur; ſed divinam inſuper iram & pœnas ſic cumulat quotidie, ut creaturæ pene univerſæ, cœlum & terra, ignis & aqua, Creatoris ſui injurias ulturæ, adverſus nos militent; totumque adeo mundi ſyſtema, ceu juſta indignatione commotum, ruinam minetur. Hinc vero annonæ caritate plectimur, bellorum cladibus punimur, fame denique & peſte ſupplicium de nobis ſumitur. Nec tamen hic modus: nam plagæ mundi interitum proxime præceſſuræ, cum impetu & velut agmine facto, adeo ingruunt, ut vix ab ulla creatura videamur futuri immunes. Sicut enim ante

Impii omnibus creaturis ſunt exoſi & inviſi.

Ultimæ plagæ ingruentes indicant appropinquare liberationem.

ante Iſraelitarum ex *Ægypto* egreſſum & liberationem, plagis terribilibus populus impius & infidelis affligebatur; ita ante ultimam filiorum Dei ex hoc mundo liberationem, inuſitatis nec prius auditis pœnis, hominum incomparabilis impietas plectetur. Quocirca tempus eſt pœnitentiam agendi, vitæ melioris rationem ineundi, a mundo ad Chriſtum ſe convertendi, in illum recte credendi, nec aliter quam chriſtianos decet, in illo vivendi: ut *in adjutorio altiſſimi habitantes, in protectione Dei commoremur*, Pſ. XCI, 1. Quo ſpectat etiam commonefactio Servatoris noſtri *Luc.* XXI, 36: *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt.* Cui conſentanea exſtant, *Pſal.* XII, 7. *Ultimæ plagæ per pœnitentiam & orationem effugiendæ.*

§. 6. Ad hoc vero amice lector *manuductionem* quandam ſuppeditabunt noſtri illi libelli; unde diſces, quomodo non ſolum per fidem in Chriſtum peccatorum tuorum veniam conſequaris; ſed quomodo inſuper gratia divina, recte & digne ad vitæ ſanctæ rationem ineundam uti, fidemque tuam chriſtianis moribus & converſatione cœleſti, demonſtrare & exornare debeas. Nam chriſtiana religio non in verbis & externa quadam ſpecie, ſed in viva fide conſiſtit: ex qua, haud aliter quam ex ipſo Chriſto, fructus pulcherrimi, & omne genus chriſtianarum virtutum proficiſcantur. Et ſane ſic facto opus eſt: cum enim fides humanis oculis bonum non conſpicuum & *inviſibile* ſit, ex Chriſto autem nihilominus omnia bona, juſtitiam, & beatitudinem hauriat, per iſtiuſmodi fructus illam innotescere & quadantenus *ſpectabilem* fieri, ratio poſtulabat. *Indoles veri chriſtianiſmi.*

§. 7.

Quomodo omnes virtutes christianæ ex fide oriantur?

§. 7. Cum ergo bona cœleſtia divinitus illi promiſſa firmiter *ſperat*, inde jam ex fide *SPES* oritur, quæ ſane aliud nihil eſt, quam conſtans & aſſidua exſpectatio bonorum promiſſorum in fide. Quod ſi eadem accepta dona in proximum *eroget*, & qualem ſe Deus illi, talem ipſa proximo ſe præſtet; hinc vero ex fide *CHARITATEM* ortam dicemus. Cum autem examen & ignem crucis *ſuſtinet* fides, ſeque voluntati divinæ reſignat, *PATIENTIAM* ex fide natam ſtatuemus. Sin ſub onere crucis *gemat*, vel Deo pro acceptis beneficiis gratias agat, *ORATIONEM* ex illa germinâſſe, pronunciabimus. Si divinæ potentiæ humanæque miſeriæ comparatione initâ, coram divinæ Majeſtatis oculis ſe *ſubmittat*, & abjiciat, *HUMILITATIS* matrem fidem appellabimus. Si denique ex intimis ſenſibus *angatur*, ne forte divinæ gratiæ jacturam faciat, ſive, ut ſunt verba Pauli *Phil.* II, 12, *cum metu & tremore ſalutem ſuam operetur*, tunc *TIMOREM DOMINI* fidei fructum dicemus.

Spes.

Charitas.

Patientia.

Oratio.

Humilitas.

Timor Dei.

Nulla christiana veraque virtus poteſt haberi ſine fide.

Quod Deo ſit placiturum, id ex Chriſto hauriendum per fidem.

§. 8. Unde patet, omnes virtutes chriſtianas *FIDEI* prolem eſſe, ab illaque non magis, quam a fonte aquam, ſeparari poſſe; ſi modo veræ, vivæ, chriſtianæ, exque Deo, Chriſto & Spiritu ſancto exortæ ſunt. Quocirca nec ullum opus Deo acceptum, extra fidem in Chriſtum præſtare poteſt homo. Unde enim, unde inquam, vera ſpes, ſincera charitas, firma patientia, devota oratio, chriſtiana humilitas, & timor Dei, niſi ex fide? Omnia ergo ex *CHRISTO*, qui eſt unicus fons ſalutis, per fidem haurienda ſunt, juſtitia inquam, & fructus juſtitiæ. Quo in negotio illud tibi cavendum reſtat, ne forte opera tua & virtutum exordia, donaque novæ vitæ, cum *juſtificatione* confundas: neque enim coram Deo ullo loco aut numero

mero habetur cujuſcunque hominis opus, meritum, dona & virtutes, ſi vel maxime ſplendida appareant, excepto ſufficientiſſimo merito ſolius Chriſti, quod per fidem nobis eſt apprehendendum. De quo plura diximus *capp.* V, XIX, XXXIV, & XLI hujus; itemque tribus primis capitibus libri *ſecundi*. Vide ergo, ne *juſtitiam fidei* & *vitæ chriſtianæ* confundas, ſed probe diſtinguas. In hoc enim ipſa Religionis noſtræ baſis conſiſtit. Cum autem nihilominus fidei proprium ſit, quotidie cor purgare, mutare & emendare; operam dabis, ut fidem quoque veram ſolidamque habeas; quod ſane conſequeris, ſi pœnitentiam agere in animum ſerio induxeris, certus, neminem gaudii & ſolatii evangelici capacem eſſe, qui expers ſit veræ contritionis ſpiritualis divinæque triſtitiæ; juxta *Matth.* XI, 5: *Pauperes evangelizantur.* Quomodo enim fides cor reſuſcitabit & vivificabit, niſi prius ſeria contritione, dolore & agnitione peccatorum, fuerit mortificatum? Itaque veto te credere, *Pœnitentiam* rem levem ac facilem eſſe. Hanc ut ſancti Dei viri apte exprimerent, verbis uſi ſunt ſane non mollibus aut delicatis, ſed duris ac aſperis: Hinc Paulus *carnem mortificare & crucifigere cum omnibus deſideriis & concupiſcentiis* præcipit, *immolare corpus ſuum, peccato mori, & mundo crucifigi.* Quæ omnia certe quamvis carnis mollitiem & licentiam procul faceſſere jubent.

Juſtitia fidei & operum differunt.

Fruſtra eſſe omnem conſolationem ſine agnitione peccatorum.

Vera pœnitentia non eſt res levis, ſed ſeria & ſevera.

§. 9. Nec blandiora ſunt, quæ ſancti prophetæ uſurpant, ut ſuis & vivis coloribus pœnitentiam nobis depingant; dum exigunt *cor contritum & humiliatum*; dum requirunt *ſpiritum confractum*, dum denique jubent *corda ſcindi, & converti ad Dominum in fletu & planctu.* Talis vero pœnitentiæ ubi vel vola, vel veſtigium hodie ſupereſt? utcunque Chriſtus illam circumſcribens,

ſcribens, jubeat *odio proſequi animam ſuam, ſe abnegare, & denique relinquere omnia, ſi velimus eſſe ipſius diſcipuli.* Quæ omnia ſane non per luſum aliquem jocumque præſtari poſſunt. Hoc vero ex *pſalterio* promtum eſt intelligere, cujus ſeptem *Pſalmi pœnitentiales* vivum exemplum & imago ſunt anxiæ & ſeveræ contritionis. Taceo, quod Deus per totam Scripturam cum magno zelo & ſub comminatione æternæ damnationis, pœnitentiam cum ſuis fructibus repoſcat. Quæ ubi prius vivide in animo perceperit homo, tum vero Evangelii conſolatio vires ſuas potentius etiam exſerere poteſt. Utrumque vero Spiritus Dei per verbum ſuum in nobis efficiat.

Sine ſeria pœnitentia nemo capax veræ conſolationis.

§. 10. Et de hac ſerla, ſevera & interna cordis *POENITENTIA*, nec non de illius fructibus, totaque adeo praxi veræ fidei, & quæ fidei proxime cohæret, charitate, tractat hic meus liber. Quicquid enim ex chriſtiana ſit charitate, ex ipſa etiam procedit fide. Si vero in hoc libro, (præſertim eo, qui *Francofurti* typis eſt deſcriptus) quædam occurrant, quæ *Tauleri*, *Kempiſii* & quorundam aliorum veterum loquendi formulas ſapiant, & humanis viribus ac operibus plus æquo tribuere videantur, (quibus tamen mei libri omnia derogant,) illud a chriſtiano lectore precibus contendo, ut *Scopum* hujus operis diligenter velit obſervare. Qui ſane alius non eſt, quam ut occultam & abominandam peccati originalis corruptelam nobis connatam, recognoſcamus, miſeriam vilitatemque noſtram conſideremus, de nobis omnibuſque noſtris viribus deſperemus, nihil non nobis derogemus & Chriſto contra tribuamus; ut ille ſolus in nobis vivat, omniaque ſit & operetur; cum ipſe principium, medium & finis noſtræ converſionis

Scopus horum libellorum.

& be-

& beatitudinis ſit. In qua ſententia nos eſſe, plures & diverſi hujus libri loci demonſtrant; in quibus expreſſe *Pontificiorum*, *Synergiſtarum*, *Majoriſtarum* doctrina confutatur. *Autoris conteſtatio.*

§. 11. Quod autem doctrinam de *juſtificatione* fidei attinet, eam nos cum in *primo* libro, tum in *ſecundo* vel maxime, ita inculcavimus, ut in eâ deſiderari nihil poſſit. Deinde, ut omnis anſa calumniandi tolleretur, illas ſupra commemoratas loquendi formulas in hac editione correxi, ſperoque æquum lectorem, editionem *Francofurtenſem*, *Mont-belliardenſem* & exemplaria *Lunæburgenſia* & *Brunſuicenſia*, ex his correctius editis, interpretaturum. Quod ſupereſt, proteſtor, me libellum hunc, uti in articulis fidei reliquis, ita & in articulo de *libero arbitrio* & *juſtificatione peccatoris coram Deo*, juxta ſenſum librorum ſymbolicorum Eccleſiarum *Auguſtanæ Confeſſionis*, (quales ſunt prima nec interpolata *Auguſtana Confeſſio*, *Apologia*, *Articuli Smalcaldici*, uterque *Catechiſmus Lutheri*, & *Formula Concordiæ*) intelligi velle. *Deus nos omnes illuminet Spiritu ſuo ſancto, ut æque in fide & vita ſinceri & ſine offenſa ſimus in diem Chriſti, (qui prope eſt,) repleti fructibus juſtitiæ per Jeſum Chriſtum in gloriam & laudem Dei!* Amen.

ARGU-

ARGUMENTA LIBRORUM.

LIBRI I,
Qui est SCRIPTURÆ.

IN vero christiano quotidie Adamum *mori,* Christum *autem vivere; eundemque indies ad imaginem Dei renovari, & in nova nativitate vivere debere.*

LIBRI II,
Qui est liber VITÆ sive CHRISTUS.

Christi incarnationem, charitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam, passionem, crucem, contumeliam & mortem, animarum nostrarum cum medicinam & salutem, tum speculum & librum vitæ esse. Ad hæc verum christianum, peccatum, mortem, diabolum, infernum, mundum, crucem omnesque afflictiones per fidem, orationem, patientiam, verbum Dei & consolationes cœlestes, in Christo Jesu, illiusque virtute, fortitudine & victoria in nobis, vincere debere.

LIBRI III,
Qui est liber CONSCIENTIÆ.

Deum regnum suum, non aliter atque absconditum in agro thesaurum, & divinum internumque animæ lumen, in corde hominis collocavisse.

LIBRI IV,
Qui est liber NATURÆ.

MEGACOSMUM, sive librum Naturæ de Deo testari & ad illum ducere.

JOAN-

JO. ARNDTII

DE

VERO CHRISTIANISMO

LIB. I.

Bernard. in Serm. 3. de Apoſt. Andr.

Hæc duo ita ſibi invicem conjuncta ſunt, ut ſe cognoſcere nemo poſſit, niſi pœniteat: & pœnitere non poſſit, niſi ſe cognoſcat.

JO. ARNDTII
DE
Vero Chriſtianiſmo
LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Imagine Dei in Homine.

Eph. IV, 23, 24. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ; & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.*

IMAGO Dei in homine eſt conformitas ſive ſimilitudo hominis quoad animam, intellectum, ſpiritum, mentem, voluntatem, omneſque cum internas tum externas corporis ac animæ facultates, cum Deo ſeu ſacroſancta Trinitate, cumque univerſis illius divinis attributis, virtutibus, voluntate & proprietatibus. *Faciamus* (quæ ſunt verba, ut ſic dicam, ſenatusconſulti ſacroſanctæ Trinitatis, *Gen.* I, 26.) *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* LIB. I. CAP. I.

LIB. I. CAP. I.

Homo Imago SS. Trinitatis.

2. Ex quo ſane patet, ſacroſanctam Trinitatem in homine ſe *effigiaviſſe*; ſic, ut ex illius anima, intellectu, voluntate & corde, immo ex vita & actionibus univerſis mera divinaque ſanctitas, juſtitia & bonitas exſplendeſceret ac eluceret: haud aliter quam in beatis Angelis nil niſi divinus amor, virtus & puritas reperitur. Hanc *imaginem* Deus, ceu filium ſuum, in deliciis ſummoque amore erat habiturus. Quippe ſicut quiſpiam pater factus, ac ſeipſum ſive ſe alterum in prole ſua conſpiciens, non poteſt non ex intimis ſenſibus gaudere & exultare: ita *Dei deliciæ* ſummaque voluptas erat, *eſſe cum filiis hominum*, ſeu primis parentibus, *Prov.* IIX, 31. Etſi enim Deus in omnibus ſuis operibus acquieverit, ſingularem tamen & præcipuam voluptatem ex homine percepit; quia ex illo divina imago per ſummam innocentiam ac claritatem exactiſſime perfectiſſimeque relucebat.

Imago SS. Trinitatis in anima.

Quocirca *Tres* præcipue facultates humanæ animæ ſummus Deus indidit, puta *Intellectum*, *Voluntatem* & *Memoriam*; haſque eadem ſacroſancta Trinitas producit & conſervat, ſanctificat & illuminat, ſuis denique gratiis, donis ac operibus mirum in modum exornat.

3. Nimirum imaginis cujuſcumque proprium eſt, ſimilem formam figuramque exhibere; nec *imaginis* nomine cenſeri quicquam debet niſi ei corpori quod debet repræſentare, quantum fieri poteſt, ſit ſimillimum. Sumamus pro exemplo ejus, quod dicimus, *ſpeculum*. In hoc imago apparere non poteſt, niſi ſimilitudinem, ſeu ſimilem formam aliunde trahat, &, ut ſic dicam, concipiat; tum autem quanto ipſum purius eſt ac terſius, tanto evidentius imago in eo relucet. Similiter quo mundior puriorque hominis anima eſt, eo clarius & expreſſius imago divina in ipſa exſplendeſcit. 4. At-

LIB. I. CAP. I.

In quo consistat imago Dei.

4. Atque hoc fine ſummus Deus hominem creavit undiquaque purum, ſine nævo & macula, inculpatiſque animæ & corporis facultatibus præditum, ut in ipſo imago Dei eo altius conſpiceretur; neque ſicut in ſpeculo vana & exanimis umbra apparet, ſed vera vivaque imago & ſimilitudo inviſibilis Dei, illiuſque internæ, occultæ & immenſæ pulchritudinis. Imago dico ſapientiæ divinæ in hominis *Intellectu*; longanimitatis, bonitatis, manſuetudinis & patientiæ Dei, in *Animo* hominis; amoris & miſericordiæ, in *Affectibus* cordis; juſtitiæ, ſanctitatis, ſinceritatis & puritatis, in *Voluntate*; comitatis, amabilitatis, humanitatis & veritatis, in omnibus *Actibus* & *Verbis*; potentiæ, in conceſſo *Dominio* ac imperio terræ & metu animalium: æternitatis denique, in animæ *Immortalitate*.

Verus uſus imaginis Dei.

5. Porro ex hac imagine homo in primis Deum, ac deinde ſeipſum cognoſcere debebat. *Deum* Creatorem ſuum eſſe omnia, ſummum & unicum *ENS*, a quo cetera creata ſuum eſſe habeant. Pariter Deum omnia hæc *eſſentialiter* eſſe, quorum imago in homine eluceret. Itaque cum homo divinæ bonitatis imaginem ferat, ſequitur Deum eſſe Deum ſummum & univerſale Bonum *eſſentialiter*, itemque amorem, vitam & ſanctitatem *eſſentialem*. Quocirca ſoli Deo deberi omnem honorem, laudem, gloriam, magnificentiam, fortitudinem, potentiam & virtutem; (quippe qui hæc omnia ſit *eſſentialiter*;) creaturæ vero ulli nihil quicquam iſtorum omnium. Indeque eſt, quod *Matth.* XIX, 17. cuidam, Chriſtum hominem tantum exiſtimanti & proinde dicenti, *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* reſpondetur: *Quid me dicis bonum? Nemo*

Deus eſt omne bonum eſſentialiter.

Cur Deo ſoli honor & gloria debeatur?

LIB. I. CAP. I.

bonus, niſi Unus Deus, puta *eſſentialiter*, & ſic, ut ſine illo bonum nihil eſſe poſſit.

6. Ceterum etiam *ſui ipſius* cognitionem homo ex hac imagine erat conſecuturus. Eſſe nimirum ingentem differentiam inter ipſum & Deum; hominemque non ipſum quidem Deum, ſed illius *imaginem*, ſimilitudinem, effigiem & ſimulacrum eſſe; in quo ſolus Deus conſpiceretur, adeoque præter ipſum nihil in homine viveret, luceret, operaretur, vellet, amaret, cogitaret, loqueretur gauderetque. Sin quid aliud præter Deum in ipſo ageret & operaretur, tum vero hominem Dei imaginem eſſe non poſſe; ſed illius contra, a quo moveretur, impelleretur & afficeretur. Atque ut compendio dicam, homo ſeipſum Deo totum permittere, tradere, devovere & reſignare debebat; voluntatem divinam paſſivo modo exequendo, propriam abnegando, ſolumque Deum in ſe agere & operari permittendo. Hoc nimirum eſt Deo plenariam ſui poteſtatem feciſſe; ita ut homo merum, purum ſanctumque *organon* ac inſtrumentum ſit Dei, ipſiuſque voluntatis & operum. Quo pacto homo non jam ſuam voluntatem exequitur, ſed divinam pro ſua habet; non ſeipſum, ſed Deum diligit; non expetit honorem proprium, ſed Dei; nullas ſibi opes vindicat, contentus Deum poſſidere, ac proinde expers amoris mundani & creaturarum. Breviter: Nihil in homine eſſe, vivere & operari debebat, excepto ſolo Deo. Et in hoc conſtit ſumma innocentia, puritas & ſanctitas hominis. Quæ enim major innocentia poſſit cogitari, quam ut homo *propriam voluntatem non exequatur*; Deum vero in ſe omnia operari & perficere patiatur? Hæc inquam ſumma eſt ſimplicitas ut vel in puerulis omnis

ImagoDei nil niſi Deum debet repræſentare.

Deus vult omnia eſſe in homine.

Summa innocentia & ſimplicitas.

omnis ambitionis & philautiæ expertibus, conſpicere datur. LIB. I. CAP. I.

Chriſtus perfecta imago Dei.

7. Hoc regnum Dei in homine cum exteriore tum interiore, exhibuit CHRISTUS JESUS vitæ ſuæ perfectiſſimæ exemplo, qui fuit abſolutiſſima imago Dei, immolando conſecrandoque ſuam voluntatem cœleſti Patri in extrema obedientia, humilitate, & manſuetudine; exſpoliando ſeipſum omni honore amoreque proprio, omni voluptate & gaudio; ſolumque Deum omnia in ſe & per ſe cogitare, loqui & agere, permittendo. Summa: Dei voluntatem & arbitrium pro ſuo habebat; id quod teſtatum fecit Deus voce cœlitus demiſſa: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. III, 17. Hic inquam Jeſus Chriſtus eſt vera imago Dei, ex quo aliud nihil elucet præter Deum ipſum, hoc eſt, merus amor & miſericordia, longanimitas, patientia, manſuetudo, comitas, philanthropia, ſanctitas, conſolatio, vita & beatitudo æterna. Per hunc inviſibilis Deus conſpici, patefieri, hominibuſque innoteſcere voluit. Qui idem tamen modo multo ſublimiori Dei imago eſt ſecundum divinitatem, puta ipſe Deus, illiuſque imago eſſentialis & *ſplendor claritatis luciſque increatæ*; ut eſt *Ebr.* I, 3. De quo modo nihil nunc quidem; ſed tantum de apparitione manifeſtationeque ipſius ſecundum humanitatem, per vitam & converſationem ſanctiſſimam.

Deus in Chriſto manifeſtatus.

8. Talem imaginem Dei, ſive perfectiſſimam innocentiam etiam *Adamus* habuit; quam utinam ipſe in vera humilitate & obedientia conſervaſſet; agnoviſſetque, ſe quidem non ipſum ſummum Bonum eſſe, ſed tamen ſummi Boni expreſſam pictamque imaginem. Nunc ubi ipſum ſummum Bonum ipſeque Deus

Imago Dei conſervatur humilitate.

LIB. I. CAP. II.

eſſe voluit, hinc vero peccatorum graviſſimo maximeque deteſtando ſe contaminavit.

9. Ceterum cognitionis ſui ipſius ex imagine illa petendæ altera pars erat, factum ſe beneficio hujus imaginis *capacem* divini ſinceriſſimaque voluptate affluentis amoris, gaudii, pacis, vitæ, quietis, fortitudinis, virtutis & lucis, ut ſolus Deus in ipſo omnia eſſet, ſoluſque viveret ac operaretur; excluſa prorſus voluntate propria, amore proprio & honore ſui ipſius; ſolus autem Deus illius gloria, laus ac honor eſſet. Simile enim capax eſt ſui ſimilis, non autem contrarii, illoque gaudet & lætatur. Adeo videlicet totum ſe Deus cum omnibus bonitatis ſuæ theſauris in hominem transfundere decreverat! Bonum hinc exiſtens quam maxime ſui communicativum.

Summa tranquillitas ex unione cum Deo.

10. Denique & illud ex imagine Dei hominem intelligere oportebat, eſſe ſe per illam cum Deo *unitum*, inque hac unione conſiſtere hominis veram quietem, pacem, gaudium, vitamque & beatitudinem ſempiternam: contra ſummam animi inquietudinem, anguſtiam & cruciatus aliunde exiſtere non poſſe, quam ſi imago Dei eſſe deſinat homo, ſemet a Deo avertat, ac ſummi æternique Boni fruitione fruſtretur excidatque.

CAPUT II.

De Lapſu & Apoſtaſia ADAMI.

Rom. V, 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.*

PEccatum *Adami* eſt, inobedientia adverſus Deum, per quam ſe homo a Deo avertit ad ſeipſum, factus fur honoris divini, dum

dum ſe Deum facere vult; exſpoliatus imagine divina ſive perfecta hæreditariaque juſtitia & ſanctitate; cœcus quoad *intellectum*; immorigerus & contumax Deo quoad *voluntatem*; denique quoad *vires* cordis univerſi a Deo hoſtiliter alienatus averſuſque. Hæc abominatio in omnes homines per carnalem generationem propagatur & tranſit neceſſitate hæreditaria, facitque, ut homo ſit ſpiritualiter mortuus, filiuſque iræ & condemnationis, niſi Chriſtus ipſum redemerit. Caveant proinde ſimpliciores Chriſtiani, ne Adami tranſgreſſionem vana interpretatione, ut leviculum quoddam peccatum vel pomi ſaltem eſum, extenuent. Potius credant, Adami & Luciferi cum unum idemque, tum vero graviſſimum & extreme deteſtandum facinus fuiſſe & apoſtaſiam, divinæ nimirum majeſtatis tyrannicam affectationem.

Lapſus Adami fuit peccatum graviſſimum.

2. Hæc apoſtaſia primum in corde fuit concepta, mox tamen eſu pomi prohibiti erupit in lucem. Cujus elegantem ſimilitudinem velut in tabula nobis exhibet facinus *Abſalonis*. Sicut enim ille non contentus, eſſe ſe filium Regis, tum hominum formoſiſſimum & ſpeciei a capite ad calcem inculpatæ, 2 *Sam.* XIV, 26. denique parenti ſuo cariſſimum, (uti colligere licet ex lacrymis *Davidis*, 2 Sam. XVIII, 33.) Hac inquam gloria non contentus Abſalon, de ipſa regia dignitate ad ſe rapienda conſilia capiebat; & hac ſententia ſemel in animo firmata, hoſtem parentis ſe profiteri, & illius vitæ inſidias ſtruere incepit, 2 *Sam.* XV, 12. Ita homo acquieſcere in eo nolens, quod ipſius Dei filius eſſet; quod creaturarum pulcherrima & inculpati corporis animæque, quod denique Deo in deliciis eſſet; ipſe Deus eſſe contendebat. Hinc vero odium

LIB. I. CAP. II.

odium hoſtilemque adverſus Deum animum concepit, paratus, ſi in ipſo fuiſſet, funditus delere illum & extirpare.

Adam & Lucifer idem peccatum commiſerunt.

3. Quis vero jam peccato hoc deteſtabilius poterit committere & magis abominandum? Hinc deinceps quoad cor & animum Diabolo ipſi ſimilis factus eſt homo; idem enim facinus uterque patravit. Nec jam amplius Dei, ſed Diaboli imaginem præ ſe fert homo, & organon non illius ſed hujus exiſtit, omnis malitiæ diabolicæ capax. Adhæc ex divina, cœleſti ſpiritualique imagine, penitus terrenus factus eſt homo, carnalis, animalis & belluinus.

Imago diaboli.

Etenim ut Diabolus ſuam homini imprimat imaginem, auſus eſt illecebroſa, ſubdola & aſtuta orationis textura, ſemen ſuum quod ſerpentis ſemen eſt, in hominem ſpargere; amorem dico proprium, ambitionem, voluntatem propriam, & divinitatis affectationem.

4. Unde ſcriptura omnes vana philautia inebriatos *genimina viperarum* appellat, *Matth.* III, 7. & eos, qui diabolicæ naturæ ſunt, *ſemen ſerpentis. Ponam inimicitiam inter ſemen ſerpentis & ſemen mulieris*, Gen. III, 15.

5. Atque ex hoc ſemine *viperino* nihil aliud poteſt progerminare, niſi fructus terribilis, puta imago Satanæ, proles belial, *filii Diaboli*, Jo. VIII, 44. Sicut enim in alio quovis ſemine quantumvis exiguo, mirabili tamen & occulto modo totius ſtirpis ac plantæ indoles proprietateſque, proceritas, craſſities, longitudo, latitudo, tum illius rami, folia, flores, totaque adeo arboris ſtructura cum innumeris fructibus continentur: Ita in hoc peſtilenti & lethali ſerpentis ſemine, in Adami nempe *philautia* & inobedientia, quæ per carnalem generationem modo hæreditario in omnes poſteros tranſiit, deliteſcit *arbor mortifera*;

Arbor peſtilens Adami.

mortifera, malitiæ fructus innumerabiles, denique imago Satanæ cum omnibus illius notis & proprietatibus.

6. Conſiderate paulo intentius puerulum aliquem, & quomodo jam inde a materno utero primiſque incunabulis nativa hæc corruptio, præſertim vero inobedientia & voluntas propria in illo ſe exſerant. Ubi jam adoleverit parumper, obſervare poteris prorumpentem naturalem philautiam, ambitionem, gloriæ appetitum, vindictæ cupiditatem, mendacia, aliaque: Mox velut agmine facto, faſtum, arrogantiam, ſuperbiam, blaſphemiam, juramenta, diras imprecationes, fraudes, contemtum Dei verbique ipſius, parentum & magiſtratus; adhæc, iram, rixas, odia, invidiam, ſimultates, vindictam, homicidia & crudelitatis omne genus: Præcipue ſi externa ſcandala & occaſiones veluti tot obſtetrices adamicæ & diabolicæ corruptelæ accedant, & depravatæ naturæ pruritui inſerviant. Videas enim tunc prorumpere impudicitiam, libidinem, cogitationes venereas, imaginationes meretricias, obſcæna colloquia, geſtus pollutos, verba & opera impudica. Videbis prorumpere ebrietatem, luxum, intemperantiam in victu veſtituque, levitatem, mollitiem & omne ingluviei genus. Præter hæc, avaritiam, uſuras, fraudes, fallacias, aſtus, impoſturas, ſycophantias, ſtellionatum, & ut verbo dicam, univerſum nequitiæ, flagitiorum & ſcelerum agmen, idque tam varium & multiplex, ut enarrari non poſſit, juxta illud *Jer.* XVII, 9: *Fraudulentum eſt cor hominis ſupra omnia & mortiferum; quis cognoſcet illud?* Quod ſi etiam ſeductores & hæretici ſpiritus accedant, jam vero audies Dei ejurationes abnegationeſque, idololatriam, veritatis odium & perſecutionem,

Illius fructus.

Scandalum evocat in actum peccatum originale.

Scandala doctrinæ.

nem, peccatum in Spiritum sanctum, corruptelas fidei, detorsiones scripturæ & seductiones terribiles. Quæ omnia nihil aliud sunt, quam tot fructus seminis serpentis in homine, & ipsa Satanæ imago.

Malitia in homine occulta.

7. Quis vero vel suspicari initio potuisset, in tam pusillo debilique infantulo tantam flagitiorum sentinam, tum cor adeo pestilens & talem basiliscum delitescere; nisi homo ipse vita sua conversationeque putida, *cogitationes cordisque intenta ad malum omni tempore prona*, ultro in lucem produceret & a teneris unguiculis abunde exprimeret, *Gen.* VI, 5?

Scandalum cur prohibitum?

8. O igitur radicem pessimam, unde adeo pestifera arbor procrescit! O semen serpentis & viperarum terribile, ex quo tam abominabile monstrum, tam deformis fœdaque imago exurgit! Intus enim hæc omnia foventur & exinde pullulant, provocata adjutaque externis scandalis. Qua causa existimandum est, Christum Jesum adeo graviter prohibuisse, ne quis pueros malo exemplo offenderet; quippe in quibus hoc semen serpentis lateat, & omnium scelerum flagitiorumque *originale principium* occulte foveatur, haud aliter atque dira venena in vermi aliquo pestilenti.

Originale peccatum, ineffabile.

9. Disce proinde, O homo! Adami peccatum & corruptelam generis humani originalem, non leviter aut perfunctorie sed profunde & digne introspicere. Hæc quippe infectio & depravatio major est, quam ut verbis illam exprimere aut intellectu humano penetrare valeas. Cognosce teipsum, & quid post *Adami* apostasiam factus sis, alte considera: Imago nempe Diaboli ex imagine Dei, compendium dico atque epitome omnis diabolicæ naturæ & proprietatis, malitiæ & pravitatis. Sicut enim in imagine Dei omnes

virtutes

virtutes proprietateſque divinæ continebantur, immo ipſa Dei indoles: Et ſicut ante lapſum homo imaginem *Cœleſtis* gerebat, hoc eſt, totus cœleſtis, ſpiritualis, angelicus & divinus erat; ita nunc poſt apoſtaſiam circumfert imaginem *Terreni*, eſtque intus & funditus effectus terrenus, carnalis & belluinus. LIB. I. CAP. II. *Imago cœleſtis & terrena.*

Ecce enim! Iracundia illa tua, leonis an hominis eſt propria? Invidia illa & avaritia inſatiabilis nonne canum & luporum indolem exhibet? Et nonne impudicitia & guloſa comeſſatio porcorum? Immo, ſi te recte inſpexeris, invenies intus in pectore tuo mundum quendam malignis belluis refertum; atque vel in ſola lingua, illo *minimo membrorum*, ut ait *Jacobus cap.* III, 6. lacum & mare vermium peſtilentium, domicilium immundorum ſpirituum, & ſtabulum ſive cuſtodiam impurarum avium, quemadmodum teſtatur *Jeſ. cap.* XIII, 21. & *Apoc.* XVIII, 2. Quin eouſque in malitia ſæpe proficimus, ut iracundia univerſum belluarum gregem, invidia canes, avaritia & rapacitate lupos, aſtutia vulpes, virulentia baſiliſcos, obſcœnitate denique porcos ſuperemus. Atque ob hanc brutam & belluinam naturam Chriſtus *Luc.* XIII, 32. *Herodem vulpem* nominat, impuros autem, *canes & porcos* Matth. VII, 6. quibus nefas ſit *ſanctum dare & margaritas objicere.* *Homo belluinus.*

10. Quiſquis jam hanc generis humani corruptelam ipſi naturæ alte inhærentem non emendaverit, nec *in Chriſto renovatus fuerit*, ſed talis moriatur, qualem modo hominem belluinum deſcripſimus; hic vero in omnem æternitatem retinebit naturam ſuam ſatanicam, arrogantem, faſtuoſam & ſuperbam. Manebit crudelis leo, invidus canis, rapax lupus, vermiſque & baſiliſcus veneno infectus. Et cum

tempus

LIB. I. CAP. III.

tempus purificationis neglexerit hîc, circumsederet jam perpetuo in tenebris sempiternis Satanæ imaginem sibi impressam, ut faciat testatum, se in Christo non vixisse, neque se ad imaginem Dei per illum renovatum fuisse; juxta illud *Apoc.* XXI, 8. XXII, 15: *Foris sunt canes, idololatræ & venefici, omnesque qui diligunt & faciunt mendacium*, &c.

CAPUT III.

Quomodo Homo in Christo ad Vitam Æternam Renovetur.

Gal. VI, 15. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed nova creatura.*

REgeneratio est opus Spiritus sancti, per quam homo ex filio iræ condemnationisque æternæ, fit filius gratiæ & salutis; ex peccatore justus, per fidem, verbum & sacramenta, per quæ cor nostrum, tum sensus, animus, intellectus, voluntas & affectus renovantur, illuminantur & sanctificantur, in Christo & secundum Christum in novam creaturam. Complectitur ergo Regeneratio duo præcipue beneficia, *Justificationem* scilicet & *Sanctificationem* sive Renovationem, *Tit.* III, 5.

Duplex nativitas.

2. Quippe duplex est cujusque christiani origo, linea, sive nativitas & generatio: *Carnalis* altera, peccatis conspurcata, damnata & maledicta, ex *Adamo* descendens, per quam semen serpentis, imago Satanæ & terrena belluinaque hominis indoles propagatur: Altera *spiritualis*, sancta, cœlestis, beata & benedicta, quæ & nova nativitas sive regeneratio dicitur, *ex Christo* per fidem scaturiens; & per

hanc

hanc ſemen & imago Dei ipſeque adeo cœleſtis & deiformis homo, modo ſpirituali progeneratur. LIB. I. CAP. III.

3. Sicut igitur *vetus* Adami linea in nobis eſt; ſic & Chriſti *novum* genus, proſapiam, familiamque revera in nobis eſſe, neceſſe eſt. Atque hic eſt ille vetus novuſque homo, vetus & nova generatio, vetus & novus *Adam*, terrena cœleſtiſque imago, vetus & nova Hieroſolyma, caro & ſpiritus, Adam & Chriſtus in nobis, denique exterior & interior homo.

4. Nunc quomodo ex Chriſto regeneremur, age videamus! Sicut vetus nativitas *carnali* modo ex *Adamo* propagatur; ita Regeneratio fit *ſpiritualiter* ex Chriſto per verbum Dei, quod eſt velut ſemen novæ creaturæ. *Renati*, inquit *Petrus*, Ep. I. cap. I, 23. *non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi & permanentis in æternum.* Et *Jacobus* cap. I, 18: *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus primitiæ creaturarum ejus.* Hoc ergo verbum producit fidem; fides autem innitens verbo, in illo Jeſum Chriſtum una cum Spiritu ſancto apprehendit; cujus deinde virtute & efficacia homo regeneratur. Fit itaque Regeneratio in primis per Spiritum ſanctum, *Jo.* III, 5. Atque hoc appellat Chriſtus *ex Spiritu naſci.* Secundo per fidem, 1 *Jo.* V, 1: *Qui credit Jeſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt.* Tertio per baptiſma, *Jo.* III, 5: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire regnum Dei.* De quo ſequentia notanda.

Verbum Dei ſemen eſt novæ nativitatis.

Fides medium eſt novæ nativitatis.

5. Ex *Adamo* extremum ac ſummum malorum hæreditario modo in hominem fuit derivatum: peccatum ſcilicet, abominatio, ira, mors, Diabolus, infernus & condemnatio:

Hi

LIB. I. CAP. III.

Fructus utriusque nativitatis.

Hi enim sunt fructus veteris lineæ vel generationis. E *Christo* autem per fidem accipit & recuperat homo summum bonum, puta justitiam, gratiam, benedictionem, vitam, & salutem æternam. Ex *Adamo* habet homo spiritum carnalem, & malignorum spirituum tyrannidi atque dominio succumbit: Contra e Christo Spiritum sanctum, cum Gratia ejus & regimine suavissimo. Qualis enim hominis spiritus est, talis origo, nativitas & proprietas est. *Nescitis cujus spiritus estis?* inquit Christus, *Luc.* IX, 55. Ex *Adamo* habet homo spiritum arrogantem, tumidum & elatum mediante carnali generatione; si vero regeneretur animus & renovetur, tum demum ex *Christo* per fidem spiritum humilem, rectum & simplicem recuperat. Ex *Adamo* accepit spiritum incredulum, blasphemum & ingratum; ex *Christo* vero per fidem spiritum fidelem, filialem, gratum Deumque collaudantem. Ex *Adamo* insitus nobis est spiritus immorigerus, ferox & temerarius; ex *Christo* vero hauriendus est spiritus obedientiæ, mansuetudinis ac modestiæ per fidem. Ex *Adamo* per corruptam generationem possidemus spiritum iracundum, hostilem, vindictæ cupidum & homicidam; ex *Christo* autem per fidem, illius loco comparandus est spiritus longanimitatis, philanthropias & bonitatis. Ex *Adamo* per nativitatem carnalem habet homo spiritum avarum, immitem, suis tantum commoditatibus inhiantem & aliena ad se rapientem; a *Christo* vero per fidem obtinet spiritum misericordiæ, pietatis & prompte proximo inservientem. Ex *Adamo* per carnalem propagationem sortitus est spiritum impudicitiæ, impuritatis & intemperantiæ; contra quem ex *Christo* impetrat spiritum

Ex Christo novus spiritus.

castum,

castum, mundum & temperantem. Ex *Adamo* illi communicatus est spiritus mendax, dolosus & calumniator; ex *Christo* vero participare oportet spiritum veritatis, integritatis & constantiæ. Ex *Adamo* denique transiit in hominem spiritus belluinus, terrenus & brutus; estque contra concipiendus ex *Christo* spiritus cœlestis & divinus. Idcirco enim oportuit Christum humanitatem assumere, a Spiritu sancto concipi, ab eodemque *citra mensuram ungi*, Jo. III, 33. Imo hac causa oportuit *requiescere super eum Spiritum Domini, Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum scientiæ & timoris Domini*, ut ait Jesaias *cap. XI*, 2. ut humana natura in ipso & per ipsum renovaretur, nosque in eo, ex eo & per eum novum genus, novaque creatura fieremus; recipientes ab eo Spiritum sapientiæ & intellectus, pro spiritu stultitiæ; Spiritum cognitionis, pro naturali & congenita nobis cæcitate; Spiritum timoris Domini, pro spiritu impietatis. Et in hac permutatione consistit nova illa vita una cum fructibus novæ creationis seu Regenerationis nobis insitæ.

Ex Adamo omne malum; ex Christo omne bonum.

Humana natura ex Christo & illius Spiritu renovatur.

6. Sicut enim in *Adamo* omnes spiritualiter mortui eramus, nec nisi opera mortis & tenebrarum patrare poteramus; ita in *Christo* in novam vitam resuscitari nos oportet, ad opera lucis producenda. Sicut per carnalem generationem peccatum, velut hæreditas *Adami*, ad nos transiit; ita per fidem ex *Christo* justitia ut divina hæreditas sumenda. Sicut ex carne *Adami* congenita nobis est superbia, avaritia, libido, & omnis generis immundities; ita per Spiritum sanctum natura nostra renovanda, sanctificanda, & ab omni elatione, avaritia, libidine & invidia

In Christo per fidem spiritualiter reviviscimus.

LIB. I. CAP. III.

vidia ita est repurganda, ut vitiosa hæc vita in nobis plane intermoriatur, *Christus* vero novum spiritum, novum cor, sensum & animum largiatur, sicut ex *Adamo* carnem peccatis pollutam, hausimus.

7. Atque ob hanc Regenerationem Christus *Jes.* IX, 6. *Pater noster æternus* dicitur. Et hoc modo in Christo ad vitam æternam renovamur, ex Christo regeneramur, ut nova tandem in Christo creatura existamus. Et ex hac Regeneratione, Christo, Spiritu sancto & fide, omnia opera proficiscantur oportet, quæ quidem Deo placere aut approbare volumus.

Omnia bona opera debent procedere ex nova nativitate.

8. Ita vivimus jam in nova nativitate, & nova nativitas vivit in nobis: Vivimus in Christo, & Christus in nobis: Vivimus denique in Spiritu, & Spiritus Christi in nobis. Hanc Regenerationem illiusque fructus describens Paulus *Eph.* IV, 23. *jubet nos renovari spiritu mentis, & exuere veterem hominem:* & 2 Cor. III, 18. *transformari in imaginem Dei:* Col. III, 10. *Renovari in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit nos:* Tit. III, 5. *Regenerationem & renovationem Spiritus sancti appellat:* denique *tollere cor lapideum, & dare carneum,* Ezech. XI, 19. Atque ex his patescit, quomodo ex Incarnatione & Humanitate Christi oriatur Regeneratio. Nimirum quia homo ambitione, superbia & inobedientia peccaverat, seque a Deo averterat, non poterat hæc apostasia lui aut emendari, nisi per extremam humilitatem, exinanitionem & obedientiam filii Dei. Sicut autem Christus in terris inter homines in summa humilitate est conversatus; ita necesse est eundem in te vivere, & imaginem Dei in te renovare.

Descriptio novæ nativitatis, & illius fructus.

Nova nativitas ex Christo.

Christi vita in nobis.

9. Adspice vero jam amabilissimum, humillimum, mansuetissimum, obedientissimum & patien-

patientissimum Christum ab illoque disce, hoc est, in illo vive. Quid enim causæ afferes cur ipse sic vixerit? Sane ut exemplar tibi esset, speculum & norma vivendi. Ipse inquam, adeoque non aliquis jam *S. Benedictus*, & hujus vel alius cujusdam hominis humana inventa, Christi inquam vita nostrum sit exemplar, ab Apostolis unanimi consensu intentoque quasi digito commonstratum. Eadem ratio est, si illius passionem, mortem & resurrectionem consideraveris. Ut nimirum tu cum illo moriaris peccatis, rursusque in illo, cum illo & per illum *spiritualiter* resurgas, & in nova vita ambules, *Rom.* VI, 3. De quo argumento consule infra *capp.* XI & XXXI.

LIB. I. CAP. III.

Christi exemplum est regula vitæ nostræ.

Nova vita est fructus mortis & passionis dominicæ.

10. Oritur ergo & scaturit Regeneratio nostra ex salutari fonte passionis, mortis & resurrectionis Christi. Unde Petrus 1 *Ep.* I, 4. ait: *Regeneravit nos Deus in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi.* Indeque adeo est, quod Apostoli ubique pœnitentiæ & novæ vitæ passionem Christi fundamenti loco substernant; ut *Rom.* VI, 3. & 1 *Petr.* I, 17, 18. *In timore incolatus vestri tempore conversamini, scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis; sed pretioso sanguine utpote agni immaculati Christi.* Ubi vides causam nostræ sanctæ conversationis esse pretiosissimum lytron nostræ redemptionis. Idem Petrus 1 *Ep.* II, 24. scribit: *Christus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati sumus.* Et ipse Christus *Luc.* XXIV, 46. ait: *Sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum:* Ex quibus verbis patet, e fonte passionis,

Causa novæ vitæ.

LIB. I. CAP. IV.

mortis & resurrectionis Christi, utrumque, *verbi* dico *prædicationem* & *pœnitentiam*, ut tot vivos rivulos scaturire.

Fructus duplex passionis Christi.

11. Est ergo passio Christi cum satisfactio pro peccatis nostris, tum renovatio hominis per fidem: Utrumque requiritur ad hominis reparationem. Hic quippe fructus est, hæcque efficacia passionis Christi, ut in nobis renovationem & sanctificationem operetur, 1 *Cor.* I, 30. Hic denique modus est, ut in Christo renascamur. Nec sane alio spectat *lavacrum Regenerationis*, quam ut in mortem Christi baptisati, cum Christo peccatis moriamur virtute mortis illius, simulque a peccatis resurgamus, per gratiam glorioſæ resurrectionis ejus.

Fructus baptismi.

CAPUT IV.

Quid sit vera Pœnitentia; quid item Crux & Jugum Christi.

Gal. V, 24. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

PŒnitentia veraque conversio est opus Spiritus sancti, per quam homo ex *Lege* sua peccata, simulque adversus illa justissimam Dei iram agnoscens, serio & ex intimis sensibus dolet, ac, quæ fecit, facta nollet: Ex *Evangelio* vero gratiam Dei degustans, per fidem remissionem peccatorum in Christo consequitur. Per hanc autem pœnitentiam perficitur *mortificatio* & crucifixio carnis omniumque carnalium voluptatum & concupiscentiarum cordis, simulque Spiritus *vivificatio*. Per hanc *Adam* cum omnibus corruptæ mentis inclinationibus in nobis moritur,

Proprietas veræ pœnitentiæ.

tur, Christus autem contra in nobis vivit per fidem. Quippe hæc duo cohærent necessario; sic, ut carnis mortificationem è vestigio sequatur vivificatio seu renovatio spiritus; & spiritus renovationem carnis mortificatio. Si vetus homo moritur, reviviscit novus; Et si novus reviviscit, vetus moritur. *Licet externus noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem,* 2 Cor. IV, 16. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram,* Col. III, 5. *Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro,* Rom. VI, 11.

Hominis veteris mors est vita novi,

12. Ceterum cur per veram pœnitentiam caro mortificanda sit, age consideremus. Jam modo diximus per *Adami* apostasiam hominem plane diabolicum, terrenum, carnalem, Deique & divini amoris expertem fuisse factum; hoc est, a Deo & cœlesti amore aversum, ad seculi autem amorem prorsus conversum fuisse; ita, ut ubique & in omnibus rebus sibi ipsi jam studeat, faveat, consulat, applaudat, suoque honori & gloriæ velificetur, amore proprio abreptus homo. Atque hic, ut dixi, tristis est effectus & sequela apostasiæ *Adami*, qui dum se in Dei locum erigere studeret, genus humanum universum una eademque calamitate involvit. Hæc autem corrupta & depravata constitutio humanæ naturæ mutanda est & corrigenda per seriam pœnitentiam, hoc est, per veram divinamque contritionem, per fidem apprehendentem remissionem peccatorum, perque voluptatum carnalium, philautiæ & superbiæ mortificationem. Neque enim in eo tantum consistit pœnitentia, ut crassas externasque peccati pollutiones abjicias, sed ut in teipsum descendens ac introversus, ipsos

Caro mortificatur per veram pœnitentiam,

Vera pœnitentia cor mutat.

LIB. I. CAP. IV.

intimos animi tui cordisque recessus ac penetralia everras, immutes & repares; teque a philautia ad amorem divinum, a mundo omnibusque mundanis concupiscentiis ad vitam spiritualem & cœlestem convertas, ac per fidem meriti Christi particeps evadas.

Veræ pœnitentiæ proprietas sibi & mundo mori.

3. Hinc jam consequitur, debere hominem *seipsum abnegare*, Luc. IX, 23, hoc est voluntatem propriam domare, divino arbitrio se totum resignare, seipsum non amare, pro infimo indignissimoque mortalium quotquot sunt, seipsum habere, *abrenunciare omnibus, quæ habeat*, Luc. XIV, 26; hoc est, contemnere mundum cum suis pompis & honoribus, sapientiam propriam doteque nihili facere, in nulla creatura sed in solo Deo unice uniceque acquiescere, propriam animam sive vitam *odio prosequi*; hoc est, carnales voluptates & desideria, superbiam, avaritiam, libidinem, iram, invidiamque enecare; sibi ipsi displicere, omnia propria pro nihilo ducere, in nullo gloriari, nihil sibi, nihil propriis viribus tribuere, mundo mori; hoc est, cupiditati oculorum & carnis, superbiæque vitæ, imo ipsi *mundo crucifigi*, Gal. VI, 14. Hæc, inquam, est vera pœnitentia carnisque mortificatio, sine qua nemo potest esse Christi discipulus. Hæc est vera conversio a mundo, a seipso & a Diabolo ad Deum, sine qua nemo peccatorum remissionem consequi salvarique potest, *Act.* XXVI, 18, 19.

Propriam vitam odisse.

Mundo mori.

4. Hæc pœnitentia & conversio est ipsa Abnegatio sui ipsius. Hæc est vera crux & jugum Christi, de quo loquitur ipse *Matth.* XI, 28. *Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Quasi dicat; per seriam internamque humilitatem reprimenda tibi est philautia tua & ambitio;

ambitio; perque manſuetudinem coercenda iracundia & vindictæ cupiditas. Id quod ſane homini novo ſuave jugum eſt & leve onus, utcumque carni graviſſima acerbiſſimaque crux videatur. Atque hoc eſt revera *carnem ſuam ſpiritui crucifigere cum vitiis & concupiſcentiis*, Gal. V, 24.

LIB. I. CAP. IV.

Jugum Chriſti ſpiritui leve eſt; carni autem crux; Vera crux Chriſti quænam?

5. Errant proinde & vehementer errant, qui crucem non aliam norunt quam quæ per calamitates & ærumnas ſeculi infligitur, ignari prorſus, internam pœnitentiam & mortificationem carnis, veram illam crucem eſſe, quam ſequendo Chriſtum, quotidie in nos ſuſcipere debemus, *h. e.* ut magna patientia feramus inimicos noſtros, calumniatores ſancta manſuetudine, adverſariorum vero faſtum & ſupercilioſam arrogantiam ſincera cordis humilitate vincamus, premendo in hoc humile veſtigium Chriſti, qui mundo & omnibus quæ in mundo ſunt, perfecte moriens, exemplar imitationis nobis reliquit.

6. Hoc, inquam, jugum Chriſti eſt vera crux noſtra, ad quam bajulandam obligamur; quod cum facimus, tum vero mundo morimur. Nequaquam in eo conſiſtit ut in monaſteria nos abdamus, vel ſingulares ordines ac regulas vivendi condamus, intus vero in corde nihil quam amorem mundi, ſpiritualem ſuperbiam, contemtum phariſaicum aliorum, libidines, invidiam & odia clandeſtina foventes, de *ſpirituali* hac naturæ reſtauratione nihil experiamur. Mundo mori, eſt mortificare carnem cum omnibus, quæ ipſi allubeſcunt; aſſiduam cordis compunctionem & alte inhærentem ſentire; & hoc ordine avertere ſe a mundo introrſum ad Deum; ut quotidie intus magis magiſque mundo moriens, in Chriſto vivat homo per

Mundo moriquid?

LIB. I. CAP. IV.

fidem, ipſius humilitatem ac manſuetudinem, converſatione ſua exprimat, & ita demum Gratiæ Dei in Chriſto patefactæ, firma fiducia adhæreat.

Citra veram pœnitentiam Chriſtus nihil prodeſt.

7. Ad hanc pœnitentiam a Chriſto vocati ſumus; veram hanc dico internamque cordis converſionem, qua a mundo ad Deum transfertur homo. Huic etiam ſoli imputatio juſtitiæ & obedientiæ ſuæ virtute fidei apprehendenda, una cum remiſſione peccatorum eſt promiſſa. Adeo ut citra hanc internam pœnitentiam Chriſtus homini nihil proſit; hoc eſt, homo illius gratiæ ac meriti particeps fieri nequeat, quippe quæ cordi contrito, fideli, humili ac ſincero pœnitentiæ ſenſu imbuto, tantum applicanda ſunt.

Fructus mortis & paſſionis Chriſti.

Nimirum hic fructus *Paſſionis* Chriſti in nobis eſt, ut per veram pœnitentiam peccato moriamur; *Reſurrectionis* vero, ut Chriſtus in nobis, & nos in Chriſto vivamus.

8. Atque hinc exiſtit *nova illa creatura in Chriſto, & regeneratio, quæ ſola valet apud Deum*, 2. Cor. V, 17. Gal. VI, 15. Vide de his infra *cap.* XIV. *Lib.* I.

Vera pœnitentia eſt interna.

9. Diſcamus hinc jam probe naturam & veram pœnitentiæ indolem. Communis error eſt quo multi ſeipſos decipiunt, exiſtimantes, ſufficere ad veram pœnitentiam, ſi vitam quis agat externa idololatria, blaſphemia, homicidio, adulterio, ſcortatione, furtis, & id genus aliis enormibus externiſque pollutionibus, vacuam. Neque ego ſane negaverim, eſſe hanc *externam* pœnitentiam, a prophetis ſubinde inculcatam; ut *Jeſ.* LV, 7; & *Ezech.* XVIII, 25; & XXXIII, 14. Certum tamen eſt, eos una cum Apoſtolis intima cordis penetralia reſpexiſſe, aliamque pœnitentiam, *internam* ſcilicet illa externa haud

paulò

paulo nobiliorem, docuisse, qua nempe homo superbiæ, avaritiæ ac libidini moriatur, seipsum abneget & odio habeat, mundo renunciet, omnibus quæ cum proprietate possidet, valedicat, totum se Deo committat, carnem crucifigat, cor contritum, humile & sancto timore perculsum, ceu verissimam solamque Deo placentem victimam, quotidie immolet, & denique intus ac in corde plenus lacrymarum ac suspiriorum ad Gratiæ thronum accedat. Et hunc intimæ pœnitentiæ characterem psalterium ubique & graphice exhibet.

10. Maneat proinde, illam veram pœnitentiam esse, qua intus in pectore serium dolorem, exquisitissimumque mœroris sensum percipimus, sinceræ contritioni junctum; ac rursus per fidem perque peccatorum remissionem sanamur, exhilaramur, purgamur, mutamur & restauramur. Unde non potest non consequi externa vitæ morumque immutatio & renovatio.

11. Quod si nunc aliquis solum externam pœnitentiam agat, absistens ab enormibus flagitiis, pœnæ saltem metu; interius autem restauratricem virtutem in Christo exhibitam, admittere, novamque vitam ingredi renuat; næ vero hic talis nihilominus damnabitur, atque nec hilum illi proderit clamare *Domine, Domine!* sed audire cogetur illud terrible: *Nescio vos.* Certum enim est, *non omnes, qui dicunt Domine, Domine, regnum cœlorum intraturos; verum eos tantum, qui faciunt voluntatem Patris cœlestis*, Matth. VII, 21. Quo terribili divinæ Majestatis decreto omnium omnino ordinum homines comprehendi, manifesta res est. Quotquot enim veram internamque pœnitentiam agere recusant, nec novæ

LIB. I. CAP. V.

novæ in Christo creaturæ fiunt, nos viciſſim Chriſtus pro ſuis non agnoſcet.

CAPUT V.

Quid ſit vera Fides.

1 Jo. V, 1: *Quiſquis credit Jeſum eſſe Chriſtum illum, ex Deo natus eſt.*

FIDES eſt ſolida fiducia, firmaque & certa perſuaſio de gratia Dei in Chriſto promiſſa, de peccatorum remiſſione vitaque æterna, per verbum Dei & Spiritum ſanctum in cordibus noſtris accenſa. Per hanc fidem confertur nobis remiſſio peccatorum, idque gratis, nullo noſtro, ſed ſolius Chriſti merito, atque ex mera gratia; ut fides noſtra firmo ſolidoque fundamento innixa, conſiſtat immobilis. Atque hæc peccatorum remiſſio eſt juſtitia noſtra, vera illa, ſolida æternaque coram Deo. Neque enim Angelorum eſt, ſed filii Dei juſtitia, obedientia, merito ac ſanguinis ejus acquiſita lytro, & per fidem in noſtram proprietatem tranſiens. Licet autem hoc in magna infirmitate perficiatur, ſollicitantibus ſubinde multis peccatis, conteguntur tamen hæc velo Gratiæ propter Chriſtum, *Pſal.* XXXII, 2.

Proprietas ueræ fidei.

2. Et per hanc ſolidam firmamque fiduciam cor ſuum penitus Deo dedicat homo, in illo ſolum acquieſcit, huic uni unice adhæret, cum hoc uno unitur, omnia, quæ ſunt Dei & Chriſti, participans, unuſque ſpiritus cum Deo factus, novum ex illo robur ac vires, novam vitam, nova gaudia, pacem, lætitiam, animæ ſabbathum & quietem, juſtitiam denique & ſanctitatem haurit. Quod ecquid tandem

tandem est aliud, quam regenerari per fidem? Ubi enim vera fides est, ibi Christus est cum omni sua justitia, sanctitate, redemtione, merito, gratia, remissione peccatorum, adoptione & hæreditate vitæ æternæ. Atque hæc est illa nova nativitas, & Regeneratio ex fide in Christum promanans. Unde epistola ad *Ebr.* XI, 1. fidem vocat *hypostasin*, hoc est, indubiam, solidam, firmamque fiduciam rerum talium *quæ sperantur*, certaque manifesta, ac clara convictio & experientia rerum *quæ non cernuntur*. Quippe tanta tamque efficax est vivæ fidei consolatio in cordibus nostris, ut illa non possit non animum convincere, arguendo scilicet ab experientia ipsa & gustu summi Boni interno, hoc est, a quiete & pace in Deo, in omnes animæ facultates suaviter se insinuante. Unde tanta tandem existit persuasio, ut morte Christianus obsignare illam non dubitet. Atque hoc est illud robur spiritus & hominis interioris, hic vigor, hæc alacritas fidei sive *parrhesia*, Eph. III, 12. Phil. I, 4. 1 Joh. II, 28. cap. III, 21. Hoc *gaudium in Deo*, 1 Thes. II, 2. Hæc denique *plerophoria*, & immobilis illa firmissimaque animi certitudo, 1 *Thes.* I, 5.

Nova nativitas.

Efficacia veræ fidei.

Justificati fide pacem habemus.

Certitudo fidei.

3. Etenim pro quo mortem oppetere audebo, id sane non potest non prius animo meo firmissime esse persuasum, perque Spiritum sanctum intimis sensibus meis infixum impressumque; tum vero vivam, intimam potentissimamque consolationem esse oportet, unde animo accedat supernaturale, divinum ac cœleste robur, ad vincendum mortis metum, amoremque mundi in me penitus extinguendum. Tantam dico tamque solidam & certam prolepsin sive persuasionem, tantamque unionem cum Christo esse oportet, ut

neque

neque mors, neque vita illam diſſolvere valeat, *Rom.* VIII, 38. Unde etiam Joannes pronunciat, *Omne, quod ex Deo natum ſit, mundum vincere*, 1 Jo. V, 4.

Ex Deo natum eſſe non eſt opus mortuum.

4. Hinc jam pateſcet credo, *ex Deo naſci*, non eſſe opus quoddam evanidum & umbratile, ſed rem potius in anima vivam potentiſſimeque efficacem. Nam vel cogitare nefas ſit, Deum gigniere fœtus emortuos, vel picta quædam & exanima rerum ſimulacra. Quin potius ſic ſtatuendum eſt, non poſſe non a Deo vivo procreari hominem novum vitaque ac potentia indutum. Jam cum *fides noſtra ſit victoria, per quam mundum vincimus*, 1 Jo. V, 3. quis dubitet, id quod vincere debeat, pollenti robore maximiſque viribus eſſe inſtructum? Fidemque noſtram, cui a Deo præceptum ſit mundum vincere, oportere eſſe vivam, victricem, efficacem, operoſam divinamque quandam vim & influentiam? immo Chriſtum ipſum fide digne apprehenſum & animo intimiſque ſenſibus noſtris unitum, omnia jam in nobis operari? Atque per hanc virtutem Dei in Deum redimus, erga Deum intime afficimur, in Deum transferimur, & ex *Adamo*, tanquam ex viti maledicta, in *Chriſtum*, vivam illam & benedictam vitem, tranſplantamur, *Jo.* XV, 4; ſic, ut in Chriſto omnia ipſius bona poſſideamus & juſtificemur.

Viva eſt & victrix, ſi modo vera fides.

Quid ſimus in Chriſto & extra illum.

5. Sicut ſurculus arbori bonæ inſitus, in eadem viret, floret, fructuſque profert; extra illam autem exareſcit & emoritur; ita homo extra Chriſtum vitis eſt maledicta, omniaque ipſius opera peccata ſunt: *Vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi*, Deut. XXXII, 32, 33; in Chriſto vero beatus eſt & juſtus. Unde ſanctus Paulus ait, 2 *Cor.* V, 21: *Eum*,

Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.

6. Atque hinc quidem manifeſte patet, opera non poſſe juſtificare; quippe cum ante in Chriſtum per fidem inſeri ac juſtificari oporteat, quam ullum opus bonum præſtare poſſis; ſitque adeo juſtitia tua donum Dei gratuitum, omnia noſtra merita præveniens. An forte dicemus, poſſe hominem mortuum ex ſe videre, ſtare, & boni aliquid agere? Opinor ſane, ſi prius ad vitam ſit revocatus. Itaque nec tu, qui per peccata mortuus es Deo, ullum opus Deo placens præſtare poteris, niſi antea per Chriſtum ad vitam fueris reſuſcitatus. Quo conſtituto, ſequitur, juſtitiam tuam ſolum ex fide in Chriſtum promanare. Fides autem ſe habet ceu recens in lucem editus infantulus, debilis, infirmus ac nudus, expoſitus oculis Servatoris ſui; a quo, ut parente ſuo, recipit juſtitiam, probitatem, ſanctitatem, gratiam & Spiritum ſanctum.

Juſtificatio non eſt ex operibus;

Sed ex Chriſto.

7. Atque hoc modo nudus ille omnibuſque deſtitutus infantulus a Dei miſericordia veſtitur, ſublatiſque ambobus brachiolis recipit a Deo gratiam, ſalutem, & ſanctitatem. Sola ergo, ſola hæc receptio facit pium, ſanctum & beatum.

Juſtitia noſtra quæ?

8. Igitur vera noſtra juſtitia tantum ex fide eſt, nequaquam vero ex operibus. Ex *fide* dico, quæ Chriſtum apprehendit, quantus quantus eſt, cum omnibus ſuis bonis, eumque ſibi proprium facit vindicatque. Tum vero neceſſe eſt, cedere ac faceſſere procul peccatum, mortem, Diabolum & infernum; adeoque tam potenter, vivide & efficaciter meritum Chriſti per fidem in te agit &

Fidei ſubeſt mors, infernus, peccatum.

& operatur, ut ſi vel totius mundi peccata ſolus portares, ea tamen nocere tibi non poſſint.

Fides induit totum Chriſtum & renovat hominem.

9. Poſteaquam nunc Chriſtus per fidem in te vivit ac habitat, abſit ut in animum inducamus, inhabitationem ejus opus eſſe mortuum, ſed vivum potius & efficax, quod ipſa ſequitur mentis Renovatio ex Chriſto per fidem derivata. *Duo* enim fides præſtat: *primum* in Chriſtum te tranſplantat, illumque tibi, quantus quantus eſt, dono dat; *deinde* renovat te in Chriſto, ut in ipſo vireas, floreas & vivas. Neque enim alia cauſa ſurculus arbori inſeritur, quam ut in ipſo vireſcat & fructus ferat. Et ſicut per apoſtaſiam *Adami* perque Diaboli dolum & ſeductionem, ſparſum eſt in hominem *ſemen ſerpentis*, h. e. ipſa natura diabolica, quæ deinde in arborem, ferentem fructus mortis ſuccreſcit: Ita per verbum Dei & Spiritum ſanctum fides in cordibus noſtris, velut *ſemen Dei* ſeritur, in quo mirabili prorſus modo deliteſcunt omnes divinæ virtutes proprietateſque, imo ipſa Dei indoles, ex qua poſtmodum efflureſcit nobiliſſima illa & nova imago Dei, arborque nova exurgit, cujus fructus ſunt charitas, patientia, humilitas, manſuetudo, pax, caſtitas, juſtitia, novus homo, totumque adeo regnum Dei. Vera quippe & ſalvifica fides renovat totum hominem, emundat cor, repurgatumque & liberum a rebus terrenis, Deo unit & adglutinat, eſurit ſititque juſtitiam, operatur charitatem, confert pacem, gaudium, patientiam, ſolamen ſuppeditat in adverſis, vincit mundum, facit filios Dei, omniumque bonorum cœleſtium hæredes, cohæredes autem Chriſti. Quod ſi vero quis hujus gaudii, quod ex fide eſt, expertem ſe videat, ita, ut parum de divina hac fidei plerophoria

Fides eſt ſemen Dei.

Conſolatio modicam fidem habentium.

deguſtet

deguſtet, immo modicam admodum fidem tenuemque percipiat, is tamen caveat, ne deſpondeat animum; potius autem confidat gratiæ promiſſæ in Chriſto, quæ certa manet, immobilis ac ſempiterna. Et utut per infirmitatem humanam cadamus ſubinde ac ceſpitemus; illud tamen ſemper ratum certumque no is ſit, gratiam Dei ſolidam firmamque permanere, ſi modo per veram ſeriamque pœnitentiam ſurgamus. Chriſtus enim eſt eritque Chriſtus & Servator, ſive firma, ſive debili fide apprehendatur. Tenuis fides tantum complectitur, quantum firmior, Chriſtum ſcilicet, quantus quantus eſt. Gratiæ promiſſio univerſalis eſt & perpetua; & huic fides innitatur, vel debilis ſit, vel firmior jam facta. Interea autem bona ſpe pectus tuum langueſcens erige! Suo tempore intimiori gaudii ſenſu Deus te afficiet, utcumque aliquantiſper in cordis tui penetralibus illud jam abſcondat. *Pſal.* XXXVII, 24. LXXVII, 8, 9, 10. De quo argumento pluribus *Lib.* II.

CAPUT VI.

Quomodo verbum Dei per fidem in Homine vim ſuam exſerere ac vivere debeat.

Luc. XVII, 21. *Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.*

QUIA in *Regeneratione* & renovatione hominis ipſe chriſtianæ Religionis cardo verſatur, idcirco ſummus Deus ea, quæ per fidem in homine *ſpiritualiter* fieri & adimpleri oportet, ſcripto exterius conſignari, totumque novum hominem in verbo ſuo depingi

Totus novus homo in ſcriptura depictus eſt.

LIB. I CAP. VI.

pingi & delineari voluit. Etenim cum verbum sit *Semen* Dei in nobis, progerminet sane necesse est, & in fructum succrescat, ita, ut ex verbo per fidem hoc in nobis nascatur, quod scriptura exterius docet & tradit. Hoc nisi fiat, scriptura nihil quam semen emortuum nobis erit, & embryo quidam vitali adhuc principio destitutus. In *fide* dico & *spiritu* gustanda ea sunt, experienda, intimisque sensibus percipienda, quæ scriptura ut verissima dictat & enarrat.

Verbum Dei in nobis vivificari debet.

2. Neque enim eo consilio summus Deus scripturam manifestavit, ut velut litera mortua chartæ inhæreat, sed ut fide ac spiritu vivificans reddatur in nobis, seu in succum quod aiunt & sanguinem nostrum convertatur, succrescatque exinde & adolescat in nobis novus & internus homo. Hoc nisi fiat, inutilis prorsus scriptura erit. Omnia inquam, in fide & spiritu per Christum fieri & adimpleri in homine par est, quæcunque scriptura exterius docet. Ostendamus hoc exemplo *Caini* & *Abelis*, Gen. IV, 8.; quorum naturam, indolem & proprietates si penitius inspexeris, facile deprehendes, eam historiam, surrogatis modo in locum *Caini* & *Abelis*, veteris & novi hominis nominibus, in te identidem agi & iterari. Quid enim est illa utriusque simultas, quæ illæ *Caini* insidiæ, quas *Abelo* struit? quid, inquam, hæc aliud indigitant, quam assiduam luctam carnis & spiritus? quam inimicitiam inter semen mulieris & semen serpentis? Neque vero dissimilis est ratio ceterarum historiarum quas scriptura memorat. Ita per cœleste *diluvium* carnis corruptæ impetus inundandus est submergenduſque, justus autem & pius *Noa* in te servandus, pangendumque novum fœdus inter

inter te ac ſummum Deum, *Gen.* VII, 21. Adhæc turris *Babel* ſive confuſionis in te neutiquam ædificari debet, *Gen.* XI, 9. Egrediendum tibi eſt cum *Abrahamo* e cognatione tua, omniaque relinquenda ſunt, etiam vita ipſa, ut perfecte coram Deo & ipſius voluntati plene reſignatus, ambulare poſſis, divinæque benedictionis particeps factus, terram promiſſionis & regnum Dei tandem ingrediaris. Neque enim aliud vult Chriſtus, *Matth.* X, 37. Luc. XIV, 26: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem ſuam, & uxorem & filios & fratres & ſorores, imo & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Nimirum his omnibus potius quam Chriſto, valedicendum eſt. Cum eodem *Abrahamo* pugnandum tibi eſt adverſus *quinque reges*, qui in te ſunt, carnem dico, mundum, mortem, Diabolum & peccatum, *Gen.* XIV, 14. Exeundum tibi eſt cum *Lotho* ex *Sodoma* & *Gomorrha*, Gen. XIX, 17, 18; hoc eſt, abrenunciandum eſt vitæ impiæ hujus ſeculi, nec reſpiciendum cum uxore *Lothi*, ut jubet Chriſtus, *Luc.* XVII, 32. Verbo: Summus Deus Scripturam ſacram univerſam, ut fide & ſpiritu digeratur, conſignavit, omniaque *ſpiritualiter* in te impleantur. Huc pertinent jam omnia bella & prælia Iſraelitarum adverſus populos infideles ſuſcepta; quippe quæ ſub cortice literæ & hiſtoriæ, nihil aliud quam aſſiduam luctam carnis & ſpiritus nobis inſinuant. Huc etiam referenda ſunt, quæcunque extant de externo illo *ſacerdotio Moſaico, de tabernaculo, de arca fœderis, de propitiatorio.* Quæ ſingula ad te pertinent, cui incumbit per fidem & in ſpiritu orare, thura offerre victimaſque. Chriſtus Ieſus omnia hæc in te fieri debet, quippe qui univerſa

Lucta carnis & ſpiritus eſt pugna myſtica Abrahami. Myſtica Sodoma.

Typi veteris teſtamenti per fidem implendi.

LIB. I. CAP. VI.

hæc in novum hominem & ſpiritum ceu in epitomen quandam verbumque abbreviatum, contraxit, implenda in te fide, & nonnunquam unico ſuſpirio intus ſcaturiente. Nam homo ut totius naturæ breviarium eſt, centrum & microcoſmus; ita etiam Scripturæ ſacræ compendium, epitome & verbi viva expreſſio fiat, neceſſe eſt.

Totum novum teſtamentum in homine impleri debet.

3. Atque ut ad Novum Teſtamentum veniam; ecquid illud ſecundum literam aliud eſt, quam externum teſtimonium & exemplar, docens, quod omnia ſimiliter in homine *per fidem* ſint exprimenda implendaque? Totum inquam, totum novum Teſtamentum, quantum quantum eſt, in nobis ſit oportet; atque hoc unum illud eſt, quod exigit, urget & inculcat; hoc ſcilicet, quod *regnum Dei in nobis eſt*, Luc. XVII, 21. Itaque quemadmodum Chriſtus per Spiritum ſanctum in fide a *Maria* conceptus & editus fuit; ita idem in me ſimiliter *ſpirituali* modo concipi, formari, naſci & adoleſcere debet. Et quia in Chriſto nova creatura ſum, ſequitur, in eo vivendum mihi etiam & ambulandum eſſe. In eo & cum eo eundum in exilium, cum eo exercenda humilitas, contemtus ſeculi in patientia, in manſuetudine, & charitate ferendus. Condonandæ inimicis ſunt injuriæ, exhibenda miſericordia, amandi ſunt adverſarii, & ita exequenda voluntas patris cœleſtis. Sequitur etiam cum Chriſto tentandum me eſſe a Satana, reportandam vero etiam de illo victoriam. Sequitur veritatis cauſſa, quæ in me eſt, deridendum me eſſe, contemnendum, conſpuendum, & ſi neceſſitas exigat, pro & cum illo exemplo ſanctorum moriendum, in teſtimonium coram ipſo cunctiſque electis, quod ille in me,

Chriſti vita in nobis.

me, & ego in ipſo per fidem fuerim vixerimque. LIB. I. CAP. VI.

4. Atque hoc demum illud eſt, quod dicitur *conformari imagini Chriſti*, puta in & cum illo naſci, Chriſtum induere, cum & in illo creſcere ac adoleſcere, exulare cum illo, tingi ipſius baptiſmo, cum illo derideri, commori, concrucifigi, conreſurgere, & conregnare; idque non tantum per ſanctam illam crucem, patiendo tolerandoque adverſa, ſed per quotidianam pœnitentiam internamque contritionem & dolorem de commiſſis peccatis. *Chriſti mors & reſurrectio in nobis.*

5. Hoc inquam modo quotidie Chriſto *commoriendum* eſt, crucifigendaque caro noſtra, ſi deſideres, communionem cum illo ceu capite, conſtanter habere. Aliter ſi fiat, tum vero non in te, ſed extra te Chriſtus eſt, procul a fide, corde & ſpiritu. Quo pacto nihil tibi proderit; nam intus & in corde tuo eſſe, vivere, teque conſolari & ſalvare vult. *Chriſtus debet eſſe in nobis.*

6. Ecce! Omnia hæc fides præſtat, dum vivificam verbi virtutem in te diffundit, eſtque velut teſtis vivus ac locuples in te de omnibus his, quæ in Scriptura ſacra ſunt conſignata. Atque hoc ſenſu fides dicitur *Hypoſtaſis* ſive ſubſtantia, *Ebr.* XI, 1. *Omnia in fide impleri debent.*

7. Ceterum ex his, quæ diximus hactenus, abunde apparet, omnes conciones & ſermones Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum, Scripturamque adeo univerſam, hominem ipſum reſpicere, & cujuſlibet reſtaurationem aſſiduo urgere. Omnes parabolæ & miracula, quibus hiſtoria Chriſti reſplendet, reſpectum ad me, & ad quemlibet ſingulatim habent. *Tota ſcriptura hominem ſpectat.*

LIB. I. CAP. VI.

Christi miracula spiritualiter in nobis.

8. Omnia inquam hæc consignata literisque mandata fuerunt, ut *spiritualiter* in nobis adimpleantur. Ita cum lego, Christum alios curavisse, idem & mihi de illo polliceri possum, cum idem in me sit vivatque Christus. Cum illuminaverit cœcos, spem hinc concipiam, me *spiritualiter* cœcum, ejus gratia & benedictione similiter visum recuperaturum. Mitto nunc cætera miracula, cum sit eadem ratio singulorum. Tu modo cœcum, claudum paralyticum, leprosum, inque peccatis mortuum te agnosce & confitere, quo vivificam suam & *restaurativam* virtutem tibi applicare possit, tu vero partem habeas in resurrectione prima.

Litera scripturæ

9. Summa: omnia quæ Scriptura in litera docet, per fidem *in homine* sunt implenda. Sic imaginem Dei ab extra depingit Scriptura; at quam intra me per fidem esse oportet. Sic regnum Dei secundum literam, sic Christum ut extra est, exhibet; sic etiam *Adamum*, *Adami* apostasiam & redemptionem per Christum factam, novam Hierosolymam, regenerationem, novam denique creaturam in litera tradit; quæ autem omnia in me per fidem existant; immo hæc esse debeo IPSE, aut Scriptura nihil mihi prodest. Atque hactenus de fide, & divino illius opere in nobis, immo de opere ipsius Dei & de regno Christi in cordibus nostris per fidem stabiliendo.

CAPUT

CAPUT VII.

Quomodo Lex Dei in omnium hominum cordibus ſcripta ſit, ut ſint in Die judicii inexcuſabiles.

Rom. II, 14, 15. *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, oſtendunt, opus legis ſcriptum in cordibus ipſorum.*

CUM ſummum Numen hominem ad imaginem ſuam, in perfecta juſtitia & ſanctitate crearet, illumque omnis generis divinis virtutibus, quaſi aliquod artis ſpecimen & opus inimitabile, ornaret, accuratiſſimeque elaboraret; tres illius conſcientiæ adeo firmiter infixit atque impreſſit *characteres*, ut in æternum deleri aut eradi nequeant. Primus eſt *Naturale teſtimonium de Deo*; ſecundus *Notitia connata extremi judicii*; tertius *Lex naturæ*, ſive naturalis juſtitia, per quam honeſta inhoneſtaque vulgo diſcernuntur, tum gaudium & triſtitia conciliantur. *Tres notitiæ animæ implantatæ.*

2. Nulla enim unquam natio tam fera & barbara extitit, quæ non agnoſceret Deum aliquem eſſe; arguente & evincente hoc natura, cum internis tum externis rationibus quam firmiſſime. Immo non Deum tantum eſſe agnoverunt, ſed *juſtum* etiam illum eſſe, a propria conſcientia edocti fuerunt; hinc modo aculeos & terribiles cruciatus, modo internam voluptatem tranquillitatemque experti ſunt; unde deinceps collegerunt, Deum *juſtum* eſſe oportere, & cum malorum vindicem, tum bonornm remuneratorem. Ex *Lumen naturæ.*

LIB. I. CAP. VII.

hac notitia porro ad dogma de *animæ immortalitate* ſunt progreſſi; ut ex *Platone* patet, qui uberrime hanc materiam excuſſit. Denique ex hac lege naturæ ſive connato nobis amore, concluderunt, Deum eſſe cauſſam autoremque boni in natura, cujus proinde optimus ac verus cultus ſit virtutis ſtudium, & animus a vitiis expurgatus. Quocirca ipſum ſummum Bonum *Virtute* definiverunt, ſuntque a *Socrate* & aliis Philoſophis virtutum moralium ſcholæ ea cauſſa inſtitutæ apertæque. Quæ res documento nobis eſt, Deum ſcintillam luminis naturalis, & velut quoddam veſtigium inſitæ homini notitiæ ſcientiæque de Deo, etiam poſt lapſum reliquiſſe; ut inde originis ſuæ admoneretur homo, hæcque veſtigia ſequendo, ad Conditorem ſuum tandem rediret. Neque hoc nonnulli ethnicorum ignoraverunt; interque illos poeta *Aratus*, cujus effatum a Paulo *Act.* XVII, 28. *Dei genus ſumus* allegatum eſt; & *Manilius*, cujus ſunt iſta:

Scintillæ naturalis Theologiæ.

An dubium eſt, habitare Deum ſub pectore noſtro,
In cœlumque redire animas, cœloque venire?

3. Porro quia gentes hoc naturale de Deo teſtimonium & conſcientiam inſuper habuerunt, & quod ſequitur inde, ipſum etiam Creatorem; hinc vero ſua culpa ſuoque merito condemnabuntur & erunt penitus inexcuſabiles. Quippe hoc modo Paulus *Rom.* I, 19, 20 argumentatur: Qui ſcit Deum eſſe, nec ſtudet illum recte cognoſcere & colere, hic in die judicii erit inexcuſabilis. Gentes autem cum juſtitiam Dei cognoviſſent, edocti videlicet a naturali conſcientia, *quoniam qui male agunt digni ſunt morte*, quia *non modo malum operati, ſed eodem delectati ſunt*; hinc vero

Ethnici inexcuſabiles.

vero ſeipſos condemnaverunt, Rom, I, 32. Et Rom. II, 15. pronunciat, *cogitationes ipſorum inter ſe invicem accuſantes aut excuſantes, documento illis fuiſſe, adfuturum diem, in quo judicaturus ſit Deus occulta hominum.* Quod ſi gentes eo ſunt inexcuſabiles, quod naturali Dei notitia præditæ, contra conſcientiam Deum non quæſiverunt; quem excuſationis prætextum adducent illi, quibus Deus verbum ſuum manifeſtavit, & quos per Chriſtum filium ſuum unigenitum invitavit ad pœnitentiam, *h. e.* ut a peccatis abſiſtant, declinentque ab operibus malitiæ, ad participandum fide meritum Chriſti, & obtinendam ſalutem æternam?

Pſeudo-chriſtiani minus excuſabiles quam ethnici.

4. Quocirca quilibet pſeudo-chriſtianus in illa die a duobus graviſſimis teſtibus damnabitur, a *conſcientia* inquam, ſive lege naturæ, & *verbo Dei revelato.* Unde terribilis ſententia ſequetur juxta quam aſſerit Chriſtus, *in illa die cum Sodoma & Gomorrha mitius actum iri, reginamque auſtri ſurrecturam ad condemnandum hoc genus peſſimum*, Matth. XI, 24. XII, 42.

Duo teſtes impios damnabunt.

5. Quia vero ſummum Numen animam immortalem condidit, in anima autem conſcientiam erexit, quæ nunquam Dei obliviſci, nec ad Deum tamen pervenire poterit; hinc exiſtent terribiles ac exquiſitiſſimi illi in anima cruciatus, pœnæque damnatorum æternum duraturæ.

Animæ æterni cruciatus unde.

6. Quæ etiam tanto graviores ſunt futuræ, quanto amplius *per cor impœnitens Dei iram cumulaverunt in diem judicii*; Rom. II, 5. Sicut enim ſummum Numen juſtiſſimo judicio gentes propterea in reprobum ſenſum dedit, quia internam naturæ legem & conſcientiam, ceu juſtitiam Dei inſcriptam cordibus illo-

Cur inter chriſtianos ſcelera ipſis ethnicis ignota.

LIB. I. CAP. VII.

rum rejecerunt, illique ut Deo ipsi contumaciter restiterunt, unde intellectu obtenebrati, in fœda & abominanda quæque flagitia cœco impetu ruerunt, per ea justam Dei iram sibi cumulantes: Ita quicunque Christi nomen jactant, utrumque tamen cum *internum* tum *externum* verbum & testimonium Dei susque deque habent, pœnitentiamque agere nolentes Spiritui sancto obsistunt, Deumque blasphemant; Deus illos dat in sensum reprobum, ut deteriores fiant Ethnicis & Turcis, *immittitque præterea illis errores terribiles, ut credant mendaciis, & puniantur omnes illi, qui delectantur injustitia*, 2 Thess. II, 11, 12.

7. Inde est, quod tam abominanda ubique flagitia inter Christianos grassentur, tot exquisitæ malitiæ peccata christianum orbem pervadant: quod pompa & superbia satanica, avaritia insatiabilis, turpissima intemperantia, libido belluina, & omne genus inhumanissimorum facinorum, quæ omnia ex occæcatione, indu-

Qui Christum sequi nolunt, Satanam sequuntur.

ratione ac reprobo sensu originem trahunt, ubique cumulatissime conspiciantur. Nimirum quia Christiani in vita sua ac conversatione abjectum, pauperem, mansuetum ac humilem Christum sequi non modo dedignantur, sed in illo offenduntur etiam, pudori sibi ducentes vitam ipsius sanctissimam sedula imitatione exprimere, cum tamen illum ut lucem mundo dederit Deus, ac vestigia ejus premi jusserit. Hinc inquam idem justissimus Deus permittit, ut Satanam sequentes, vitam prorsus diabolicam assumant, abominabilem & omni genere nequitiæ, mendacii & immisericordiæ refertam, ad perpetrandum quæque opera tenebrarum. Ratio est, quia in luce ambulare nolunt, in tenebras prolabuntur eo graviores, juxta illud Christi *Jo.* XII, 35:

Ambulate

Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ deprehendant.

8. Denique ſi Deus ethnicos adeo terribilis cæcitatis judicio & ſenſu tam reprobo ea propter punivit, quia legem naturalem tenuem illum lucis radiolum in naturali conſcientia ſcintillantem, ſequi recuſarunt, vel ut habent verba Pauli *Rom.* I, 28. *non probaverunt habere Deum in notitia*, adeo ut propria culpa ſalute exciderint; annon jure longe majori æternæ beatitatis jactura mulctandi illi erunt, quorum cordibus non modo naturâ, ſed per verbum etiam revelatum ipſumque novum fœdus, verbum Dei inſcriptum eſt, hanc tamen gratiam & felicitatem ſuſque deque faciunt? De quo novo fœdere *Jer.* XXXI, 33. legitur: *Hoc erit pactum: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Et non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: cognoſce Dominum; omnes enim cognoſcent me a minimo eorum uſque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.* *Novum fœdus cordibus inſcriptum.*

9. Pariter dicitur Ebr. X, 26: *voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam exſpectatio judicii & ignis fervor, qui conſumturus eſt adverſarios. Irritam quis faciens legem Moyſis, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit, Mihi vindicta, & ego retribuam.* Et iterum: *Quia judicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* Qua

graviſſima

gravissima sententia procul dubio feriuntur non illi, qui ex humana imbecillitate impingunt; sed qui scientes volentesque contra agnitam veritatem peccant, & in impœnitentia perseverant.

CAPUT VIII.

Sine vera Pœnitentia neminem posse Christum & illius Meritum sibi vindicare.

Exod. XII, 48. *Immundi non poterant facere Phase.*

VERBA sunt Servatoris nostri *Matth.* IX, 12, 13: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Quibus clare docemur, vocasse quidem Christum peccatores, verum ad pœnitentiam; hinc vero sequitur, *neminem accedere ad Dominum posse absque pœnitentia*, seu quod idem, absque conversione a peccatis, & fide sincera.

Quid vera pœnitentia sit?

2. Nihil enim aliud est *pœnitentia*, quam per veram contritionem doloremque peccatis mori, perque fidem remissionem illorum obtinere, & justitiæ vivere in Christo. Huic pœnitentiæ præcedat necessario seria divinaque contritio, qua cor vere humilietur, caro autem crucifigatur. Unde *Ebr.* VI, 1. de pœnitentia loquitur Apostolus quæ fit *ab operibus mortuis*, h. e. per ipsam a talibus operibus absistere jubemur, quorum stipendium mors est.

3. Quod si hoc non fiat, tum profecto meritum Christi nec hilum nobis prodest. Etenim

enim Christus noſtrarum animarum ſe medicum profitetur, & ſacroſanctum ſuum ſanguinem unicam & veriſſimam contra peccata noſtra medicinam eſſe, declarat.

4. Jam nulla, quantumvis pretioſiſſima medicina, ægro ſalutem afferre poterit, niſi hic a noxiis & efficaciam medicamenti retundentibus abſtinere velit. Illud jam hinc pariter inferre liceat, Chriſti ſanguinem mortemque nihil prodeſſe illis, qui a peccatis abſtinere nolunt. Unde Paulus *Gal.* V, 21. ait: *Quicunque talia* (opera carnis) *agunt, regnum Dei non conſequentur*, neque Chriſti fient participes.

5. Adhæc, ut Chriſtus medicum ſuum ſanguinem applicare nobis poſſit, quis dubitet prius ægrotare nos debere? Nam *ſani medico opus non habent, ſed infirmi*, Matth. IX, 12. Nullus autem ſpiritualiter æger eſt, qui pœnitentiam non agit, qui propter peccata ſua ex intimis ſenſibus dolere & contriſtari recuſat, qui non habet cor contritum & humiliatum, qui iram Dei peccatis concitatam non expaveſcit, nec vanas ſeculi voluptates evitare ſerio allaborat; e contrario vero honori, opibus & voluptatibus ſecure inhians, nullatenus de peccatis ſuis angitur. Tales inquam, & qui ita ſunt comparati, non ægrotare, adeoque nec medico indigere, *i. h. e.* Chriſtum nihil ipſis profuturum, res eſt manifeſta.

6. Iterum ergo, iterumque ad animum hoc probe revocetur! Nimirum Chriſtum peccatores invitaſſe, verum *ad pœnitentiam*: quia nempe pretioſiſſimi ſanguinis, mortis ac meriti Chriſti cor pœnitens, contritum, anxium & fide imbutum, ſolum & tantum capax eſt.

LIB. I. CAP. VIII.

7. O beatum vero illum, quisquis intus & in corde suo hanc sanctam vocationem persentiscit! Divinum hunc mœrorem angoremque de peccatis puto, *qui operatur pœnitentiam in salutem stabilem*, ut sunt verba 2 *Cor.* VII, 10. Hanc divinam tristitiam producit Spiritus sanctus per *legem* & seriam meditationem passionis dominicæ: quippe quæ non tantum gratiæ documentis abundat; sed simul gravissimam ad pœnitentiam in se habet paræneſin, & speculum terribilissimum iræ divinæ exhibet. Nam si causſam acerbissimæ illius mortis inquiramus, ecquam dicere possumus aliam, quam peccata nostra? Cui si jungas amorem divinum, ex quo pro nobis filium suum Deus dare non dubitavit; tum vero terribile & admirandum divinæ justitiæ clementiæque paradigma habebis.

Spiritualem tristitiam Deus operatur.

Passio Christi est causa efficiens pœnitentiæ.

8. Quæ cum ita sint, quis tandem Christum sincere amans, poterit peccatis adhuc delectari, quæ noverit Christum tam vita sua quam sanguinis effusione luisse & expiavisse? Considera proinde, O homo, qui *superbiæ* servis, & ambitionis es mancipium, quo contemptu quantaque *humilitate* nostram superbiam ac insolentiam debuerit reparare Christus Jesus! Perpende illius *paupertatem*, quam ut satisfaceret pro tua *avaritia*, promptus subiit, ac desine tandem, per Deum! inhiare opibus, & divitias cupidine insatiabili coacervare. Ille incredibili nec verbis exprimendo animi *cruciatu* ac mœrore, carnis tuæ voluptates & concupiscentias luit; & tu contra carnis pruritum implere non dubitas! Et quomodo poteris tandem voluptatem & delectationem ex iis rebus capere, quæ Christo fuerint multo acerbissimæ? Ille tuam iracundiam, odium, inimicitias, rancorem, viruleu-

Fructus passionis Christi.

tiam,

tiam, vindictæ libidinem & implacabilitatem, extrema manſuetudine ac patientia expiare neceſſum habuit; & tu non dubitas ob leviſſimam quamque cauſſam excandeſcere, immo vindictam ipſa vita jucundiorem ducere? Hincne dulcedinem capis, propter quod Redemptori tuo amariſſimus mortis calix hauriendus fuit? LIB. II CAP. VIII.

9. Quocirca quotquot Chriſti nomen gerunt, nec tamen a peccatis abſiſtunt, iſti, inquam, *denuo Chriſtum crucifigunt & ignominiæ exponunt*, ut extat *Ebr.* VI, 6. Itaque impoſſibile eſt, illos participes fieri meriti Chriſti, quem ſcilicet *pedibus conculcant*; ut iterum dicitur *Ebr.* X, 29. Et quia *ſanguinem teſtamenti pollutum ducunt*, nec vere credunt, expiata illo eſſe peccata ipſorum, nec magni faciunt, ſui cauſſa illum effuſum eſſe; quia inquam, *Spiritui gratiæ contumeliam faciunt*, h. e. illum contemnentes ac repellentes, oblatam ſummam maximamque gratiam vita ſua profligata rejiciunt, derident exibilantque, ſanguis tandem Chriſti pro ipſis effuſus vindictam contra illos clamat, & juſto Dei judicio (quod auditu eſt horribile!) illos tandem permittit ac tradit. *Vere enim horrendum eſt, incidere in manus Dei viventis*, Ebr. X, 29, 30, 31. Deus enim noſter Deus vivus eſt, non autem idolum aliquod emortuum, ut ſupercilioſam hanc gratiæ ſuæ exploſionem & contemptum vindicare nolit aut nequeat.

Impœnitentes Chriſtum denuo crucifigunt.

Sanguis Chriſti clamat vindictam contra impios.

10. Quam quidem ultionem iramque divinam ipſa etiam conſcientia his intentat & comminatur, qui ſcilicet audientes filium Dei mortem terribiliſſimam propter peccata ſubiiſſe, ab illis tamen deſiſtere nullo ſtudio contendunt.

11. Atque

Cur Deus ab omnibus exigat pœnitentiam.

11. Atque hæc causa est, quare statim a morte Christi pœnitentia per orbem universum fuerit prædicata; cum quod illam pro totius mundi peccatis oppetiisset; tum ut ubivis locorum homines pœnitentiam agerent, sicut scriptum *Act.* XVII, 30. & divinam illam panaceam corde contrito, pœnitenti & sincero sibi applicantes, *finem* eminenti hoc dono divinitus collato, *intentum*, assequerentur.

Sine pœnitentia peccata non remitti.

12. Etenim post hanc præviam pœnitentiam serio factam, remissio peccatorum illico est consecutura. Neque enim possibile est, ei peccata remitti, qui non dolet se peccavisse, immo adhuc peccare gaudet. Tum vero nihil ineptius est magisque præposterum, quam peccatorum remissionem desiderare, & tamen nullo modo peccato velle renunciare; aut, quod eodem redit, Christi meritum sibi asserere, & tamen in peccatis volutari, quæ Christo mortem conscíverint.

Pseudochristianorum falsa fides.

13. Eheu! Quam multi sunt qui nunquam seria pœnitentia tacti, peccatorum tamen veniam expoſcunt! Qui nec hilum ab ira sua, avaritia, superbia, odio, invidia, hypocrisi & injustitia remiserunt, quin potius plenis gressibus in quævis flagitiorum genera ruunt; audent tamen (quæ est ipsorum cæca demensque impudentia!) Christi meritum vana jactantia sibi *imputare*. Tales certe in propria viscera cœco mentis impetu sæviunt, a cordis fraudulenti technis eousque fascinati, ut credant, esse se bonos christianos, dum modo sciant credantque, Christum pro ipsorum peccatis mortuum esse. Et hoc est medium quo salutem se consecuturos, vana confidentia sibi persuadent! Eheu infelicem hominem! Quousque profanæ mentis tenebris abreptus es, ut in tam ardui momenti negotio miserrime fallaris!

laris! Non enim verbum Dei docet hac ratione vitam æternam obtineri! Nullus unquam Prophetarum aut Apoſtolorum ad hunc modum nos inſtruxit; hæc vero, hæc illorum unanimis eſt ſententia: *Tu, qui peccata tua tibi condonari poſtulas, prius pœnitentiam age, abſiſte a peccatis, & aliquando peccaviſſe ex animo & ſerio dolens, in Chriſtum crede.* LI B. I R. C. A. P. VIII.

14. Quomodo autem pœnitenti peccatorum ſenſu afficietur homo, qui ea in poſterum vitare nunquam in animum inducit? Aut quomodo fugiet, quæ admiſiſſe non dolet? Ea propter Chriſtus cum omnibus Prophetis & Apoſtolis inculcat, *moriendum eſſe mundo* & peccato, puta ſuperbiæ, avaritiæ, libidini, iracundiæ, odio, redeundumque ex toto corde ad Dominum, ut hoc demum ordine Gratiam obtineas. Hoc facto, jam a peccatis abſolutus & liber es; jamque cœleſtis medicus te reſpicit, qui non niſi *corda contrita* ſanat, *Pſal.* CXLVII, 3. Aliam viam ſi ingrediaris, nihil tibi prodeſt Chriſtus, & inanis eſt & fallax ſpecioſa fidei jactantia. Vera enim fides renovat hominem, extinguit & mortificat peccata, vitali hominem principio ex Chriſto imbuit, ut in Chriſto fide vivat, ipſiusque charitatem, humilitatem, manſuetudinem & patientiam vita exprimat. Ecce! Ita demum CHRISTUS tibi *VIA* eſt ad vitam; & tu viciſſim in eo *nova creatura* facta 2 *Cor.* V, 17. Quod ſi vero peccati curſum perſequaris, & injuſtitiæ mori renuas, veteremque *Adamum* tuum vano ſolamine demulceas; cedo, quî nova poteris eſſe creatura? Aut quomodo Chriſti eſſe poteris, cum *carnem tuam nondum crucifixeris cum omnibus ſuis deſideriis & concupiſcentiis?* ut ait Apoſtolus *Gal.* V, 24. *Quid ſit mori mundo?*

15. I

Cultus Dei vanus.

15. I proinde nunc, & quotidie vel decem conciones auribus hauri, ſingulis menſibus confitere & ſacramentum frequenta. Fruſtra enim, fruſtra iſta ſunt omnia, nec remiſſionem peccatorum unquam aſſequentur. Ratio eſt, quia cor pœnitens, contritum & fidei cupidum deeſt; hoc enim ſalutaris hujus medicaminis tantum capax eſt. Sunt certe, ſunt ſacramenta & verbum Dei media & pharmaca ſalutifera & reſtaurativa, ſed non niſi apud hos, quos ex intimis ſenſibus peccaviſſe pœnitet, & corde ad Chriſtum aſpirante, accedunt. Quid enim prodeſt lapidi, ſi illum pretioſo pharmaco inungas? Aut quam meſſem facies, ſi inter ſpinas & tribulos ſeras? Exſtirpanda ergo prius tibi ſunt hæc ſpineta, ſemen bonum ſuffocantia, & prorſus eliminanda omnia, quæ fructum præpediunt. Verbo: in peccatis continuaturo, Chriſtus non prodeſt. Nullius uſus eſt Chriſti *Nativitas* ei, qui cum illo regenerari recuſat; nihil ſolaminis Chriſti *Mors* ei affert, qui commori peccatis detrectat; nihil Chriſti *Reſurrectio* ei prodeſt, qui in ipſo a peccatis reſurgere renuit; nihil denique Chriſti *Adſcenſio* ei, qui terrenis inhians, cœleſtem vitam contemptim habet.

Cui Chriſtus nihil profit.

Per ſolam pœnitentiam ſumus capaces meriti Chriſti.

16. Sin vero cum filio prodigo ſerio revertaris, peccata tua deplores, illaque odio jam proſequaris; tum autem a Deo illorum veniam efflagites, & in fide Chriſtum crucifixum illiuſque vulnera (ut olim Iſraelitæ ſerpentem adſpiciebant,) intuearis, dicendo: *Bone Deus, miſerere mei graviſſimi peccatoris!* Tum vero in promtu venia eſt, qua omnia omnino peccata gratioſe remittuntur.

17. Tanta nimirum eſt perfectio in Redemptione parta ſanguine Chriſti: Et tanta

eſt

eſt perfectio applicationis gratiæ & imputationis totius meriti Chriſti per fidem? Et veriſſimum eſt illud *Sap.* XII, 19: *Deus dat locum in peccatis pœnitentiæ*, condonans ſcilicet gratis & perfecte inque ſolidum pœnitentibus propter Chriſtum. Immo ſummopere Deus gaudet, exercere miſericordiam, & condonare peccata gratis. *Conturbata ſunt viſcera mea ſuper eum: miſerans miſerebor ejus*, ait Dominus, *Jer.* XXXI, 20. *Hoſ.* XI, 8. Quippe tunc mors Chriſti vim ſuam & efficaciam exerit, fructuſque ejus experimentali guſtu digne percipiuntur. Hinc eſt, quod Angeli exultent, videntes, virtutem Chriſti *reſtauratricem*, ſanguinemque effuſum digne ac divino ordine fuiſſe applicatum, *Luc.* XV, 7. LIB. I, CAP. IX.

CAPUT. IX.

Vita Antichriſtiana hominum hujus temporis Chriſtum & veram fidem abnegari.

2 Tim. III, 5. *Habent ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegant.*

QUIA nemo non chriſtianum ſe jactat, Chriſtiano tamen digna non præſtat, ſequitur, his moribus Chriſtum abnegari, contemni, derideri, blaſphemari, flagellari, crucifigi, occidi & exterminari; juxta Apoſtolum, qui ait *Ebr.* VI, 6: *quoſdam rurſus ſibi crucifigere filium Dei ac ignominiæ* exponere; itemque juxta Danielem, qui *cap.* IX, 26. prædicit, in diebus ultimis Chriſtum funditus fore eradicandum. *Chriſto vita impia illuditur.*

2. Quam prophetiam exponunt vulgo de Christo! Hierosolymis crucifixo, clamantibus Judæis: *Tolle, Tolle, Crucifige.* Matth. XXVII, 23. Eheu vero! latius hoc malum serpit, & Christus adhuc quotidie per vitam antichristianam ubique obviam, de medio tollitur, sic, ut ipsius vita vere sancta & divina nusquam fere inveniatur! Quicquid enim de fide & doctrina christiana crepes, si vita Christi desit, ipso etiam Christo destitutus es. Et quid tandem est fides absque vita christiana? Scilicet arbor sterilis & infrugifera; juxta Apostolum Judam, qui *v.* 12. pseudo-apostolos vocat *arbores emarcidas, infrugiferas, bis mortuas*, quibus jam totus terrarum orbis abundat. Id quod fore, Christus prædixit *Luc.* XVIII, 8: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Fidem hic intelligit non sane illam quæ totum mundum hodie pervasit, & secundum quam, religionem christianam ore profitentur omnes, operibus autem negant; quæque in hoc consistit, ut Christum verbis se amare dicant Christiani, reipsa tamen mundo adhærentes: Christi amorem negligant, sed hominem novum intelligit & regeneratum, arborem illam bonam, cum suis fructibus, hominem per fidem renovatum, & in quo Christus per fidem vivit ac habitat. Hanc inquam *fidem* Servator indigitabat, quam autem juxta suum ipsius vaticinium fere nuspiam hodie invenies. Ubi enim vera fides est, illic Christus etiam & ipsius vita adsit necesse est. Sicut contra quisquis per fidem Christi vitam non imitatur, in eo nec fides est, nec Christus.

Ubi vita Christi non est, illic nec Christus est.

Vera fides.

3. Jam vero Christus pronunciat Luc. XII, 9: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Angelis Dei.* Hæc abnegatio non ore

ore tantum ſit, ut cum fidem & Chriſtum verbis ejuramus; ſed longe efficacius factis ipſis & vita, cum Chriſto & Spiritui ſancto voluntarie reſiſtitur: id quod Paulus vocat, *factis negare*, Tit. I, 16. Immo certa res eſt, Chriſtum non minus vita impia & diabolica, quam ore abnegari; & non minus hypocritica pietatis larva, quam doctrina ipſa: Quo apprime pertinet parabola illa *Matth.* XXI, 28, de duobus filiis, quorum uni dicebat Pater: *Fili, vade, hodie operare in vinea mea. Ille autem reſpondens ait: Nolo. Poſtea autem pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter; At ille reſpondens ait: Ego domine, & non ivit.* Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Primus nempe, qui negabat ſe iturum, ſed tamen poſtea id fecit. Quis autem patrem contempſit? Nempe qui prompte affirmabat ſe iturum, & tamen non ibat.

LIB. I. CAP. IX.

Chriſti abnegatio per vitam impiam.

4. Atque ſic quidem res ſeſe habet cum omnibus Pſeudo-chriſtianis in hunc uſque diem, qui nunquam non clamant: *Ita, ita! Domine, Domine!* cetera intus genus peſſimum! nec quicquam eorum faciens, quæ mandavit Pater, *Matth.* VII, 21. Atque hiſce congruit illud Paulinum: *habent quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegant*, 2 Tim. III, 5. At quid eſt tandem virtutem pietatis abnegare, quam fidem ipſumque Chriſtum renunciare? Ethnicum agere ſub ſpecioſo chriſtiani nomine? Quos proinde Paulus recte vocat, *filios perfidiæ* Eph. II, 2. quia fidei virtute prorſus deſtituuntur. Hos deniq; qui tanta protervia chriſtianum nomen uſurparunt, at nihil chriſtiano dignum præſtiterunt, eos inquam feriet horrendum illud: *Diſcedite a me maledicti, quia neſcio vos*, Matth.

Dei contemptus graviſſimus per vitam impiam. Pſeudo-chriſtiani.

LIB. I. CAP. X.

VII, 23; digni ſcilicet, quos ego abnegem iterum, utpote me prius abnegare auſos.

CAPUT X.

Vita Hominum mundanorum Chriſto adverſatur, eſtque nihil aliud quam Pſeudochriſtianiſmus.

Matth. XII, 30. *Qui non eſt mecum, contra me eſt.*

Vita mundanorum.

SI quis vitam moreſque horum temporum ad normam vitæ doctrinæque a Chriſto traditæ, exigat, næ ille deprehendet, plerorumque vitam eſſe *antichriſtianam* vitæque Chriſti e diametro repugnare. Quid aliud modernorum hominum vita exhibet quam avaritiam, habendi cupidinem, uſuras, concupiſcentiam carnis & oculorum, ſuperbiam vitæ, ambitionem, pompam, aucupium famæ ac gloriæ, inobedientiam, iram, rixas, bella, diſcordias, ſimultates, vindictæ æſtum, odia clandeſtina, invidiam, implacabilitatem, injuſtitiam, immunditiam, dolos, fraudes, calumnias; Verbo: *univerſa vita filiorum hujus ſeculi ex amore mundi, amore proprio, honore proprio, propriique commodi cupidine, quanta quanta eſt, compoſita eſt.*

Vita Chriſti & Chriſtianorum.

2. Huic jam oppoſita eſt *Vita Chriſti*, quæ nil aliud eſt quam puriſſimus ac ſinceriſſimus Dei hominumque amor, humanitas, manſuetudo, humilitas, patientia, obedientia uſque ad mortem, miſericordia, juſtitia, veritas, caſtitas, ſanctitas, contemptus mundi, honorum, opum & voluptatum, abnegatio ſui ipſius, continua crux, ærumna & afflictio, aſſiduum & concatenatum quaſi ſuſpirium quo jugiter ad divina & regnum Dei ferebatur, & denique inexplebilis

inexplebilis cupiditas exequendi voluntatem Dei.

Qui spiritum Christi non habet, est Antichristus.

3. Jam cum Christus dicat: *Qui mecum non est, antichristus est*, Luc. XI, 23; moderna autem hominum vita, nihil quicquam cum Christo habeat commune; sed plerique hujus seculi rebus immersi, toto corde, sensu, animo & spiritu a Christo dissideant, (jubente aliud Paulo 1 *Cor.* II, 16: *Nos sensum Christi habemus*; & *Phil.* II, 5: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu*) sequitur exinde, omnes omnino hujus seculi filios Christo adversari. Qui vero contra Christum est, *Antichristus* est; si non doctrina, vivendi tamen ratione.

Paucitas verorum christianorum.

4. Quæ cum ita sint, ubi quæso locorum veros christianos jam quæremus? Utique enim *grex pusillus* erit, juxta dictum Christi *Luc.* XII, 32. Quo etiam referendum, quod propheta *Iesaias* cœtum fidelem veramque Ecclesiam *tuguriolo vineæ & speculæ in horto cucurbitarum urbique devastatæ*, assimilat, *Jes.* I, 8. Et *Micheas* illam botro a vindemiatoribus per negligentiam aut contemptum in vite relicto, comparans, ita *cap.* VII, 1. ait: *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* Et David denique *turturi solitario, passerculo sub tecto delitescenti, & nycticoraci in deserto ac ruderibus vastatæ urbis commoranti*, Psal. CII, 7. similem eam esse asserit.

5. Ubi autem & quinam illi sint, Deus novit. *Christus certe quidem cum ipsis futurus est usque ad finem mundi*, Matth. XXVIII, 20, *nec relinquet illos orphanos*, Jo. XIV, 16. Dominus enim suos novit & qui sint Christi. In quem censum qui veniunt, docet Apostolus: *Discedat ab injustitia quisquis nominat Christi nomen*, 2 Tim. II, 19. Quibus itaque hæc

mens non eſt, abſit ut nomine Chriſti abuti pergat, ſed aliam denominationem ſibi ſumat, vitæ ſuæ rationi magis congruam.

CAPUT XI.

Qui Chriſti vitam non imitatur, ille nec ſeriam pœnitentiam agit; adeoque nec Chriſtianus vel Dei Filius eſt. Quid ſit nova nativitas, quidque jugum Chriſti.

1 Pet. II, 21. *Chriſtus nobis reliquit exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus.*

Chriſtus doctor noſter, vita & doctrina.

DEDIT nobis Filium ſuum DEUS Omnipotens, ut eſſet propheta, doctor & magiſter noſter, illumque proinde, cœleſti voce commendatum, ut audiremus præcepit, *Matth.* VII, 17. Quod officium Filius Dei non verbis modo, ſed illibatæ inſuper & ſanctiſſimæ vitæ exemplo ſtrenue, ut verum doctorem decet, executus eſt. Hinc Lucas *Act.* I, 1, ait: *Primum quidem ſermonem, O Theophile feci, de omnibus, quæ cœpit Jeſus* FACERE *&* DOCERE *uſque in diem, qua aſſumptus eſt.* Ubi memoratu dignum eſt, quod Evangeliſta facta doctrinæ præponat, graviſſimo documento, ea a ſe invicem divelli non debere. Nam verum doctorem, quæ docere alios velit, ea in primis ipſummet facere oportet. Qualem certe doctorem exhibuit ſuo exemplo Chriſtus, cujus vita proinde vera doctrina eſt & liber vitæ.

2. Etenim eapropter Filius Dei homo factus, interque homines in terris converſatus eſt,

eſt, ut nobis vivum exemplum ederet vitæ cœleſtis, divinæ, innocentis atque perfectæ; nos autem ipſum ut lucem in tenebris nobis præfulgentem, ſequeremur: qua ex cauſſa *lucem mundi* ſeipſe appellat, & *quam qui ſequatur, eum in tenebris non ambulaturum*, ipſe affirmat, Jo. VIII, 12.

Chriſtus lux vitæ noſtræ.

3. Unde evidenter apparet, eos omnes in tenebris manere, nec lucem vitæ unquam conſecuturos, qui Chriſtum in fide vitaque illius non imitantur. Quid ſint autem *tenebræ*, docet nos Paulus *Rom.* XIII, 12: jubens *deponere opera tenebrarum, & induere armaturam lucis*, quod uno nos verbo dicimus *pœnitentiam*.

Tenebræ myſticæ.

4. Et nos quidem ſupra abunde demonſtravimus, veram divinamque pœnitentiam una cum vera fide hominem penitus immutare, carnem crucifigere, ad novamque vivendi rationem per Spiritum ſanctum componere hominem. Sed ne vitio ſeculi abrepti, chriſtianiſmum verba tantum, non rem eſſe crederemus, extaretque vivum exemplar ſpiritus vivificati ſive hominis novi; ſtatuit nobis ob oculos Deus Filium ſuum; non tantum ut *lytron* & mediatorem, ſed & ut *ſpeculum* veræ pietatis, ideam hominis novi ſive regenerati perfecte exhibens; in quo Adamica per peccatum corrupta caro, nunquam regnavit, ſed ipſe Deus. Hunc inquam ante oculos nobis verſari voluit Deus, ut in illum intuendo, ad ipſius imaginem magis magiſque renovaremur. De quo notentur ſequentia:

Chriſtus idea novi hominis.

5. Ipſa deplorabilis experientia nos quotidie docet, naturam noſtram, carnem, ſanguinem, corpus & animam omni genere immunditiæ ac malitiæ, peccatorumque & ſcelerum ſordibus eſſe oppletam; quæ ſunt omnia cum

LIB. I. CAP. XI.

Diaboli, efficaciter in carnali homine agentis, tum præcipue pravæ & perversæ voluntatis proprietates & opera. Prava quippe voluntas radix est omnium peccatorum; qua sublata, nec peccatum, supererit. Ipsius vis autem & energia in eo præcipue se exerit, ut a Deo illiusque voluntate hominem avertat: Quicquid enim a Deo, ceu summo Bono, desciscit, id non potest non summe malum esse & perversum. Atque hæc *aversio* utriusque, Diaboli dico & hominis, lapsum produxit, indeque adeo peccatum in mundum intravit, propagatione carnali deinde ex uno in alterum derivatum.

Origo peccatorum.

Impii diabolicæ naturæ participes.

6. Ex quo patet, carnem & sanguinem nostrum ipsa diabolica natura penetratum, carnalemque nostram voluntatem Satanæ malitia ut quodam veneno infectam esse. Quale quidem venenum superbia est, mendacium, libido, & universa vitiorum caterva Deo repugnans. Atque ob hanc perversam indolem appellat Christus pharisæos *filios Diaboli*, Jo. VIII, 44. & discipulorum suorum non nullos *Satanæ* nomine afficit, Jo. VI, 70: Haud aliter ac si avaritia, mendacium, superbia omnisque prava concupiscentia, ipse Diabolus foret, quo naturalis carnalisque homo sit infectus.

Vivere in Diabolo.

7. Unde porro consequitur, quotquot vitam ducant pœnitentiæ expertem, plenam vero superbia, avaritia, libidine & invidia, eos omnes in Diabolo vivere, & ipsam perversam Diaboli indolem & naturam in se gerere. Et licet vel maxime hypocriticum externæ honestatis velamen induant, & speciosum pietatis apparatum præ se ferre videantur, intus tamen & in corde manent *Diaboli*, juxta dictum Christi ad Judæos. Quod etsi horrendum

rendum dictu sit, veritas tamen est verbo & experientia firmata. LIB. I. CAP. XI.

8. Cum itaque natura nostra usque adeo corrupta sit miseriisque implicata, corrigi sane ac renovari illam oportuit. Quomodo vero? Hoc modo: Quia summum malum naturam pervaserat, summo etiam Bono hæc corrigenda erat, DEO ipso, ea propter naturam humanam induente. *Extrema nostra depravatio corrigenda fuit per summum bonum.*

9. Jam autem Filius Dei, non sui sed nostri causa factus est homo, ut per se ipsum cum Deo nos reconcilians, summi Boni participes redderet, purgaret nos inquam & sanctificaret. Quod enim sanctificandum est, id per Deum & cum Deo sanctificari oportet. Et sicut Deus in Christo personaliter est; ita nos cum Deo per fidem uniri oportet, ut nos in Deo vivamus, ipse autem in nobis; Christus in nobis, & nos in Christo; divina denique voluntas in nobis, & nos in illa, 2 *Cor.* V, 19. Quæ est unica ratio, qua Christus Jesus corruptissimæ nostræ naturæ medicinam adhibet, & quæ quo efficacius in homine agit, eo altius malum naturæ inhærens destruitur. *Christus cur incarnatus?* *Cum Christo uniri debemus per fidem.*

10. O vero beatum hominem, in quo Christus omnia est & facit! Cujus voluntas, cogitationes, sensus & verba, Christi voluntas, Christi cogitationes, Christi sensus, (juxta illud Pauli 1 *Cor.* II, 16: *Nos sensum Christi habemus*) Christi denique verba sunt! Et sic sane fiat necesse est. Christi quippe vita est ipsa nova vita in homine, immo ipse novus homo, qui in Christo secundum spiritum vivit. Hujus inquam, mansuetudo, patientia & humilitas, vita denique ipsa, non est alia quam ipsius Christi. Atque hæc nova illa creatura est, 2 *Cor.* V, 17, & vita Christi in nobis, *Nobilitas ejus in quo vivit Christus.* *Christus est vita novi hominis.*

LIB. I. CAP. XI.

nobis, juxta illud Paulinum *Gal.* II, 20: *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus.* Hoc etiam Christum vere sequi, rectèque pœnitentiam agere est. Etenim hac methodo vetus homo destruitur, & occidente vita carnali, oritur exsplendescitque nova, spiritualis, cœlestisque. Quam quisquis possidet, vere is christianus est, non titulo tenus, sed opere ipso & veritate; immo filius Dei verus, ex Deo & Christo genitus, in Christo renovatus, & per fidem vivificatus.

Certamen & pugna assidua cum corrupta nostræ naturæ.

11. Etsi vero dum in carne & sanguine habitat homo noster interior, ipsum perfectionis apicem consequi nequeat, par tamen est & necessarium, jugi conatu eo conniti & aspirare; ex intimisque animi sensibus eo anhelare studereque, ut Christi non Satanæ regnum vivat in nobis ac dominium gerat. Omnia consilia nostra, omnes curæ & suspiria, lucta denique omnis eo tendat, ut per quotidianam pœnitentiam veterem hominem magis magisque mortificemus. Quantum enim quisque sibi moritur, tantum Christus in illo vivit; quantum corruptionis naturæ nostræ per Spiritum sanctum decedit, tantum illi gratiæ divinæ accedit; quantum caro crucifigitur, tantum spiritus vivificatur; quantum opera tenebrarum destruuntur, tantum homo illuminatur; *quantum exterior homo corrumpitur & occiditur, tantum interior renovatur,* 2 Cor. IV, 16; quantum depravati affectus cum vita carnali, puta philautia, ambitione, ira, avaritia & voluptate intermoriuntur in homine, tantum vivit Christus in illo. Quo longius cor hominis e mundo exit, *e concupiscentia oculorum, carnis, & e superbia vitæ,* 1 Jo. II, 16. eo profundius Deus, Christus & Spiritus sanctus in illum intrant. Denique,

Quomodo homo quotidie renovetur?

quo

quo magis natura, caro, tenebræ & mundus in homine dominantur, eo minus gratiæ, spiritus, lucis, Dei & Christi in illo supereſt. LIB. I. CAP. XI.

12. Hæc nova vivendi ratio carni inimica & acerbissima crux est; quippe per quam subjugatur, coercetur, cumque omnibus suis desideriis & concupiscentiis crucifigitur; at in quo tamen tota vis & fructus veræ pœnitentiæ consistit. Carnis & sanguinis prava hæc indoles est, ut malit vitam liberam, dissolutam, ex proprio arbitrio pendentem & variis voluptatum generibus tuto inhiantem. Solam hanc novit esse suavem ac jucundam. Christi vita carni & veteri homini gravissima crux est, novo vero & spirituali *jugum suave, onus leve*, & tranquillissimum sabbathum est. Scilicet vera quies frustra alibi quæritur, quam in fide in Christum, inque illius mansuetudine, humilitate, patientia & amore: Unde *Matth.* XI, 29. dictum est: *Invenietis requiem animabus vestris.* Sane qui Christum diligit, ei mortem pro illo subire, summum etiam gaudium est. Et hoc est suave illud jugum Christi, quod tollere super nos jubemur, ut reficiatur anima nostra, & excusso peccati jugo, divinam sub illo quietem deguſtet. *Vita nova est crux carnis.*

13. Cui itaque animus est, mandato huic de suscipiendo jugo Christi deque vita ejus sedula imitatione exprimenda, morem gerere, ille vero jam procul facessere jubeat, jugum Diaboli, *h. e.* vitæ carnalis, impiæ & dissolutæ impetum reprimat, ne caro ut hactenus fecit, spiritui insultare pergat. Omnia quæ in homine sunt, sub legem, obedientiam & jugum Christi cogenda jam sunt; voluntas, inquam, ratio, intellectus, appetitus omnesque carnales & Adamicæ concupiscentiæ, *Rom.* VI, 12.

14. Et

LIB. II CAP. XI

14. Et carni quidem nostræ gratum est, honorari, coli, laudari, divitiis voluptatibusque affluere; at hæc omnia sub Christi jugum ac disciplinam redigere, illinsque ignominiæ, contemptui paupertatique postponere; immo omnibus illis quæ magna sunt & splendida, indignum se prorsus ducere; ea vero *Christi crux* est, qua caro configitur. In hoc ipsa Christi humilitas animique sublimitas appareret, ut talia quis contemptim habeat; hoc est *jugum illud onusque quod spiritui suave est leveque*, Matth. XI, 30. Ecquid enim aliud fuit vita Christi universa, quam sancta paupertas, extremus contemptus, & cruciatus exquisitissimi? Qui non venit in mundum, *ut illi serviretur, sed ut nobis serviret ipse, impenderetque vitam suam & erogaret proprium sanguinem ad expiandum peccata nostra*, Matth. XX, 29.

Jugum Christi quid?

Vita Christi quid?

15. Hominis animalis proprium est, sectari honores & magna quæque aucupari; spiritualis contra humilitatem Christi diligit & nihili fieri desiderat. Et cum plerique omnes eminere præ aliis & *aliquid* esse expetant, vix ullus invenitur, qui pro *nihilo* reputari cupiat; quorum illud ad *Adamicam* vivendi normam, hoc ad *Christi* regulam pertinet. Homo carnalis, qui nondum edoctus est quid *Christus*; h. e. quid humilitas, mansuetudo, & charitas sit; stultitiam ducit, vivere sicut Christus vixit, eos autem vere sapere credit, qui carni libere indulgentes, in quævis vitiorum genera secure effunduntur. Talis dum vel maxime in Diabolo vivit, tanta tamen mentis caligine laborat, ut vitam suam intuens, ea ut longe jucundissima, summopere capiatur. Ita miseri hi homines fatuum carnalis sapientiæ lumen sequentes, in errores incidunt

Homo animalis & spiritualis.

Falsum & verum lumen.

incidunt ipſi & in eoſdem alios alioſque ſimiliter abducunt. E contrario illi quos vera æternaque lux colluſtravit, toto animo exhorreſcunt, quando pompam, faſtum, ſuperbiam, voluptates, iras, vindictam, & id genus alios vitæ carnalis fructus oculis uſurpant; intimis ſenſibus propterea ſuſpirantes: *Bone Deus!* inquiunt, *quam longe iſte adhuc abeſt a Chriſto & illius cognitione, a vera pœnitentia, a genuino chriſtianiſmo, & denique ab indole novæ nativitatis verorum filiorum Dei! Vivit enim adhuc; ah! vivit in Adamo, in creatura vetere, & in ipſo Diabolo.* Nam petulanter & voluntarie in peccata ruere, nihil eſt aliud, quam in Diabolo vivere. In quo ergo vita Chriſti non eſt, hic quoque veræ pœnitentiæ expers eſt: non eſt verus chriſtianus talis, hinc nec filius Dei. Chriſtum ipſum penitus etiam ignorat; quiſquis enim illum, ut Servatorem mundi & exemplar vitæ recte vult cognoſcere, eum ſcire par eſt, Chriſtum eſſe merum amorem, meram manſuetudinem, patientiam & humilitatem. Quas Chriſti virtutes in te habeas oportet, & ex imis animi tui ſenſibus ames & ſentias. Sicut planta ſapore odoreque quem exſpirat, naturam ſuam prodit; ita tu Chriſtum mediante vivifica virtute quæ ex illo in te ut ſpiritualis quædam fragrantia tranſit, intime deguſtes, novum robur, vitaleſque ſpiritus tum gaudium, ſolatium & quietem ex illo hauriendo. Atque hoc modo *guſtatur, quam ſuavis ſit Dominus*, Pſ. XXXIV, 9. Sic cognoſcitur veritas, ſic ſummum æternumque Bonum percipitur! Tunc & illud reipſa innoteſcit, vitam Chriſti bonitate ſua, jucunditate, ſuavitate, dignitate & tranquillitate omnem aliam vitam longe ſuperare, immo

Chriſti viva cognitio.

cum

LIB. I. CAP. XI.

cum ipsa æterna vita suavissime illam conspirare.

Quod est optimum, id etiam carissimum esse debet. Cognitio summi boni.

16. Cum itaque vita Christi dignitate sua omnibus aliis antecedat, intimis etiam votis a nobis expetatur oportet. In quo enim homine vita Christi non est, is neque novit quid sit vitæ æternæ pax & tranquillitas, quid item summum Bonum, quid sempiterna veritas, quid vera pax & gaudium, vera lux, veraque charitas: cum hæc omnia sit ipse Christus. Unde Johannes ait 1 *Ep. cap.* IV, 7, 8: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est.*

17. Ex quo patet, fructus novæ nativitatis, quæ est ex Deo, itemque vitam & creaturam novam non in verbis quibusdam evanidis, vel speciosa pietatis forma, consistere; sed in summa animi virtute, charitate nimirum, quæ ipse Deus est. Ex quocunque enim aliquis natus est, ejus etiam indolem proprietates & characterem induat, necesse est. Jam qui ex Deo natum se prædicat, per charitatem hoc demonstret, *quia Deus est charitas*, 1 Jo. IV, 16.

Viva Dei cognitio.

18. Similiter autem & Dei cognitio non in verbis & umbratili quadam scientia consistit; sed in viva, amabili, jucunda, sinceriſſimaque voluptate, in ipsa cordis penetralia intimosque animi sensus dulcedine prorsus divina, mediante fide se insinuante. Hæc, inquam, hæc est vera, viva & efficax Dei notitia, quæ ipsa præcordia afficit, & de qua David *Ps.* LXXXIV, 3. ait: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deo vivo.* Et *Ps.* LXIII, 4: *Melior est misericordia tua super vitas.* Ubi palam est, describi vivum illud gaudium & dulcedinem cognitionis divinæ, qua perfunditur cor fidele. Atque ita demum homo vivit in

Deo, & Deus in illo! Sic Deum cognoſcit in veritate, & a Deo cognoſcitur. LIB. I. CAP. XII.

CAPUT XII.

Veri Chriſtiani eſſe, ſibi mundoque mori, & Chriſto vivere.

2 Cor. V, 15. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.*

PRæterquam quod dictum hoc plenum eſt conſolationis, dum liquido conteſtatur, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe; ſaluberrimam etiam doctrinam continet de vitæ chriſtianæ ratione; quomodo videlicet *non nobis*, ſed illi, qui noſtri cauſa mortuus eſt, vivere debeamus. At quod fieri nullo modo poteſt, niſi prius nobis mundoque moriamur. Itaque ſi in Chriſto vivere velis, mundanis deſideriis moriaris neceſſe eſt: E contrario ſi tibi & corrupto ſeculo vivere animus ſit, omne tunc commercium cum Chriſto renuncies, vel ultro ſequitur. *Victurus Chriſto mundo prius moriatur.*

2. Ceterum tria genera mortis ſunt; *ſpiritualis* eſt una, cum homo indies ſibi ipſi, hoc eſt, carnis ſuæ concupiſcentiis, avaritiæ, ſuperbiæ, voluptati, iræ & id genus reliquis vitiis, moritur; altera *naturalis*; tertia *æterna*. *Mors triplex.*

3. De *ſecunda* loquitur Paulus *Phil.* I, 21: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*; h. e. ſi vel maxime naturalem mortem ſubeat Chriſtianus, Chriſtus tamen tunc illius vita eſt, & ipſa mors lucrum, quippe per quam ex hac vita brevi ærumniſque plena, ad æternum duraturam,

LIB. I. CAP. XII.

duraturam, & ex terrenis caduciſque bonis ad æterna ſtabiliaque felix tranſit; quod an lucrum ſit, nullus certe dubitat.

Vita Chriſti.

4. At cui inſuper placuerit dictum hoc ad primam etiam mortis ſpeciem *ſpiritualem* puta, accommodare, mea ſententia non erraverit. Eſt enim terque quaterque beata anima, cujus vivere Chriſtus eſt, hoc eſt, in qua Chriſtus vivit, ſive quæ Chriſti vitam, id eſt, illius humilitatem manſuetudinemque exprimit.

Vita Diaboli.

At eheu! maximam partem homines Diaboli vitam jam induerunt, illorumque vivere ipſe Diabolus eſt, avaritia Scilicet, ſuperbia, concupiſcentia, ira, blaſphemia. Hæc enim eſt vita Diaboli.

Quid ſit ſibi & mundo mori.

5. Tu autem, O homo, iterum iterumque conſidera, quiſnam in te vivat? Beatus es, iterumque beatus, ſi vere dicere poſſis: *Mihi vivere Chriſtus eſt*, non in altera tantum vita, ſed etiam in hac præſenti. Hîc *tibi vivere Chriſtus ſit, & mori lucrum.* Tunc autem mori lucrum tibi erit, ſi avaritia, ſuperbia, concupiſcentia, iræ, & odia, in te vere emoriantur, ut viciſſim in te vivat Chriſtus. Quantum enim quiſquis mundo moritur, tantum vivit Chriſtus in illo. Age ergo, vivat in te Chriſtus in tempore, ut tu viciſſim cum illo vivas in æternitate.

Animi perturbationes unde?

6. Ceterum cum animus a variis mundi concupiſcentiis huc atque illuc diſtractus, veræ tranquillitatis & pacis capax non ſit; ſequitur, illis ante moriendum eſſe, quam Chriſto vivere queas. Id quod variis veteris Teſtamenti figuris docuit nos divina ſapientia. *Sara typus novæ nativitatis.* Sara cum per ætatem eſſet liberis edendis inepta, & concupiſcentiæ maritali mortua, concepit in utero & peperit *Iſaac*, quæ vox *riſum* ſignificat, *Gen.* XVIII, 12. Ita niſi carnis concupiſcentiæ

piscentiæ in te moriantur, divinum Spiritus gaudium *concipi* in te non potest nec *procreari*.

Abraham typus abnegationis mundi.

7. Idem ex exemplo *Abrahami* relucet. Huic enim promissio de Christo deque circumcisione tunc concedebatur, postquam egressus esset domo, patria & propriam hæreditatem post terga liquisset. Haud aliter homo, quamdiu animum mundo affixum gerit, nulla ratione Christum in corde suo gustare atque percipere potest.

8. Mortuo *Herode* rediit *Christus* in Judæam, *Matth.* II, 19, 20; manifesto documento, quod dum vulpinus *Herodis* Spiritus & terrena seculi versutia in te dominatur, Christus in te ingredi non possit. Moriatur itaque in te vulpes *Herodis*, h. e. fallax seculi spiritus, ut vivat in te Jesus. Quæ omnia eo redeunt, ut *Adamo* prius moriendum sit, quam *Christus* in te vivere possit. Unde Paulus *Gal.* II, 20 ait: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Et Col. III, 3: *Mortui estis* (at scribebat viventibus) *& vita vestra abscondita est in Christo.*

Adamo prius moriendum, ut Christus in te vivat.

9. Tunc autem quisque vere mortuus est, cum desinit esse quod fuerat, *h. e.* si peccatum in illo moriatur: *Si vivimus spiritu, spiritu quoque ambulemus*, Gal. V, 25. Neque enim satis est, verbis fidem & spiritum jactare, sed fructibus ipsis operibusque verba comprobanda sunt. Omnibus ab Apostolo dictum est: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: sin spiritu opera carnis mortificaveritis, vivetis*, Rom. VIII, 13.

Concupiscentiæ mortificandæ, non occultandæ.

10. Multi *Saulo* similes sunt, qui *Agagum* Amalekitarum regem non, ut Deus jusserat, occidit, sed in carcere conjecit, 1 *Sam.* XV, 8: ita hi concupiscentias suas Dei jussu funditus

LIB. I. CAP. XII.

delendas, aliquantiſper abſcondunt, & oblata occaſione ſecretius illis indulgent. Hoc ergo agamus, non ut peccatum abſcondamus, ſed mortificatione ad radicem poſita, plene illud extinguamus. Hoc niſi fiat, è regno cum *Saulo* ejiciemur, *h. e.* æternæ vitæ jacturam faciemus. Ita ſcriptura univerſa cum omnibus hiſtoriis, typis, atque figuris Chriſtum ejuſque vitam ſedula imitatione a nobis exprimendam, ceu *Scopum* reſpicit: Ut taceam hic, ipſum naturæ librum de magno mundo extra nos poſito, qui de Deo ejuſque amore abunde teſtatur.

Tota ſcriptura pro ſcopo habet hominem novum.

11. Eſt certum genus hominum, arboribus hibernis non abſimile: Ut enim hæ folia ſua, ingruente hiberni aeris inclementia amittunt facile, vertente autem miteſcenteque anno, facile etiam recuperant: Ita nonnulli ſub afflictionum hyeme reprimere ſuas voluptates videntur, quæ tamen mox rebus in melius commutatis quaſi agmine facto, denuo erumpunt. Hæc genuina omnium hypocritarum nota eſt, quam verus Chriſtianus procul faceſſere jubet; quippe qui inter adverſa & proſpera æque pietatem colit, & fidelis Chriſto ſuo adhæret, ſive pauper ſit, ſive locuples; vel proſpera illum maneant, vel adverſa.

12. In hiſtoria de *Achabo* memoratur, quod Deus Syriæ regem in manus ipſius dederit, ea conditione, ut captum in vinculis eum teneret, documento, Deum omnibus ſuis hoſtibus eſſe fortiorem, juſtaſque ſuo tempore pœnas repoſcere a blaſphemantibus nomen ſuum; ille vero ſpreto mandato Domini captum hoſtem in prælio fratrem ſalutavit, liberumque dimiſit. Hanc inobedientiam caſtigaturus Dominus, mortem homini per prophetam denunciat, eo quod virum anathemati

mati devotum e manu miserit, 1 *Reg.* XX, 42. Huic simillimi sunt, qui pravas suas concupiscentias morte delendas in sinu fovent, proindeque mortem sempiternam ultro sibi consciscunt.

13. Verò verius est, absque carnis mortificatione, neque orationem, neque pietatem, neque ullum spiritus opus in homine perfici posse. Propter hanc causam Dominus, *Exod.* XIX, 13. omnibus bestiis pœnam mortis constituebat, si ad sanctum montem *Sinai* accessissent. At quanto magis nos belluinas concupiscentias occidere par est, si in montem Dei sanctum ascendere, preces offerre, verbumque Dei sancta meditatione revolvere voluerimus. Secus si fecerimus, moriamur.

Sine carnis mortificatione nihil boni in homine.

14. *Gen.* XXXII, 28. legimus, Jacobo inditum fuisse novum nomen *Israelis*, (quod significat *pugilem* aut *principem Dei*) postquam in lucta cum Angelo, Dei faciem conspexerat, & ipsum propterea locum *Pennel* vocaverat, *h. e. faciem Dei.* Ante tamen quam novo hoc nomine insigniretur, *Jacob* vocabatur, quod *supplantatorem* indigitat: Ad cujus exemplar, nisi tu prius per Spiritum sanctum pravas tuas concupiscentias *conculcaveris*, Israel sive princeps Dei fieri, & ad locum *Pennel* sive *faciem Domini* pervenire nunquam poteris.

Ante Jacob quam Israel fias oportet.

15. Idem *Jacobus*, ut *Rahele*, forma & aspectu pulchra, potiretur, ante *Leam* lippis oculis ducere cogebatur, *Gen.* XXIX, 17, 25. Ita si serio *Rahelem* ambias, hoc est, si animam tuam Christo vero *Jacobo* vel peccati conculcatori spirituali matrimonio jungere velis, prius *Leam* ducas, *h. e.* hominem tuum animalem intuendo, tibi ipsi displiceas, propriam deformitatem odio habeas, te ipsum abneges, ut hoc demum ordine arctissima u-

Sibi displiceat homo ut Deo placeat.

LIB. I. CAP. XII.

nione cum Chriſto coaleſcas. Sed heu! quam multi a propriæ mentis impetu (ut *Jacob* a *Labane*) decipiuntur; exiſtimantes *Rahelem* ſibi obtigiſſe, *h. e.* vitam ſe agere chriſtianam, ac Deo placentem, cum tamen veritate penitius explorata, videant ſe cum *Lea* concubuiſſe, *h. e.* vitam ſe hactenus egiſſe gratia, virtute & divina pulchritudine prorſus deſtitutam, adeoque in conſpectu Dei ſumme exoſam. Itaque hoc agamus ante omnia, ut nobismet ipſis diſpliceamus, & ſicut de *Lea* dictum eſt, quod fuerit exoſa in domo patris ſui, ita & nos contemptim de nobis ſentiamus, ut vera humilitate, manſuetudine & patientia probe imbuti, formoſa tandem *Rahele* potiamur.

Servitus Jacobi myſtici.

16. Conſidera porro, quanta dexteritate & alacritate ſeptem annorum ſervitium pro lucranda *Rahele* ſubierit *Jacob*, ſeptem annos ut totidem dies reputans, ac temporis tædium & diuturnitatem amore diſcutiens: Ita fideliſſimus animarum noſtrarum ſponſus Chriſtus Jeſus totos triginta tres annos in hoc mundo duriſſimam ſervitutem noſtri cauſſa ſubiens, abunde adimplevit quæ *Jacob* de ſervitio ſuo *Labani* præſtito, declarat *Gen.* XXXI, 40: *Interdiu abſumpſit me æſtus, & gelu noctu profugitque ſomnus ab oculis meis.* Quod *Matth.* XX, 28. ita exprimitur: *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Et cunctabimur adhuc Chriſtum redamare, illiuſque capitali hoſti, mundo inquam, bellum per omnem vitam ſui cauſſa indicere?

CAPUT

CAPUT XIII.

Propter Chriſtum & æternam ſalutem, ad quam creati & redempti ſumus, debere quemlibet Chriſtianum ſibi ipſi & mundo ultro mori.

2 Cor. VIII, 9. *Scitis gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives; ut illius inopia vos divites eſſetis.*

PRopter Chriſtum tuum, tibi ipſi, tuis peccatis & mundo moriendum, bona quæque præſtanda, vitaque ſancta & innocens ducenda eſt: Non ſane ut quicquam promerearis; (id quod Chriſtus fecit,) ſed ex puro erga illum amore, mortem quippe pro te oppetere non dubitante.

2. Neque enim lingua aut verbis, ne erres, amandus tibi ille eſt; ſed opere & veritate. Si amas, mandata ejus ſerva; ita enim ab ipſomet edoctus es, *Jo.* XIV, 23: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. Hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt*; inquit Joannes 1 *Ep. cap.* V, 3. Ipſeque Servator noſter *Matth.* XI, 30. affirmat: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Utique illi, qui ex animo Chriſtum diligit, non poteſt non eſſe facile & jucundum, bona quæque ultro facere, amoris ſuavitate omnem difficultatis ſenſum mitigante. Ille vero, qui Chriſtum ſincero affectu non complectitur, dum invito & reluctante animo bo-

Chriſtum amare eſt in illo vivere. Chriſti amor vincit mundum & mortem.

LIB. I. CAP. XIII.

na facere aggreditur, nihil quam aſpera & difficilia quæque in ſtudio vitæ ſanctæ experitur; cum è contrario vero Chriſti amatori vel ipſa mors, ſi pro illo veniat ſubeunda, gaudium afferat & voluptatem. *Nobis enim datum eſt*, inquit Apoſtolus *Phil.* I, 29. *Non modo in Chriſtum credere, ſed pro illo etiam pati*, mortemque ipſam, ſi ita illi placuerit, perferre.

3. *Moyſen* quæſo intuere, de quo Epiſt. ad Ebræos *cap.* XI, 24. tam luculentum teſtimonium exhibet: *Fide Moyſes grandis factus abnegavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majoreſque divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.*

Amor ſapientiæ inducit contemptum voluptatum.

4. Conſiderate *Danielem cap.* I, 8. a rege Babyloniæ una cum ſociis ſuis captivorum numero exemptum, & ſervitiis regiis deſtinatum. Hic cum cibis potuque de menſa regia eo uſque eſſet enutriendus, donec exequendis muneribus ad quæ educabatur, par evaderet, delicias haſce ipſe cum ſociis aſpernatus, principem eunuchorum orabat, ut loco harum cupediarum leguminibus veſci, & aquam bibere liceret. Tantum nimirum valebat in teneris animis *Amor ſapientiæ divinæ*, qua divinitus colluſtrari unice deſiderabant. Hoc & tu age! Si Chriſtum, æternam illam patris ſapientiam in animam tuam venire exoptas, abſtine a carnalibus concupiſcentiis, quaſi a tot ferculis opiparis aulæ Babylonicæ. Et ſicut pueri indies formoſiores efficiebantur, dum ſobriam agerent vitam, ſoliſque leguminibus & aqua naturæ neceſſitatem explerent: Ita anima tua eo cultior & nitidior erit in conſpectu Dei, immo ipſius *divinæ naturæ* particeps fiet, ſi mundana deſi-

derio

deria carnisque pruritum extinguas; 2 Pet. I, 4.

5. Paulus ait *Gal.* VI, 14: *Per Christum mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*; hoc est: ego mundo mortuus sum, & mundus mihi. Hujus exemplo verus christianus *in* mundo quidem est, sed non *de* mundo: Vivit in mundo, mundum tamen non amat. Mundanas pompas, honores ac dignitates, *concupiscentiam oculorum & carnis cum superbia vitæ*, 1 Jo. II. 16. pro tot evanidis vitæ humanæ simulacris ducit cito in nihilum abituris. Ita mundus Christiano mortuus est & crucifixus, ipseque vicissim mundo, utpote cujus honores, opes & voluptates *pro stercoribus habet, ut Christum lucri faciat*, Phil. III, 9.

Christiani omnia mundana pro umbris habent.

6. Beatum vero, & terque quaterque beatum pectus, cui hæc divinitus gratia est infusa, ut mundanarum opum, voluptatum honorumque desiderio amplius non teneatur! Et ut hanc obtineamus, divinæ misericordiæ fores assiduis precibus pulsandæ sunt.

Votum christianorum.

7. *Salomon* regum sapientissimus ita vota sua exprimit *Prov.* XXX, 7: *Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria.* Pariter Christianus oret: *Duo a te peto Domine, ut mihi & mundo mori valeam.* Duobus hisce si destituaris, Christianus esse desinis; aliterque si credas, falleris, auditurus suo tempore illud, *non novi te*, Matth. VII, 23. XXV, 12.

Duo necessaria christiano.

8. Etsi vero carni & sanguini asperrima crux sit, sibiipsi ac mundo mori, vel ex cœlestium amore præsenti seculo valedicere; triumphat tamen de his difficultatibus spiritus, tantaque amoris Christi vis est, ut hæc omnia tandem *jugum suave & onus leve* evadant.

Vita spiritualis est crux carnis.

LIB. I. CAP. XIII.

Quamquam autem qui ſic ſunt comparati, mundi odio ſe exponant, amantur tamen a Deo; nam *inimicitia hujus mundi, amicitia eſt apud Deum*; & viciſſim inimicitia Dei, eſt amicitia apud mundum. *Quicunque ergo voluerit amicus eſſe ſeculi hujus, inimicus Dei conſtituitur*; teſte Jacobo *cap.* IV, 4: Et ipſe Chriſtus *Jo.* XV, 19: diſerte profitetur: *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret. Quia vero de mundo non eſtis; ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*

Mundo moriquid?

9. Mundus impetuoſo mari non abſimilis eſt: Ut enim hoc vivos homines tolerat, mortuos autem ejicit atque expellit: Ita mundus procul eos faceſſere jubet qui ipſi mortui ſunt; dum illos e contrario in deliciis habet, qui ſe ipſi pompa, faſtu & ſplendore conformant, in eoque indolem ſpiritus hujus ſeculi exhibent. Verbo: Qui tantum in vera pietate profecit, ut in illius corde ſuperbia, avaritia, voluptas, ira, vindictæque cupiditas interierit penitus; ei revera mundus mortuus eſt, & ipſe mundo. Hic vivit in Chriſto, & Chriſtus in ipſo. Hos Chriſtus pro ſuis agnoſcit; ceteris ſuo tempore dicturus: *Non novi vos*, utpote qui me viciſſim ignoratis, quoſque puduit vitæ meæ, humilitatis dico, manſuetudinis, & patientiæ meæ. Summa: Qui hic in tempore cum Chriſto vivere recuſat, neque in æternitate vitæ Chriſti particeps erit. Aut quomodo in te vivet poſt hanc vitam Chriſtus, ſi in hac præſenti tuum vivere non fuit? Certe cujus vita Chriſtus in hoc mundo non fuit, ejus nec beatitas in altera erit.

Pudere Chriſti quid ſit.

Unio cum Chriſto aut Diabolo.

10. Hæc cum ita ſe habeant, iterum iterumque inquire, an Chriſto, an vero Diabolo ſit ſimilior vita tua? Certus enim eſto, cum eo

eo post mortem in omnem æternitatem unitum deprehenderis.

endum te fore quo cum in hac vita te uni-

11. Ceterum qui *sibi* ipsi mortuus est, is deinceps nullo negotio *mundo* etiam morietur. Quid est autem mundo mori aliud, quam non diligere mundum, & ea quæ in mundo sunt? juxta illud 1 *Jo.* II, 15: *Qui mundum diligit, ex Deo non est.* Nam quid illi mundus, qui intus & in corde eidem mortuus est? Et mundum qui diligit, non aliter quam *Samson* a *Delila*, ab eodem subjugatur, & ad omnia illa tormenta cruciatusque condemnatur, quibus suos mundus affligere solet.

A mundo vincitur, qui illum amat.

12. Deinde amor mundi ad veterem creaturam pertinet, non ad Regenerationem vel creaturam novam. Quippe cum mundus nihil exhibeat quam honores, opes, *concupiscentiam oculorum & carnis, cum superbia vitæ*, in omnibus illis exultat & cuticulam curat vetus *Adam*: novus contra homo in solo Christo acquiescit, gaudiumque suum, honorem, opes & delicias, ex unione cum ipso unice haurit.

Homo vetus mundo, novus Christo tantum delectatur.

An vero homini quicquam aut magis honorificum potest obtingere, aut magis votis respondens quam Imago Dei per Christum renovata? Si voluptates quærimus, *quis sanus dubitet, posse Deum ultra omnes creaturas nos delectare?* ut verba *Tauleri* habent.

Imago Dei summa dignitas hominis.

13. Scriptura etiam ipsa docet, non mundi caussa hominem, sed hominis caussa mundum esse creatum. Sublimiori certe fini destinatus homo est, quam ut ventris curam gerat, genio indulgeat, laute in diem vivat, divitias cumulet, amplissimas possessiones, fundosque prædia & prata habeat, splendido vestitu incedat, auro & argento conquirendo invigilet

Homo ad majora quam hic mundus est creatus.

LIB. I. CAP. XIII.

let vel ulli apparatui vano ac caduco. Non certe creatus est homo, ut terræ hæres vel Dominus sit, in eaque omne gaudium & delectationem suam, ut in altero Paradiso, quærat; non, ut nihil quam quæ brutis oculis obvia sunt, degustet & speret. Non certe propter finem tam vanum ex manu Creatoris prodiit homo. Emigrandum enim hinc iterum est, & omnia quæ momentum delectant, post terga linquenda. Et licet per agmina quasi cumulatim in mundum intremus, mors tamen ad unum omnes hinc iterum expellit, omnibusque quibus hoc abundat seculum, ita exspoliat, ut nec pulviſculum quidem ex omnibus terræ thesauris auferre liceat.

14. Ex quo luce jam meridiana clarius patescere credo, huic vitæ temporali creatos nos non esse, neque hunc mundum principalem nostræ creationis finem esse, cum illum ut hospites incolamus cito hinc emigraturi. Alia ergo, alia causa in hanc lucem prodimus, aliusque creationis finis constituendus est. Id quod ortus noster, qui est ipse Deus, & imago Dei, quam in Christo renovatam accepimus, apertissime evincit. Esse nimirum nos præcipue creatos ad *Regnum Dei* & propter vitam æternam, quam ut Christus nobis recuperavit, ita Spiritus sanctus in eandem nos regenerare allaborat.

Homo ad quid creatus?

15. Ecquæ itaque dementia est, cor suum mundo affigere, animamque rebus terrenis immergere, quam scimus toto mundo esse nobiliorem? Hominem dico terrena sapere! Qui creaturarum præstantissima est, & qui imaginem Dei in Christo recuperatam circumferat, postquam Spiritu Christi ad hoc renovatus. Quocirca, ut modo diximus, *non mundi causa homo, sed hominis causa mundus est creatus.*

Nobilitas & dignitas ex imagine Dei.

Dei

Dei enim imaginem in Chriſto inſtauratam gerit homo, cujus tanta eſt præſtantia & dignitas, ut homines univerſi cum omnibus ſuis opibus ac viribus vel unicam animam reparare, aut imaginem Dei in illa inſtaurare nequeant. Eum autem in *finem* mortem ſubiit Chriſtus, *UT* Imaginem Dei peccatis extinctam & obliteratam, in homine per Spiritum ſanctum renovaret, ipſeque homo in æternum Dei habitaculum ac domus conſtitueretur.

16. Hæc autem ſi ſciam ſerioque ad animum revocem, ecquamnam tandem inſaniam mentis eo adigere me patiar, ut animæ meæ dignitatem tanto pretio redemptam, deliramentis ſeculi nulliuſque momenti rebus, honoribus puto opibuſque mundi poſtponam! Hoc ſane eſſet *Margaritas in lutum & ante porcos projicere*, Matth. VII, 6. Et eo digitum intendit Salvator noſter *Matth.* XVI, 26, hæc inculcans: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, anima vero ſuæ* (h. e. ſui ipſius) *detrimentum patiatur?* Nam cum mundus tranſitorius ſit, hominis vero anima immortalis; mundus cum univerſo ſuo honoris ac vanitatis apparatu nec unicam aliquam animam felicitati ſuæ reſtituere valet.

Cœleſtia terrenis poſtponere eſt magna inſania.

CAPUT

CAPUT XIV.

Verum Christianum debere exemplo Christi mundum contemnere, & suam Vitam in hoc mundo odisse.

Luc. XIV, 26. *Si quis venit ad me, & non odit animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Jo. XII, 25. *Qui amat animam suam, perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam.*

UT seipsum odio habeat homo, necesse est primum, ut seipsum *non amet*. Deinde ut quotidie peccatis moriatur; denique ut assidue secum & cum carne sua luctetur.

Philautia summum animæ venenum & idololatria.

2. Nihil autem in toto terrarum orbe homini salutis suæ studioso, majori damno ac impedimento est, quam *Amor proprius*. Ubi autem neutiquam ipsam naturalem suiipsius conservationem, sed carnalem illam & *inordinatam philautiam*, qua sibi relictus homo in seipsum fertur, in toto hoc libro intelligo. Etenim cum solus Deus amandus sit, sequitur hinc illum qui seipsum amat, *idololatram* esse, & seipsum Deum facere. Quod quisque amat, in eo acquiescit illique corde eousque adhæret, ut ab objecto amato in captivitatem servitutemque raptus, propria libertate prorsus expolietur. Hinc tot dominis subditus es, quot objecta amas. Si amor tuus pure, sincere & simpliciter in Deum feratur, nullius jam objecti captivus es; sed tua tibi constat libertas. Unde sollicite tibi curandum, ne quid amorem Dei in te præpediat.

S

LIB. I. CAP. XIV.

Si Deum totum, quantus quantus est, possidere desideras, totum te ipsi consecres oportet. Sin te ipsum amas & tibimet ipsi places, multa tunc sollicitudo, anxietas, timor & tristitia animum tuum fatigabunt. Deum vero si amares, illo solo gaudeas, ipsique totum unice te dedices, tum vero illum rebus tuis ita curaturum esse confide, ut nullæ te anxiæ curæ afficiant. Homo qui seipsum amat, ubique & in omnibus seipsum quærit, & commoda tantum propria, laudem ac honorem consectatur, perpetuis circumagitur curis & anxietatibus, cum semper aliquid obstet, unde turbetur. Cave proinde credere, quod omne unde tuis facultatibus, famæ & honori aliquid accedit, idcirco bonum tibi esse & utile: Crede potius majorem ad te utilitatem redituram, si omnia ea contemnas, & desiderium multa ad te rapiendi, ut malignam quandam radicem, qua amor Dei suffocatur, omni animi nisu evellas.

Amor Dei, tranquillitatem; mundi, perturbationes parit.

3. Jam cum vitæ commoditas, laudis, honorisque captatio æque ac mundus ipse fluxa sint & caduca, charitas autem Dei in æternum maneat; sequitur pacem ac quietem, quam ex tui terrenorumque amore accipis, nec stabili niti fundamento, quippe quod leviſſimis quibusque momentis concuti potest & commoveri. E contrario si animus in Deo amoreque divino in solidum conquiescit, pace etiam fruitur sempiterna. Vanum est & fugitivum, quod ex Deo non est. *Omnia omnino linquenda sunt, si per fidem omnia invenire velis.* Non enim invenitur Deus ab amatore suiipsius & mundi.

Vera & constans quies in solo Deo.

Quis Deum non inveniat.

4. Amor proprius & inordinatus terrenus est, nec ex Deo, adeoque cœlestis sapientiæ maximum

LIB. I. CAP. XIV.

maximum impedimentum; quippe quæ nihil minus curat, quam in hoc mundo præ aliis eminere, vel aliquo loco ac numero esse. Quæ etiam causa est, ut tam vilis habeatur, & ex hominum animis memoriaque fere deleta sit. Sunt qui splendide de illa concionari norunt verbisque illam jactare; cum autem vita ab ipia moribusque distent, margarita manet manebitque abscondita. Unica autem consequendi ipsam ratio est, sapientiam humanam, applausum proprium & inordinatam philautiam, renunciare. Hac via si ingredi velis, loco humanæ & terrenæ sapientiæ utut splendidæ & in speciem sublimis, sapientiam cœlestem divinamque obtinebis. Et hæc, licet simplex & (si cum seculi argutiis compares) vilis fere ac ridicula appareat, cœlestis tamen est naturæ & æternum duraturæ.

Sapientiæ cœlestis comes humilitas.

5. Deum amare nemo potest, nisi seipsum oderit, *h. e.* nisi sibi ipsi propter peccata displiceat, proindeque carnem suam & propriam voluntatem mortificet. Quanto enim quisque Deum impensius diligit, tanto magis studet concupiscentias carnis & proprios appetitus coercere. Quo item longius homo a se ipso & amore proprio virtute spiritus divini recesserit, eo propius ad Deum illiusque amorem per fidem accedet. Sicut enim interna pax tunc maxime floret, si homo eorum quæ extra se posita, nihil desideret; ita in Deum feceſſuro ac penetraturo opus est, ut omni vano creaturæ desiderio strepituq; intus vacuus, soli Deo unice uniceque adhæreat.

Dei amor in quo consistat.

6. Seipsum itaque abnegaturus, jam non suam amplius voluntatem, sed Christum sequatur, oportet. *Ego sum via, veritas & vita*, inquit ipse-

met

met *Jo.* XIV, 6. quasi dicat: *Sine* Via *non inceditur, sine* Veritate *nil cognoscitur, & sine* Vita *non vivitur. Me ergo videte, qui via tuta sum, quam incedere oportet; veritas quam credere, vita denique, quam vivere & sperare debes. Ego sum via in omne ævum durabilis, veritas infallibilis, vitaque æterna & nunquam finienda. Via regia ad vitam immortalem per meum meritum, summa veritas in verbo meo, vita vero per vim & efficaciam mortis meæ. Itaque si huic viæ insistitis, deducet vos veritas ad vitam sempiternam. Si errare non vultis, me sequamini; si veritatem cognoscere, mihi credatis; si æternam vitam possidere, morti meæ confidatis.*

Christus via, veritas & vita.

7. Quænam vero est illa via regia, illa veritas infallibilis, illa demum vita omnium optima ac nobilissima? *Via* quidem alia esse non potest, quam sanctissimum & pretiosissimum meritum Christi; nec alia *Veritas* quam verbum Dei; nulla denique alia *Vita* quam beatitas sempiterna. Nunc ergo, si in cœlo exaltari desideras, in Christum credas, illiusque humilitatem dum in mundo es, sequaris, quæ unica & regia *Via* est. Si falli a mundo non vis, fide in verbum ipsius recumbe, & sanctæ vitæ quam verbum exigit, stude & *Veritatem* habebis. Si cum Christo *vivere* exoptas, cum ipso, in ipso & per ipsum peccato moriaris novaque creatura evadas, & *Vitæ* eris particeps. Ita ergo Christus via, veritas ac vita est, non minus exemplo, quam merito.

Vita nostra debet conformari vitæ Christi.

8. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi,* inquit Paulus *Eph.* V, 1. Eo itaque summa ope ac studio connitamur, ut vita nostra vitæ Christi fiat simillima. Quod si nihil superesset ad confundendos pseudo-christianos, quam solum exemplum vitaque Christi, vel

hoc

LIB. I. CAP. XIV.

hoc unicum ſufficeret. Pudeat enim, pudeat in voluptatibus nos vitam agere, cum Chriſtus Jeſus inter miſerias ac ærumnas concatenatas vitam ſuam tranſegerit. Strenuus miles ac generoſus voluptatibus haud quaquam indulſerit, ubi Ducem ſuum fortiter pugnando morti obviam ire conſpexerit. Tu vero dum vanos ſeculi honores captas coram oculis Ducis tui contumelioſiſſime habiti, conſidera, annon hoc triſte ſit indicium, illius te vexillo nomen tuum non dediſſe?

Multi quidem chriſtiani, at pauci Chriſti imitatores.

9. Sed eheu! Chriſtiani haberi omnes volumus, dum Chriſti vitam pauciſſimi imitantur. Si Chriſtianorum eſſet, acquirendis opibus honoribuſque cito perituris invigilare, nunquam Chriſtus juſſiſſet ea negligi, ut divina aſſequamur. Intuere modo Chriſti vitam & doctrinam, & videbis nihil ipſo & corrupto hoc mundo eſſe diſſimilius. Illud præſepe, illud ſtabulum, faſciæ illæ quibus dilectus Jeſus fuit involutus, tot ſunt luculenta contemptus rerum mundanarum ſpecula & teſtimonia. Jam vero Chriſtus non venit, ut exemplo ſuo a vero rectoque tramite te abducat: Immo vero in viam te revocaturus eſt doctrina ſua & illibatæ vitæ exemplo. Unde ipſe clamat, *ſe viam, ſe veritatem eſſe*, Jo. XIV, 6. Itaque cum ipſe per contemptum ſeculi & ærumnas in cœlum redire voluerit, ſequitur te per vanæ mentis elationem, faſtum honoreſque quibus inhias, ad infernum tendere. Revertere proinde a lata tua via & redi in viam ejus, qui errare neſcit: amplectere veritatem, quæ fallere non poteſt: in eo denique vive, qui eſt ipſa vita. Hæc via veritas, hæc veritas vita eſt. O cœcitatem! Abjectus terræ vermiculus ad magna quæque aſpirat, cum Dominus gloriæ in mundo

do ultro ſe exinaniverit! Erubeſce ergo fidelis anima & ſublimi camelo inſidere recuſa, dum ſponſus tuus cœleſtis *Iſaac* pedes obviam tibi procedit. Quin ſicut *Rebecca* ſponſum ſuum conſpiciens, pudore ſuffuſam faciem contegebat, & camelo deſcendens, & ipſa pedes ad illum proficiſcebatur, *Gen.* XXIV, 64: Ita tu ab elati cordis tui camelo in terram humilis deſilias, tuoque ſponſo ſubmiſſa mente occurras, & amore te amplectetur & gratioſo aſpectu lætus te excipiet. *Humilitas eſt via ad Chriſtum.*

10. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi*, inquit Deus ad *Abrahamum*, Gen. XII, 1. Egredere ſimiliter & tu ex domo philautiæ tuæ & voluntatis propriæ. *Amor* quippe *proprius* corrumpit judicium, occœcat intellectum, turbat rationem, ſeducit voluntatem, inquinat conſcientiam, claudit portas vitæ, ignorat Deum proximumque, expellit virtutes, aucupatur honores, inſidiatur divitiis, inhiat voluptatibus, terram denique cœlo anteponit. *Peſſimi fructus philautiæ.*

Qui ſic vitam ſuam diligit, perdet illam, Jo. XII, 25. Quiſquis vero animam ſuam odio habuerit, *h. e.* philautiam ſuam abnegaverit, *hic in vitam æternam cuſtodiet illam.* Amor proprius & inordinatus eſt radix impœnitentiæ & æternæ damnationis. Hoc qui faſcinantur, hi prorſus vacui ſunt vera humilitate, vacui propriæ miſeriæ peccatorumque ſenſu. Hinc amore proprio dediti nullam unquam peccatorum remiſſionem, ſi vel lachrymis illam quæſiverint, impetrarunt. Neque enim fuerunt lachrymæ propter *offenſum Deum*, ſed *proprium damnum*, fuſæ.

11. *Matth.* XIII, 45, 46. comparatur Regnum cœlorum *margaritæ*, quam ut emat gemmarius, abit & vendit omnia quæ habebat.

LIB. I. CAP. XIV.

Margarita hæc ipſe Deus eſt, vitaque æterna, quam ut conſequaris, teipſum corde relinquas & omnia quæ habes, neceſſe eſt. Cujus rei abſolutiſſimum exemplar in vita Jeſu Chriſti obvium eſt, qui de cœlo deſcendit, non ſui, ſed tui cauſſa, nec ut ſibi ſerviret aut prodeſſet, ſed tibi. Et hæres adhuc, viciſſim hunc ſolum quærere, qui ſuiipſius obliviſcens, tui cauſſa totam vitam impendit?

Quæ anima ſit virgo & ſponſa Chriſti.

12. Veræ ſponſæ indoles eſt, nolle cuiquam placere niſi ſponſo ſuo; tu autem, cum Chriſti ſponſa eſſe velis, cur mundo allubeſcere deſideras? Fac ergo memineris, animam tuam Chriſto deponſatam eſſe, nec citra piaculum in alterius amorem ruere illam poſſe. Omnia potius quæ mundus ſuggerit, ex animo deleto, ut ſuo te ſponſus amore dignetur & gratia. Si *dimidiato* ſaltem corde adhæſeris Chriſto, amoriſque partem mundo conceſſeris, charitas tua quæ Chriſtum unice reſpicere debebat, jam non *virgo* eſt, ſed adultera. Chriſtianorum autem charitas virgo caſta & immaculata ſit oportet.

13. Itaque ſicut lege *Moyſis* ſacerdotibus virginem tantum domum ducere permittebatur, *Num.* XXI, 14. ita Chriſtus, verus ſummuſque pontifex, animam ambit virginem nulloque profano amore pollutam, immo omnibus omnino proprii amoris vinculis expeditam. Id quod diſertis verbis profitetur ipſe: *Si quis venit ad me, & non odit animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, Luc. XIV, 26.

Quare homo ſemet odiſſe debeat.

14. Quid ſit autem *ſe ipſum odiſſe*, compendio dicamus. Omnes nos veterem hominem circumferimus, ſumuſque adeo ipſe vetus homo, cujus natura ac indoles eſt, nil niſi peccare, ſe ipſum amare, ſua commoda, ſuos

ſuos honores conſectari, genio carnique indulgere. Caro enim & ſanguis uſque adeo ſibi ſimilis ſemper eſt, ut ſibi unice ſtudeat, ſibi aſſurgat venerabunda, ſibi ipſi applaudat, ſibi inſerviat, ſe in omnibus ſpectet, ſtomachetur facile, invida, virulenta, vindictæque cupida ſit. Hæc omnia tu ipſe facis & ipſe es. Nam cum ex animo tuo & corde ſcaturiant, tua hæc vita eſt, tui inquam veteris hominis. Unde ſane teipſum odio proſequaris oportet, ſi Chriſti diſcipulus eſſe velis. Qui autem ſeipſum amat, hic propriam ſuperbiam, avaritiam, iram, odium, invidiam, mendacium, perfidiam, injuſtitiam, pravamque concupiſcentiam amat. Quæ certe non modo non amanda ſunt, non excuſanda nec velanda, ſed aperto odio proſequenda, mortificanda & abneganda, ſi Chriſti velis eſſe diſcipulus. *Philautia, quid?*

CAPUT XV.

In vero Chriſtiano oportere veterem hominem quotidie mori, novum autem renovari. Quid item ſit ſeipſum *Abnegare*, & quænam ſit vera crux Chriſti.

Luc. IX, 23. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me.*

VERBA ſunt Pauli *Eph.* IV, 22, 23. de vetere homine: *Deponite ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ; & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Cauſſam

autem exprimit 1 *Cor.* VI, 20: *Empti enim eſtis pretio magno; proinde glorificate Deum in corpore veſtro & in Spiritu veſtro, quæ ſunt Dei.*

Vetus homo quid?

2. Quid ſit autem *vetus homo*, modo diximus, ſuperbia puta, avaritia, libido, injuſtitia, ira, inimicitia, odium & invidia; quæ omnia in vero chriſtiano mori debent, ut novus homo emergat & quotidie renovetur.

3. Occidente ergo vetere homine, vivificatur contra novus, *h. e.* deficiente ſuperbia, ſuccedit per Spiritus ſancti gratiam humilitas; moriente ira, explendeſcit manſuetudo; extincta avaritia, augetur fiducia in Deum; ſublato amore mundi, Dei charitas exardeſcit. Atque hic eſt *novus* ille internuſque homo, cum membris ſuis: Hi fructus ſunt Spiritus ſancti: Hæc viva eſt efficaxque fides; hic Chriſtus eſt in nobis una cum vita ipſius nobiliſſima; hæc nova obedientia: hoc mandatum novum; hic eſt denique fructus Regenerationis in nobis, in qua qui vivunt, hi ſoli ſunt filii Dei.

Novus homo quid?

Quid ſit ſeipſum abnegare?

4. Inde ergo eſt quod dicitur, debere hominem *ſeipſum abnegare*, puta honorem proprium, voluntatem & arbitrium proprium, privata commoda, ſuamque exiſtimationem; immo de ſuo jure decedere, nec tantum ceteris rebus omnibus, ſed ipſa vita indignum ſe arbitrari. Quippe verus chriſtianus, in quo Chriſti humilitas habitat, ultro agnoſcit, hominem nihil eorum, quæ divinitus ipſi obtingunt, ſuo ſibi jure vindicare poſſe atque aſſerere, cum ſint ad unum omnia dona gratuita munificentiæ divinæ. Unde iiſdem etiam ut alienis bonis cum metu tremoreque ad reparandas naturæ ruinas, tantum utitur, neutiquam vero ad voluptatem hinc hauriendam vel commodum aliquod honoremque capiendum.

Omnibus cum timore utendum.

5. Age

Collatio carnalis & ſpiritualis hominis.

5. Age conferamus inter ſe *verum* chriſtianum ſui-ipſius abnegationi deditum; itemque *falſum* quendam amori proprio explendo unice intentum. Hunc ſi quis contumelia affecerit, de illata ſibi injuria ſummopere illum dolere videbis; pariter æſtuare ira, indignari, conviciari, bacchari, verbis & facto injuriam ulciſci, atque vel juramento vindictæ cupidinem aſſerere. Hic jam *Vetus homo* eſt cum fructibus ſuis, ſtupidus, barduſque quantus quantus eſt: Ad iras, odia & ſimultates propenſus, oppreſſor denique ac vindex. Contra qui *ſeipſum abnegavit*, manſuetus eſt, placidus, patiens, nihil de vindicta cogitans, ac non modo his, ſed longe pluribus contumeliis dignum ſe pronuncians. Et omnia hæc nomine *ABNEGATIONIS* continentur.

Chriſtus ſeipſum abnegat.

6. Hujus patientiæ, humilitatis ac manſuetudinis abſolutiſſimum exemplar habemus Chriſtum Jeſum, qui ſe ipſe abnegavit, cum diceret *Matth.* XX, 28: *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Et *Luc.* XXII, 27: *Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Et *cap.* IX, 58: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Item *Pſ.* XXII, 7: *Vermis ſum & non homo.* Similiter *David* a Semei maledictis impetitus, ſeipſum abnegans dicebat 2 *Sam.* XVI, 10: *Dominus præcepit ei*, ego autem vermis ſum in conſpectu Domini, & dignus longe pejoribus. Breviter: Omnes ſancti Dei & prophetæ ſeipſos abnegaverunt, indignos ſemet rati, quibus quicquam boni conferretur. Hinc omnia patienter tulerunt: Maledictis laceſſiti, nulla maledicta regeſſerunt, perſecutionem paſſi, perſequentibus benedixerunt, Deo gratias egerunt, pro occidentibus ipſos oraverunt; *Act.* V, 40, 41.

Omnes ſancti ſe abnegarunt.

LIB. I. CAP. XV.

cap. VII, 60. atque ita per multas calamitates intraverunt regnum Dei, *Act.* XIV, 22.

Quid sit ſeipſum abnegare.

7. Habes quid ſit *abnegare ſeipſum*; puta bonis omnino omnibus indignum, malis autem omnibus digniſſimum ſe agnoſcere.

8. Et hæc ipſa crux Chriſti eſt, quam ſuſcipere in nos juſſit Dominus *Luc.* IX, 23: *Qui vult meus eſſe diſcipulus, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Quippe hæc vita Chriſti, veteri homini carnique & ſanguini crux eſt acerbiſſima: Mallet libere in diem vivere, impuneque per omne genus voluptatum graſſari caro quam humilitati, manſuetudini, patientiæ, & denique vitæ Chriſti univerſæ ſe ſubmittere. Hæc enim vita Chriſti crux eſt amara, immo mors ipſa veteri homini.

Occaſus veteris hominis eſt ortus novi.

9. Quicquid veteris hominis ex carnali *Adami* generatione in animam intravit, in vero Chriſtiano mori debet. Neque enim humilitatem Chriſti indues, niſi ſuperbia in te intermoriatur; non paupertatem illius, niſi avaritia; non contemptum gloriæ & contumelias, niſi ambitio moriatur. Non vivet in te Chriſti manſuetudo & patientia, niſi vindictæ cupido & iracundia tua in te intereat.

Imago Dei eſt ſumma hominis dignitas.

10. Hæc omnia appellat ſcriptura *abnegare ſeipſum, tollere crucem ſuam & Chriſtum ſequi*; idque nulla ſpe commodi, meriti, mercedis, laudis aut gloriæ; ſed ſolum propter amorem Chriſti. Quia ipſe nimirum omnia hæc ſubiit prior, hæcque illius tota vita fuit, & una omnium horum imitationem nobis inculcavit. Et hæc eſt imago Dei in Chriſto & in nobis, quo honore major homini obtingere nullus poteſt, adeoque indignum ſit, aliud pretium operæ & laboris expectare.

11. Et

11. Et quare jam honoribus aucupandis tempus adhuc insumeremus, cum nullus mortalium melior coram Deo hinc efficiatur? Idem omnium ortus est, idemque occasus, nec alter altero meliore conditione hanc lucem aut aspicit aut amittit; uterque dives & pauper ejusdem naturæ corpus, ex corrupta scilicet sanguinis carnisque massa conflatum, circumfert. Ne hilum unus alteri præstat; & tamen, quæ insania nostra est, ut vani honoris pruritu miseri mortales torqueamur, ceterisque afflictionibus ambitionis rotam philautiæ impetu actam addendo, miseriam nostram adaugeamus. Huic quisquis indulget & sibimet ipsi plaudit ac parasitatur, tum pompis, honori laudique servit, eum certum est, avertere animam suam a Deo & Christo ad mundum & ad seipsum. Atque ad hunc Christus accedens, talia ipsi suggerit: Si te, si animam, si vitam tuam servare vis, odisse hæc omnia oportet; sin ea sic amare perrexeris, ilicet, de salute actum est! Quam paradoxon sententiam vetus *Adam*, cui semper dulce est honore ac laude mulceri, ex sua indole respuit & aversatur.

Nemo altero melior est.

Philautia prohibita est.

12. Eheu vero! Quam pauci sunt, qui hunc genium *Adamicum* cognoverint, aut cognito impugnare ausint? Quia vero prava hæc indoles orta nobiscum est & nata, in Christo penitus etiam moriatur necesse est. Eheu! Quam exiguus numerus est eorum qui omni animi nisu ad hoc contendant. Moriatur itaque per humilitatem Christi nostra superbia: per ipsius paupertatem intereat nostra avaritia; per ipsius amaram passionem nostra extinguatur luxuria: Per contumeliam ipsi illatam, ac patientiam qua quæque adversa ferebat, ambitio nostra ad iramque propensio.

LIB. I. CAP. XVI.

Mundo mortuum Deus exhilarat.

13. Quiſquis autem ad hunc modum ſibi ipſi mortuus eſt, facile porro mundum cum omnibus ſuis pompis, opibus, honoribus & voluptatibus contemnet, in uno Chriſto hæc omnia inventurus. Verus advena & inquilinus hujus mundi eſt, conviva autem & commenſalis Chriſti, cor ipſius admirabili ſubinde gaudio perfundentis: Ita ut in hac quidem vita jubilæum in pectore gerat, in altera cum omnibus ſanctis jubilæum ſempiternum in perfecta manifeſtatione interioris gloriæ, celebraturus.

CAPUT XVI.

In vero Chriſtiano luctam carnis & ſpiritus nunquam ceſſare.

Rom. VII, 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

Homo duplex in nobis.

IN quolibet vero chriſtiano duplex homo eſt, *exterior* & *interior*. Hi duo etſi conjuncti ſunt, aſſidue tamen diſſident, uniuſque vita mortem alteri infert, juxta illud Pauli 2 *Cor.* IV, 16: *Si exterior noſter homo corrumpitur, interior tamen quotidie renovatur.*

2. Utrumque idem Apoſtolus appellat *Rom.* VII, 23. *Legem mentis & carnis*; itemque *Gal.* V, 17. *carnem & ſpiritum. Caro*, inquit, *concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.*

3. Vincente ergo *ſpiritu*, vivit homo in nova nativitate & creatura, in Deo & Chriſto, & homo *ſpiritualis* dicitur. Carne autem regnante, vivit idem in Diabolo, & antiqua nativitate, exſors regni Dei, & *carnalis* nuncupatur;

nuncupatur: *ſapere autem ſecundum carnem, mors eſt.* Rom. VIII, 6. Itaque a prædominio alterutrius nomen in ſcriptura ſortitur homo, ſic ut *carnalis* aut *ſpiritualis* audiat.

Homo carnalis ſpiritualis.

4. Quod ſi concupiſcentiis ſuis in hac pugna ſuperior evadat homo, argumentum tunc eſt roboris, quo pollet ſpiritus hominis interioris: ſin ſuccumbat, ſignum eſt infirmitatis fidei ac ſpiritus; *Fides* enim ac *Spiritus* eandem hic rem ſignificant, juxta illud 2 *Cor.* IV, 13: *Habentes eumdem ſpiritum fidei, propter quod & loquimur.*

Spiritus & fides ſunt ſynonyma.

5. Ille jam qui ſeipſum & proprias cupiditates domitas habet ac ſpiritui ſubjectas, fortior eſt eo, qui fortiſſima vincit mœnia, ſecundum proverbium ſacrum *Prov.* XVI, 32: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium.* Si proinde tibi curæ cordique eſt, auguſtiſſimam victoriam reportare, tum vero teipſum, tuam iram, ſuperbiam, avaritiam, & pravas concupiſcentias vince, & evertiſti regnum Diaboli; regnum enim Satanæ in omnibus his fundatum eſt & ſtabilitum. Quales victores pauci ſemper exſtiterunt, utcumque magno numero recenſeantur expugnatores urbium.

Maxima victoria eſt ſeipſum vincere.

Vincere regnum diaboli quid?

6. Hic vero te cogitare velim, quod ſi carni nimium indulgeas, animam te occidere; præſtare autem, animam vincere, ut ſimul corpus conſervetur, quam ut hoc vincente ipſum cum anima pereat. Statutum eſt enim ſemel a Servatore noſtro *Jo.* XII, 25: *Qui amat animam ſuam, perdet eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.*

Victoria animæ conſervat totum hominem.

7. Quantumvis autem hæc lucta in ſe habeat perpeſſu aſpera ac dura, parit tamen victoriam illuſtrem, coronamque longe pulcherrimam

LIB. II. CAP. XIV.

cherrimam. *Esto fidelis usque ad mortem*, ait Filius Dei *Apoc.* II, 10. *& dabo tibi coronam vitæ.* Et 1 *Jo.* V, 4: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Mundum indigitat, qui in nobis est, in corde nostro. Vince teipsum & vicisti mundum.

Quid sit vincere mundum.

8. Quod si mihi nunc quispiam dicat: *An ergo protinus damnabor, si peccatum aliquando nolentem sibi subjiciat; Erone propterea statim delendus ex numero filiorum Dei, juxta illud* 1 Jo. III, 8: *Qui peccatum facit, ex Diabolo est?* Respond. Si spiritus luctam cum carne in te experiaris, & nonnunquam *facias ea, quæ non vis* (quæ sunt verba Pauli) indicium est cordis fide Christo adhærentis, spirituſque contra carnem pugnantis. Nam Paulus suo exemplo nos docet, hoc certamen in bonis & fidelibus cerni, dum *Rom.* VII, 23. diserte profitetur, *sentire se aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ*, quæ est homo novus & interior, *& captivantem illum in lege peccati, ad faciendum ea, quæ nolit; & velle quidem adjacere sibi, perficere autem bonum, non invenire, non enim quod velit bonum, hoc facere, sed quod nolit malum, hoc agere.* Itaque lamentabundus exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus!* Cui simillimum est, quod pronunciat Christus *Matth.* XXVI, 41, *Marc.* XIV, 38: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Lucta fidei.

Regnans non inhabitans peccatum damnat.

9. Non *dominatur* ergo in homine peccatum, quamdiu in illo hoc certamen cernitur: Neque enim imperium exercere dicendum est eum, contra quem assidue dimicatur. Dum autem peccatum non dominatur, (resistente illi spiritu,) nec hominem damnare potest. Licet enim omnium sanctorum æqua conditio sit, *h. e.* peccata habeant omnes, juxta illud Pauli

Pauli *Rom.* VII, 18: *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Itemque illud *Jo.* 1 *Ep.* I, 8: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; Non tamen peccatum *inhabitans* damnat sed *regnans*. Etenim cui peccato reluctamur, nec consentimus, id nobis nequaquam imputatur, dicente Paulo *Rom.* VIII, 1: *Nulla nunc condemnatio est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant*, hoc est, carnem *dominari* non permittunt. Quotquot autem in hac lucta non versantur assidue, hi *renati* non sunt, peccatum enim in illis *regnat*, proindeque victi & servi peccati ac Satanæ facti, in statu damnationis sunt, quamdiu peccatum sibi dominari permittunt.

Cananæi mystici.

10. Hæc lucta typo *Cananæorum* sat significanter est adumbrata *Jos.* XVI, 20, quorum reliquiis in terra promissæ quietis inter Israelitas *habitare* licebat, *dominari* vero non licebat. Nec aliter sancti Dei viri suas quisque imperfectiones residuas sentiunt & *patiuntur*, quibus interim imperium non deferunt. Novus homo qui verus est *Israel* vel *Dei certator*, (*Gen.* XXXII, 28.) imperium gerat, vetus autem dometur inque obedientia teneatur.

Spiritus prospicere debet, ne caro diu imperet.

11. Novum hominem demonstrat assidua lucta contra veterem; immo, quo ferventius pugnat, eo majus spiritus robur colligit, quo vetus homo magis magisque debellandus. Spiritus roboris & victoria quam reportat, character est & insigne veri *Israelitæ*. Militia denique probat christianum: nam terra *Canaan* bellando occupatur & retinetur. Quod si eveniat nonnunquam, carnem sive *Cananæum* dominium invadere; *Israelis* novique hominis est, tyrannum non diu tolerare; sed collectis novis copiis & auxiliis per gratiam Dei

LIB. I. CAP. XVII.

Dei in Chriſto, perque ſeriam pœnitentiam & peccatorum remiſſionem a lapſu reſurgere, verumque *Joſuam*, illum principem populi, ad ferendum ſuppetias recuperandamque victoriam, implorare. Quo facto, prius peccatum tectum, obliteratum condonatumque eſt, & homo hoc ordine ad vitam renovatus inque Chriſtum tranſplantatus, dominium iterum capeſſit. Quocirca qui non paucas imperfectiones in carne veſtra identidem ſentitis, quo minus ex mentis veſtræ voto ac ſententia præſtare valeatis omnia; vobis utpote ſincere de adhærente peccato dolentibus Chriſti Jeſu meritum efficaciter imputatur, ipſiuſque perfectiſſima obedientia imperfectiones veſtræ teguntur. Hic inquam modus hæcque ratio legitima *imputationis* meriti Chriſti eſt, cum quotidie pœnitentia agitur, & ſemper a lapſu reſurgitur. Quod cum non faciant improbi ac impœnitentes, quippe qui carni ſuæ quidlibet indulgent, & ſub peccati dominium detrudi ſe patiuntur, meritum Chriſti licet vel maxime ore jactent, in vanum ſibi arrogant. Nam ſanguis Chriſti quid illi prodeſſet, qui pedibus illum conculcat, *Ebr.* X, 29?

Imputatio meriti Chriſti apud ſolos pœnitentes locum habet.

CAPUT

CAPUT XVII.

Christianorum hæreditatem & bona non esse de hoc Mundo, quos proinde ut advenas illis uti oportet.

1 Tim. VI, 7. *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.*

Omnibus cum timore ad necessitatem modo utendum.

OMNIA temporalia quæ a Deo creata hominique concessa sunt, ad *reficiendas fragilis vitæ ruinas* unice data sunt. Hinc æquum etiam est, illa non alio convertere, sed omnia a clementissimo Deo cum gratiarum actione timore & tremore accipere. Quæcunque jam præter necessaria adsunt, sive sit aurum argentumque, vel cibus, potus, vestimenta, &c. ea *probandi hominis caussa* a Deo erogata esse crede; ut per hæc innotescat, quomodo se habiturus sit illius animus erga hæc terrena Deumque ipsum; *h. e.* num huic soli adhærere, in hoc uno acquiescere, tantumque cœlestibus & invisibilibus bonis invigilare velit; an vero terrenorum illecebra inescatus, huic temporali se addicere vitæ velit, terrenumque paradisum cœlesti ducere potiorem?

Opes sunt tentamentum hominis.

Homo inexcusabilis.

2. Itaque ratione rerum temporalium Deus homini liberum arbitrium optionemque concessit, jam per divitias honoresque, jam per conspicua dona ipsi collata, jam per hominum favorem probans eum; an scilicet Deo sincere adhæreat, an hunc spectet, in hoc vivat? An vero creaturæ splendore fascinatus, animum

mum a Deo avertere, proprium cordis impetum sequi, & extra contraque Deum incedere velit? Quo pacto quisque sua sententia & calculo judicatur, manetque inexcusabilis, juxta illud Moysis *Deut.* XXX, 19: *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum, ut eligas vitam & benedicatur tibi.*

Superflua sunt tentamentum timoris Dei.

3. Omnia ergo in hoc mundo oculis nostris exposita sunt, non sane voluptatis & deliciarum caussa, sed velut *experimenta* & tentationes, in quibus facilis lapsus est, si a summo bono quis recedat. Atque hæc est illa arbor vetita cum suis fructibus, de qua edere prohibitum, *h. e.* seculi vanitas abneganda est, ne animus noster illi immersus, relicto creatore, desideria sua in mundo explere satagat, more filiorum hujus seculi, qui omnium aliarum deliciarum ignari prorsus, eas saltem insectantur quæ ex terrenis capiuntur; abutentes proinde creaturis Dei, cibo, potu ac vestibus ad voluptates carnis nutriendas. Et hoc abusu plerique omnes hodie a Deo abducuntur.

Christianus non delectatur mundanis.

4. Verorum autem christianorum est, cogitare, hic se esse advenas & peregrinos, adeoque terrena necessitati tantum, non deliciis, destinata esse. Ex solo Deo, & non ex mundo voluptatem hauriunt ac delectationem. Aliter enim si faciant, peccato se polluunt, & prava concupiscentia irretiti, quotidie cum *Eva* fructu prohibito vescuntur. Veri christiani non delectantur eduliis terrenis, sed cibum nunquam periturum esuriunt. Non superbiunt splendido vestium terrenarum apparatu; sed ad indumentum claritatis divinæ quo glorificata corpora induuntur, aspirant

rant. Summa: veris christianis omnia, quæcunque in hoc mundo aliis blandiuntur, nil sunt nisi crux, tentatio, illecebra peccati, fel & venenum. Et recte sane: Quicquid enim homo concupiscentiæ suæ morem gerens, ad explenda carnis desideria, sine timore Dei usurpat, id vero non potest non animæ venenum esse, utcunque corpori bene vel ad sanitatem cessisse videatur. Verum, quæ est nunc hominum stupiditas! Nemini cordi est, arborem vetitam cum suis fructibus cognoscere; sed singuli naturæ concupiscentia illecti, secure in diem vivunt & carnis cupiditati (quæ est arbor vetita,) sine hæsitatione indulgent.

LIB. I. CAP. XVII.

Omnia mundana sunt mera crux christiano.

5. Quicunque itaque Christiani nomen digne gerere vult, omnia temporalia cum timore Dei & velut advena leviter attingat, iterum iterumque cavens, ne ex una parte, cœlestem patrem familias, cibi, potus, vestium, ædium, sive cujuscunque caduci boni abusu, ad iram moveat; ex altera vero, ne commensalibus suis offendiculum ponat; oculos fidei æternis ac futuris bonis jugiter intentos gerens. Quid enim corpori mox a vermibus corrodendo prodest, si in hoc mundo omni genere voluptatum affluxerit? *Nudus*, inquit Jobus *cap.* I, 21, *egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Scilicet nudum, infirmum & fragile corpus pro sarcina in mundum afferimus, quæ ipsa vero ubi mundo iterum egrediendum, cum omnibus aliis, cumque vita ipsa post terga linquenda.

Christianus cum timore utitur creaturis.

6. Adeo quicquid jam inde ab utero matris usque ad ipsam mortis horam in hoc mundo habuimus, miserrimæ necessitatis levamina,

LIB. I. CAP. XVII.

mina, immo *panis misericordiæ & doloris* fuerunt, quorum usura & possessione uno momento mors nobis interdicit. Pauperiores egredimur quam intramus. Moriens homo pauperior est nascente. Cum nascitur, corpus sane habet vitamque; tegumenta etiam præsto sunt quibus involvatur, cibusque & habitatio. Hæc omnia autem morte linquenda. Quis jam pauperior est homine moriente? Et si in Deo non fuit dives, quis inopiæ ejus erit finis, dum omnibus creaturis miserior est?

Panis christianorum est panis doloris.

7. Agite proinde mortales! Quia advenæ sumus & peregrini in hoc mundo, terrena vero omnia nihil aliud quam tot humanæ necessitatis fulcra sunt morte linquenda; desinamus tandem, animæ nostræ ea coacervando molestias facessere, utpote quæ post mortem nullam utilitatem allatura sunt. Agnoscamus insaniæ speciem esse, fragili & caduco corpori tantas opes tanto labore congerere, quas tamen auferre ex mundo, nequit homo. Considera alium adhuc esse mundum, aliud corpus & aliam vitam hoc mundo, corpore & vita longe præstantiora. Hæc, inquam, mortales ad animum revocate! Vel obliti prorsus estis, advenas vos esse & peregrinos coram Deo, ut est in *Ps.* XXXIX, 14? *Coram Deo* inquam: pauciſſimos enim credere advenas se esse, facta eorum abunde testantur. Confer. *Levit.* XXV, 23.

In morte omnes æque divites sumus.

Avaritia est species insaniæ.

8. Cum itaque in hoc mundo advenæ simus, consequitur, alibi patriam nostram esse. Id quod facile pateſcet, si tempus cum æternitate; mundum visibilem cum invisibili; habitaculum terrenum cum cœlesti; mortalia cum immortalibus; caduca cum æternis conferamus. Rerum harum contrariarum collatio frequensque meditatio purificat animam nostram

Meditatio æternorum & temporalium introducit ad sapientiam.

nostram, ita ut per fidem conspicere permulta liceat, ad quorum cognitionem non admittuntur, qui huic contemplationi non vacant. Tales sunt, qui in terrenis, ut cœno volutantur, immersi avaritiæ, usuris, curisque ac studio rerum terrenarum. Fidei hi oculo penitus destituuntur, utut in rebus hujus seculi sint satis perspicaces & lyncei. Qui ita mundanis inhiant, vitam hanc fragilem gaudiaque terrena omnibus aliis ut jucundissima, optima, nobilissimaque anteferenda existimant; cum veris christianis sano judicio & recto pretio omnia æstimantibus, exilium sit hic mundus, vallis lacrymarum, spelunca miseriæ doloriſque carcer.

Christianis mundus est crux & exilium.

9. Itaque qui mundum hunc diligunt in eoque paradisum suum quærunt, belluas prudentia non superant: *Moriuntur quasi jumentum*, ut ait *Ps.* XLIX, 21. Quoad hominem internum cœci sunt; cœlestia non cogitant, gaudia in Deo recondita non degustant: In impuris autem seculi voluptatibus suaviter acquiescunt, hasque consecuti, optima quæque sibi obtigisse arbitrantur. Eheu! Homines vere miseros, brutos, bardosque! Hi certe sedent in *tenebris ignorantiæ & mortis umbra* Luc. I, 79, in æterni judicii tenebras cito hinc commigraturi.

10. Ut autem eo firmius animo nostro imprimamus, advenas nos esse & peregrinos in hoc mundo, Christi exemplum intueamur, ejusque & doctrinam & vitam sedulo sequamur. Hic exemplar nobis reliquit, cui universa vitæ nostræ ratio conformanda est. Hic cum esset hominum nobilissimus, vitam tamen paupertate & contemtu undiquaque plenam, voluptatibus vero, honore rebusque hujus mundi vacuam, ultro elegit;

Christus mundi advena.

Quæ tria pro trino numine mundus habet.

LIB. I. CAP. XVII.

Unde adeo ipsemet *Matth.* IIX, 20. fatetur, *non esse filio hominis, ubi caput suum reclinet.*

Sancti contemserunt mundana.

11. *David* antequam ad regnum vocaretur, pauper erat, vilis & contemptus; at rex jam factus, omnem illum splendorem regium præ gaudio vitæ æternæ nihili fecit; unde *Ps.* LXXXIV, 2 canit: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atrio Domini. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Habeo sane regnum, habeo subditos mihi populos, habeo palatia regia & arcem Sion; sed nihil hæc sunt ad tabernacula tua Domine! Eodem sensu *Jobus* affectus erat, cum in Redemptore suo exultaret, *cap.* XIX, 25.

Sancti in Christo vixerunt.

12. *Petrum* aspice & *Paulum*, ceteroscque Apostolos omnes, qui divitiis non hujus, sed alterius mundi intenti, vitam Christi induerunt, ambularuntque in illius charitate, mansuetudine & patientia, & mundum contemserunt. Maledicentibus bene precati sunt; contumelia affecti, gratias egerunt; in persecutionibus Deum laudaverunt *Act.* V, 21. 1 Cor. IV, 12; sub flagellis patientiam immotam demonstrarunt, asserentes: *Per multas nos tribulationes oportere intrare in regnum cœlorum*, Act. XIV, 22; & denique cum occiderentur, precati sunt cum Christo, *Pater dimitte illis!* Act. VII, 60. Ita tandem plene mortui sunt omni iræ, vindictæ, amarulentiæ, ambitioni, superbiæ, amori mundi & sui ipsius: Vixerunt autem in Christo, inque illius charitate, mansuetudine, humilitate & patientia. Hi vere in Christo vivificati fuerunt per fidem.

Sanctifuerunt sibi & mundo mortui.

Mundani sunt in peccatis mortui.

13. Divina hæc Christi vita filiis hujus seculi parum innotuit. Qui enim in Christo non

non vivunt, nec *VERITATEM* seu veram vitam in illo esse sciunt, *Eph.* IV, 21. eos eo ipso in peccatis suis mortuos esse, in ira scilicet, odio, invidia, avaritia, usuris, superbia & vindictæ cupidine, plus satis manifestum est. Quamdiu vero in his perseverat homo, veræ pœnitentiæ manet expers, neque vivificam Christi virtutem, qua vita divina reparanda erat, per fidem percipit, licet optima quæque de se ipse sentiat, deque Christo verbis multa jactare sciat. Contra, veri christiani intelligunt, ipsorum esse, *vestigiis Christi insistere*, 1 Pet. II, 21. ad illiusque vitam totam vivendi rationem componere. In ipsius vitam ipsumque adeo CHRISTUM jugiter intuendo, normam vitæ doctrinæque ex eo ceu vero christianorum libro, hauriunt. Atque hi tales experiuntur, aut nullam, aut hanc solam veram vitam esse, quæ ex Christo scaturiat, juxta illud:

Vita Christi est liber & biblia christianorum.

Omnia nos Christi vita docere potest.

Hi cum Apostolis dicunt 2 *Cor.* IV, 17: *Non contemplamur quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.* Et *Ebr.* XIII, 14: *Non habemus hic manentem civitatem; sed futuram inquirimus.*

Homo creatus non ad hanc, sed ad alteram vitam.

14. Quod si itaque revera advenæ sumus & peregrini, nec manentem civitatem habemus in hoc mundo, omnino etiam sequitur, nos *propter hunc mundum* non fuisse creatos; alium vero superesse mundum, aliam patriam, alias sedes, alias proprietates, pro quibus vel centum mundos, immo vitam ipsam impendere, in lucro sit deputandum. Quæ cum sciat verus christianus, gaudet ex intimis sensibus, se non ad hanc, sed *ad vitam æternam* esse conditum; inque hoc unum incumbens, ut in Deo diteſcat, ridet amore mun-

LIB. I. CAP. XVIII.

di occœcatorum inſaniam, qui animas ſuas propter hæc fragilia & brevi peritura miſerrime affligere, atque adeo etiam perdere & deſtruere non vereantur.

CAPUT XVIII.

Deum graviſſime iraſci his, qui caduca æternis præferunt; tum cur & quatenus cor noſtrum creaturis addicere non debeamus.

Num. XI, 1. *Ecce accenſus in eos ignis Domini devoravit extremam caſtrorum partem.*

Symbolum veri & pſeudo-chriſtiani.

VULGUS illud Iſraelitarum, quod contra *Moyſen* murmurabat, dicens: *Quis dabit nobis ad edendum carnes? Recordamur piſcium & cucumerum, quos comedebamus in Ægypto*; typus eſt nunc hominum, qui ſub Evangelii prætextu ac titulo, nil niſi terrena & carnalia, puta honores, opes & voluptates conſectando, plus operæ adhibent, ut opulenti, quam ut beati fiant; potiuſque hominum gloriam diligunt, quam gloriam Dei; *Jo.* XII, 43. & denique plus carnis concupiſcentiis, quam veræ paupertati ſpiritus & contritioni tribuunt. Contra vero genuini chriſtiani character eſt, majorem animæ ſuæ rationem habere, quam corporis, & imminentem futuræ vitæ gloriam præſenti longe anteferre. Sitit cœleſtia, ut contemnat terrena: Inviſibilia intuetur, ne viſibilium amore capiatur; denique carnem crucifigit, ut ſpiritus vivat.

Chriſtus regula vitæ noſtræ.

2. Verbo: in eo prora eſt & puppis veri chriſtiani, ut *imitetur Chriſtum*; ſive ut *Auguſtinus*

guſtinus ait: *Summa religionis eſt, imitari eum, quem colis.* A qua ſententia non procul abeſt illud *Platonis* ex lumine naturæ petitum: *Perfectio hominis conſiſtit in imitatione Dei.* Unde nihil aliud nobis relinquitur, quam *CHRISTUM*, vitæ noſtræ exemplar ac normam eſſe ex omni parte perfectam; eoque unice omnia noſtra conſilia, ſtudia cogitationeſque eſſe dirigenda, ut ad ipſum perveniamus, & veræ ſalutis ex ipſo participes facti, ibi in æternum cum illo vivamus, hic vero cum gaudio ergaſtuli noſtri diſſolutionem exſpectemus. LIB. I. CAP. XVIII.

3. Eo itaque allaboremus, ut omnes noſtri labores, actiones, negotia & vocationes *fide* peragantur, & cum deſiderio ac ſpe ad æterna quæque aſpirent. Vel, ut ſignificantius dicam: In omnibus quæcunque ſuſcipimus, æternæ beatitatis vitæque futuræ memoriam nec ad momentum deponamus. *Omnia in fide facienda.*

4. Ex hoc ſancto Dei timore naſcitur in homine ſanctum quoddam deſiderium æternorum, ſimulque inſatiabilis terrenorum cupiditas quæ in natura æſtuat, reſtinguitur, juxta illud Pauli *Col.* III, 17: *Omne, quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti facite, gratias agentes Deo patri per ipſum.* *Amor mundi fide extinguitur.*

5. Nihil autem eſt *Nomen Dei* quam Dei honor, laus & gloria. *Secundum nomen tuum Deus ſic & laus tua in fines terræ*, inquit *David Pſ.* XLIIX, 11. Ad quem *Scopum* ſi omnia noſtra opera vitamque adeo univerſam referamus, tum vero æternitati ſunt conſecrata, fiuntque *opera noſtra in Deo*, Jo. III, 21, & *ſequuntur nos.* Apoc. XIV, 13. *Nomen Dei quid?*

6. Breviter: Deus qui ſummum Bonum eſt & vita æterna, omnium noſtrarum cogitatio-

LIB. I. CAP. XVIII.

num, operum & verborum primus velut motor esse debet, si æterna salute excidere non velimus. Id quod Paulus significantissimo vocabulo insinuat 1 *Tim.* VI, 11: *Tu autem O homo Dei, hæc fuge*, puta, avaritiam. Vocat christianum *hominem Dei*, quia ex Deo natus est, in Deo & secundum Deum vivit, Dei denique filius est ac hæres: sicut contra *homo mundi est*, qui mundano more vivit, cujus pars & hæreditas mundus est, & *cujus venter impletus bonis terræ*, ut habet *Ps.* XVII, 14. Hanc vivendi rationem christianus omni studio evitet, e contrario vero fidem sectetur & charitatem, apprehendatque vitam æternam ad quam vocatus est.

Homo Dei & homo mundi quis?

7. Hoc nisi fiat, tum vero enormi peccato se polluit homo, æterno igne suo tempore puniendus: Quod, ut præfiguratum fuit per illud incendium castrorum cœlitus ab irato Numine ad puniendum Israelitarum luxum immissum; ita justam Dei indignationem qua omnes qui ingluviei inserviunt ventrique, destruuntur, nos edocet. *Num.* XI, 1. *seq.*

8. Quocirca quoties hujusmodi plagæ grassantur, quales inundatio, incendium, bella, fames, pestilentia, illud continuo nobis obversetur, justissimas has commoti & offensi Numinis pœnas esse, unice hinc concitatas, quod cœlestium immemores facti homines, caduca tantum sectantur, præsentia futuris anteponunt, majoremque corporis quam animæ habent rationem. Quod ut extremæ ingratitudinis indicium est, contemptusque Dei; ita cum hic tum illic rigidissime punietur. Ipse considera ô homo! Annon profligatæ ingratitudinis nota sit, Deum Ter Optimum Maximum, cui anima corpusque accepta ferenda, fragili creaturæ postponere? Hanc in Dei

Dei ira unde.

Summa ingratitudo & contumelia Dei.

locum

locum erigere; opus opifici anteferre & cito peritura, æternum duraturis?

9. Ad *neceſſitatem* enim tantum creaturæ datæ ſunt nobis, nequaquam vero, ut corde noſtro & amore ipſis adhæreamus; id quod ſolus Deus merito ſibi vendicat. Sint creaturæ quædam quaſi veſtigia & teſtimonia, quibus homo ad Deum ipſum quærendum inductus, ad autoris creatoriſque cognitionem & amorem perveniat tandem, & in eo unice conquieſcat. *Creaturæ cur nobis datæ.*

10. Quem divinum ordinem cum amor mundi evertere audeat, tum vero juſtiſſima Dei vindicta in igneum quaſi diluvium talibus idololatris convertitur; cujus typus *Sodomæ* eſt & *Gomorrhæ*, *Gen.* XIX, 24, itemque hæc, de qua loquimur, caſtrorum conflagratio, æterni ignis pœnam haud obſcure indigitans. *Amor mundi convertitur in ignem Sodomæ,*

11. Sunt certe, ſunt omnes creaturæ ex ſe bonæ; ſed cum homo cor ſuum illis apponat, nec conceſſo & legitimo amore in illas feratur, jam velut tot evadunt idola, adeoque tot homini ſunt impedimenta & tot abominationes coram Deo. Haud aliter atque deaſtri argentei & aurei execrabiles illi ſunt, proindeque materia ignis æterni; utcumque aurum & argentum ex ſe creaturæ ſint bonæ. *Creaturæ quomodo fiat abominatio.*

12. Summa: Chriſtianorum amor, gaudium, opes honoreſque æternitati ſint dedicata, unde porro vita æterna ſuo tempore conſequetur: nam *ubi theſaurus tuus, ibi & cor tuum*, Luc. XII, 34. Matth. VI, 21. Contra ex amore & concupiſcentia mundi non poteſt non ſequi æterna condemnatio. *Mundus enim tranſit cum pompis ſuis; qui autem Dei voluntatem fecerit, manet in æternum*, 1 Jo. II, 17. Unde idem Apoſtolus *v.* 15. fideles obteſtatur, dicens: *Filioli, nolite diligere mundum, neque ea,* *Fructus amoris mundani.*

LIB. I. CAP. XVIII.

quæ in mundo sunt. Quo effato manifeste denunciat, nolle Deum, ut ullam creaturam diligamus. Ratio est

Creaturæ quare non amandæ?

Primo: Quia amor est ipsum cor hominis & affectuum nobilissimus; soli proinde Deo, ceu summo maximoque Bono, consecrandus.

Secundo: Quia stultitiæ genus est, amare id, quod nos redamare non potest. Unde in vanum diliguntur caduca quæque & emortua, utpote reciproco amore vacua. Merito autem solus Deus ultra omnes creaturas amatur, quippe qui ex abundanti amore nos ad vitam æternam creavit, redemit & sanctificavit.

Cur homo ad imaginem Dei creatus sit?

Tertio: Quia naturaliter similia diliguntur. Deus autem ad imaginem & similitudinem suam te creavit, ut ipsum & proximum tuum amares.

Quarto: Cum anima nostra instar ceræ sit quorumcunque sigillorum figuras exhibentis; immo speculi instar, objecta omnia, quibus obvertitur, vel cœlum sit vel terra, repræsentantis. Ita anima tua quocunque illam converteris, vel Dei vel creaturæ imaginem recipiet. Eo autem allaborandum tibi est, ut Creatoris imaginem sibi impressam unice gerat, & gloria Dei velut in speculo in ea exprimatur.

Anime est speculum Dei.

Quinto: Sicut patriarcha *Jacobus*, cum inter peregrinos in *Mesopotamia* versaretur, jamque viginti annorum servitute duas uxores & mercedem suam quæsivisset, patriæ tamen dulcissima memoria assidue exstimulatus, in eandem sibi putavit redeundum: Ita animus noster inter mundi occupationes & vocationis nostræ munia, quasi magnes nunquam a polo suo deflectens, æternam patriam indefesso conatu quærat.

Animus noster quid semper spectare debeat.

Sexto.

LIB. I. CAP. XVIII.

Fructus amoris.

Sexto: Quia quicquid homo habet, sive sit bonum sive malum, ab eo habet quod amat. Qui itaque Deum diligit, omne genus virtutum bonorumque ex eo participat: E contrario, si quis mundum diligat, omnibus illius peccatis sceleribusque coinquinatur.

Amor mundi facit ex homine pecus.

Septimo: Sicut rex *Nebucadnezar* cum mundum impensius quam par esset, amaret, hominis figura amissa, degeneravit in belluam; (nam cum scriptura diserte affirmet, illum tandem formam suam pristinam recuperasse, sequitur amissam eam fuisse;) Ita omnes illi imaginem Dei in cordibus suis obliterant, fiuntque secundum hominem interiorem lupi, canes, leones, ursi, aliaque pecora, qui inordinato amore in mundum feruntur.

Cordium in mundo altero manifestatio.

Denique quicquid pectore hic gerit homo, illic manifestabitur sive Deus, sive mundus fuerit. Immo hoc in æternum geret. Si mundum hic in præcordiis geris, vide ne in infernalem ignem vertatur mundi amor; cujus quidem figuram supra memoratus Typus luculenter exhibet.

CAPUT XIX.

Eum, qui suo judicio miserrimus est, Deo esse charissimum, adeoque Christiana cognitione propriæ miseriæ gratiam Dei conciliari.

Jes. LXVI, 2. *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu & trementem ad sermones meos?*

De Contemptu sui ipsius.

HANC sententiam mitissimus Deus enunciavit, ut animos nostros mœrore oppressos, gratioso suo aspectu erigeret. Deum itaque

LIB. I. CAP. XIX.

itaque si propitium desideres, necesse est, ut propriam tuam miseriam intime persentiscas, & tam divino quam humano solamine indignum te ducas. *NIHILUM* te esse sentias & nuda fide Christum intuearis.

2. Quicunque vero sibi *ALIQUID* adhuc esse videtur, nondum sua sententia miser est, nec divinæ gratiæ capax. Unde Paulus ait *Gal.* VI, 3: *Si quis existimat, se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Nam solus Deus *OMNIA* est. Ad quem digne agnoscendum non sane sufficit, scire illum *Omnia* solum esse, sed tu ipse intimis hoc sensibus experiaris, & tota tua vita comprobes. Si contrarium facis, superficialem & perfunctoriam arguis Dei cognitionem.

3. Si autem facto ipso vitaque docere velis, esse Deum *Omnia*, necesse est, ut parvulus fias vilisque in oculis tuis, immo *Nihili* instar; exemplo *Davidis*, quem saltantem ante arcam Domini cum *Michol* ceu levissimæ notæ homuncionem contemneret, ipse respondit: *Vilior fiam plus quam factus sum*, 2 Sam. VI, 12, 22.

Materia ex qua Deus stultos facit.

4. Qui *aliquid* esse vult, hic materia est, ex qua Deus *nihil*, immo *stultos* facit: Qui vero amat pro *nihilo* reputari, suoque adeo judicio nihil est, hic materia est, e qua summus opifex *aliquid*, immo dignissimos quosque facit, eosque sua sapientia ad magna præstanda imbuit. Qui se coram Deo cunctis miseriorem & deteriorem profitetur, hic illius judicio maximus & summus statuitur. Et qui sibi peccatorum postremus videtur, hunc Deus sanctissimis annumerat.

5. Hæc videlicet est illa *Humilitas*, quam Deus exaltat; *miseria*, quam respicit; hoc denique illud *nihil* est, ex quo olim magnificam mundi structuram produxit Deus, & adhuc

huc præclaros quoſque viros Dei producere ſolet.

6. Cujus rei exemplum habemus *Davidem*: Hujus enim vilitatem mitiſſimus Deus reſpiciens, organon auguſtiſſimum ipſum conſtituit. Tum *Jacobum*, cujus ſunt iſta *Gen.* XXXII, 10: *Minor ſum Domine omnibus miſerationibus tuis.*

7. *Chriſtum* vero infra communem hominum ſortem dejectum & pro nobis anathema & vermem *Pſ.* XXII, 7, immo viliſſimum omnium & contemtiſſimum *Jeſ.* LIII, 4 factum, in quantam Majeſtatem cœleſtis Pater evexit?

8. Sicut enim artifex aliquis, ſingulare artis ſuæ ſpecimen opuſque abſolutiſſimum elaboraturus, novam materiam nulliuſque manibus pollutam, adhibet; ita ex quo homine Deus aliquid facturus eſt, eum oportet *Nihil* eſſe. Qui autem ſemet ipſum effert, credens ſe jam *Aliquid* eſſe, hic prorſus ineptus eſt ad divinam illam materiam conſtituendam, quam Deus fingere & refingere amat; quippe quæ illud *nihil* & *inane* ſit, ex quo divina opera prodeunt. Quod non ignorans *Maria* virgo dicebat *Luc.* I, 48: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Deus ex nihilo facit omnia.

9. Ex his jam patet, vere illum miſerum in ſe ipſo eſſe, qui ita ſe dejectum ſentit & contritum, ut nullo ſe beneficio divino, corporali ſive ſpirituali, dignum reputet. Nam qui aliquid ſibi arrogat, hic vero exiſtimat ſe *aliquid* eſſe, cum revera nihil ſit, proindeque a divina Gratia omnis arrogantiæ impatientiſſima, longiſſime aberrat. Gratia enim Dei non reſidet in animo hominis qui *aliquid* ſe eſſe credit. Nam qui ſe aliqua re dignum judicat

Homo nullo bono dignum ſe judicet.

LIB. I. CAP. XIX.

judicat, non accipit omnia gratis a Deo. Gratia autem est, non meritum, quicquid divinitus nobis obtingit. Nihil omnino hominis proprium est, excepto peccato, miseria & infirmitate; cetera omnia Dei sunt.

Quid sit proprium hominis? Homo umbra.

10. Homo nihil aliud est quam *Umbra.* Quid vero arboris umbra est? Merum nihil. Ut umbra enim motum arboris sequitur, a qua etiam habet quicquid est; ita homo vitam suaque omnia Deo accepta ferat. Cujus enim virtute umbra movetur? Non propria certe, sed arboris: Ita ex quo vita tua pendet? Non ex te ipso, sed Deo, juxta illud Pauli *Act.* XVII, 28: *In ipso vivimus, movemur & sumus.* Quamvis vero poma arboris in umbra quoque appareant, non tamen idcirco umbræ sunt, sed arboris: Ita si & tu bonos fructus feras, scias in te quidem fructus apparere, tuos autem non esse, sed ex æterna scaturigine, Deo nimirum ipso progerminante. Uti pomum non ex ligno crescit, ut imperitum vulgus censet, (quamquam ex illo pendeat ut ex uberibus maternis infans) sed ex ipsa virtute vivifica & *centro seminis*; cum alias quæcunque ligna arida ferrent poma: Ita & fructus Spiritus ex Deo ipso proveniunt.

Homo arbor.

11. Homines in universum arbores sunt natura infrugiferæ & arefactæ; Dominus autem ipsorum vis est vivifica & vigor, juxta *Psal.* XXVII, 2: *Jehova robur est vitæ meæ*; & Domini illud *Luc.* XXIII, 31: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* *Ego*, inquit Dominus *Os.* XIV, 9: *exaudiam & dirigam eum, ut abietem virentem, ex me fructus tuus invenietur.* Et Salvator noster *Jo.* XV, 5: *Si in me manseritis, fructum plurimum feretis.*

12. Cum

LIB. I. CAP. XIX.

12. Cum itaque homo vero & interno sensu miser, vilis & abjectus est, & quantus quantus est, in solam Gratiam Dei per Christum exhibitam, unice recumbit; tum vero Deus gratiose ipsum respicit. Qui sane aspectus non hominum more fit, ubi unus alterum aspicit, nec tamen vim & efficaciam hinc sibi collatam sentit: Sed Dei aspectus est *potentia*, ipsa *vita* & *solamen* Dei, cujus cor contritum humilique fiducia ad Christum accedens, capax jam est. Talis homo eo humilior evadit, quo altius fluenta Gratiæ pectori ejus sese insinuant: quo magis divina solamina degustat, eo minus se illis dignum reputat. Quam humilitatem in *Jacobo* significanter adumbratam habemus, qui *minorem se pronuntiat omnibus miserationibus divinis* ipsisque adeo temporalibus benedictionibus. Ita ad ejus exemplum cor vere humile & contritum vel minima cœlesti visitatione & consolatione indignum se existimat, clamans: *O Domine, indigna est anima mea, ancilla tua, immenso amore & misericordia, quam exhibuisti ipsi in Christo Jesu. Ecce dedisti mihi filium tuum una cum omnibus gratia & gloria bonis, quæ duos quasi constituunt exercitus*; Gen. XXXII, 10. Et sane si homo tantum lacrymarum effunderet, quantum aquæ in mari continetur, non minimæ tamen cœlestis consolationis pretium exolveret. Est enim mera puraque Gratia Dei; hominis autem meritum aliud nullum est, quam pœna & damnatio sempiterna.

Dei aspectus.

Vere humilis se nulla re dignum censet.

13. Hoc propriæ miseriæ sensu qui sincere affectus est, is demum gratiose a Deo respicietur; qui benignus aspectus ac propensus illi merito subducitur, qui propriæ miseriæ cognitionem subterfugiens, meliora quam par est, de se ipso præsumit. Unde Paulus

Quos miseros Deus respiciat.

2 *Cor.*

2 *Cor.* XI, 30, XII, 5 ait: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Ea enim est clementia & misericordia Dei, ut opus suum nequaquam derelinquat vel in coepto cursu destituat: E contrario, quanto illud infirmius ex se est, tanto potentius divina virtus hinc elucescit, juxta illud Domini ad Paulum 2 *Cor.* XII, 9: *Sufficit tibi Gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur.*

14. Quocirca quo christianus suo judicio sibi miserior est, eo sæpius gratioso Domini aspectu exhilaratur, ut hinc Deus *manifestet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*, Rom. IX, 22. Hoc ordine visitatur homo, & nullo respectu ad meritum habito, per cœlestes consolationes erigitur, quæ ipsa humana gaudia, moremque hominum longe excedunt.

Homo cur miser?

15. Homo neutiquam ea propter miserum se reputet, quod in mundo fortasse pauper humanoque solatio destitutus est: Ea vero propter miserum se credat, quod *peccator* est. Tolle peccatum & omnem miseriam sublatam videbis. Tanta etiam miseria accidere homini non potest, quin multo majore dignus sit. Hinc nemo doleat, dum viderit, exigua saltem beneficia ac pauncula numero sibi conferri, cum ne minimo quidem, atque adeo nec vita ipsa quam ducit, dignus sit. Et hæc sententia utut carni & sanguini duriuscula videatur, quilibet tamen veritate se vinci patiatur, prompteque sua peccata ipse arguat, ut Gratia Dei penes illum habitet.

Homo nulla divina gratia dignus.

Optimum hominis opus.

16. In quo ergo homo jam glorietur? Et quare aperiat os suum? Equidem sic censeo: optima quæ homo ore exprimere potest, esse duo hæc verba: *Domine peccavi! propitius esto mihi peccatori!* Sane ipse Deus nihil aliud ab homine

homine præter hæc duo exigit, ut scilicet peccata sua deploret, & gratiam imploret. Hæc duo quicunque neglexerit, is optimam partem amisisse dicendus est. Cave ergo O homo, pro *corpore* tuo lacrymas fundere, quod nudum sit destitutumque, quod cum fame & siti conflictetur, quod persecutiones patiatur, quod vinculis constringatur, aut quod miseria & morbis prematur. *Animam* tuam potius deplora, quæ corpus inhabitare cogitur peccatis pollutum mortique obnoxium! *Infelix ego homo*, clamat Paulus *Rom.* VII, 24, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ecce! hæc est *spiritualis* illa propriæ internæque miseriæ cognitio, hæc gratiam sitiens contritio; Hæc fides soli Christo adhærens, ostiumque gratiæ in Christo aperiens, per quod Deus ipse in animam intrare possit. *Ferve ergo & pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad illum & cœnabo cum illo & ipse mecum.* Ap. III, 20. Quæ cœna nihil est aliud, quam remissio peccatorum, consolatio, vita & beatitudo. In hoc fidei ostio suo tempore clementissimus Deus animæ miseriæ suæ sensu laboranti, occurret; *Actor.* XIV, 27. Hic *veritas de terra oritur, & justitia de cœlo prospicit.* Hic *misericordia & veritas obviant sibi, justitiaque & pax osculantur*, Ps. LXXXV, 11, 12. Hic peccatrix *Magdalena*, anima inquam hominis, tota confusa & lacrymis manans, Domini pedes inungit, lavat lacrymis extergitque crinibus profundissimæ humilitatis. Hic spiritualis & mysticus *pontifex* in sanctis fidei ornamentis offert veram victimam, cor illud contritum & humiliatum, thuraque seriæ pœnitentiæ ac contritionis. Lacrymæ vero pro commissis peccatis fusæ, veram aquam lustralem

Homini quid deplorandum.

Fides ostium gratiæ.

Magdalena mystica.

Pontifex mysticus & victima Christianorum.

lem exhibent, qua per fidem & virtutem sanguinis Christi, mystici Israelitæ abluuntur & purificantur.

17. Et hactenus dilecte christiane, patet, quomodo per agnitionem propriæ miseriæ, fidemque in Christum, Dei gratiam consequi debeamus. Summa hæc est: *Quanto quisque suo judicio miserior est, tanto Deo fit charior, ab illoque eo majoribus gratiis exornatur.*

CAPUT XX.

Per Christianam contritionem, Vitam nostram quotidie emendari, & regno Dei vitæque æternæ indies aptiorem fieri.

2 Cor. VII, 10. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, seculi autem tristitia mortem operatur.*

Sanctitas unde.

VERUS christianismus consistit in *fide pura*, in *charitate & vita sancta*. Vitæ sanctitas ortum suum habet ex seria contritione, pœnitentia, & sui ipsius intima cognitione, qua quotidie magis ac magis defectus suos inspicit homo, illosque indies emendans, per fidem, Christi justitiam sanctitatemque participat, 1 *Cor.* I, 30.

Timor Dei.

2. Quæ vero alia ratione obtineri non possunt, quam si filialem Dei timorem ac obedientem constanter in pectore tuo geras, caveasque, ne qua liberius carni tuæ indulgeas. *Omnia mihi licent*, inquit Paulus 1 *Cor.* VI, 12. *sed non omnia expediunt*, h. e. non *ædificant*, 1 Cor. X, 23. Nam sicut filius in domo patris sui nequaquam omnia ea facere præsumet, quæ vana mentis libido ei suggesserit; sed

LIB. I. CAP. XX.

sed jugiter patrem observans inque oculis gerens, hunc subinde consulit, quid dicendum sit agendumque: Ita verus christianus filiusque Dei sensus suos divino regimine muniat, ne quicquam faciat aut loquatur sine timore Dei.

Gaudia mundi extinguunt Dei timorem.

3. Verum plerique omnes excusso prorsus omni Dei timore, carnis desideriis gaudiisque mundanis libere inhiant. Sed *melius est constanter in timore Dei versari, quam affluere seculi voluptatibus.* Nam *Timor Dei* fons est & scaturigo veræ sapientiæ & devotionis; dum vana mundi gaudia carnisque pruritus divinam sapientiam extinguunt, omnemque devotionem Deique timorem impediunt.

Renovatio hominis cum suis fructibus.

4. Sicut enim per quotidianam contritionem & carnis mortificationem homo indies renovatur, juxta illud 2 *Cor.* IV, 16: *Etsi homo noster exterior corrumpitur, interior tamen quotidie renovatur*, divino ac cœlesti subinde gaudio ac suavitate præcordia perfundens; ita contra voluptas mundi tristitiam parit cordisque vermem & cruciatum. Immo tanta est ruina animæ, tamque deplorabilis donorum cœlestium jactura quæ ex voluptate carnis mundique deliciis promanat; ut qui damna hæc serio ad animum revocaverit, non possit non omnia mundana gaudia aversari detestarique.

Jactura animæ ex gaudio mundi.

Meditationis æterni gaudii & crucidus fructus.

5. *Duo* sunt, quæ si seria meditatione revolvantur, animum utrinque inconcussum tenent, ita ut gaudio mundi neque irretiatur, nec calamitate externa commoveatur. *Unum* est pœna damnatorum æterna, quæ assidua meditatione animo infixa, gaudia quæque mundana cito in fumum abitura expellet. *Alterum* est vitæ æternæ infinita beatitas, quæ ob eandem æternitatis causam non potest non animum Deo devotum exhila-

LIB. I. CAP. XX.

rare, & præsentis calamitatis sensum quo impii plane opprimuntur, divino levamine levem reddere & jucundum. Sed ea cordis nostri est vanitas, ut neutrum recte pensitemus. Hinc adeo mirum non est, esse nos cum expertes salutaris contritionis & tristitiæ, tum penitus ignaros & imperitos cœlestium gaudiorum.

Impedimenta gaudii & tristitiæ spiritualis.

6. Et veri quidem christiani est, *parce gaudere rebus terrenis*, divinis autem penitus immergi. Nec immodice dejiciatur jactura temporalium, contra autem unius animæ jacturam tanti faciat, ut vel per omnem vitam ejus caussa mœstus incedat. Nam christiano nihil, ne quidem ex istis fragilibus bonis, perit, quin *centuplex in altero mundo recipiat*, Matth. XIX, 29. Animæ vero jactura irreparabilis est!

Gaudii & tristitiæ vera causa.

7. Beatum ergo hominem! Qui hanc divinam tristitiam, juxtaque cœlestem & spiritualem voluptatem experitur. Eheu quoties in cachinnum & dissolutum risum effunduntur mortales, ubi flendum potius fuisset! Vera libertas & oblectatio nulla est, nisi ex timore Dei rectaque conscientia procedat. Recta autem conscientia absque fide & vita sancta haberi nequit. Fides quidem & divina tristitia, per Spiritum sanctum hominis defectus indies emendat. Hanc autem quotidianam mentis emendationem quisquis negligit, hic vero optima quæque negligit, Regenerationis operi obsistit, impedit regnum Dei in se ipso, nec a cordis sui cœcitate liberari unquam potest.

Tristitia & oblectatio divina.

Impedimentum regni Dei.

8. Unde consequitur, hunc solum prudentis ac sapientis nomen mereri, qui omni studio declinat, quæ sibi in vitæ emendatione & cœlestium donorum profectu obfutura credit; Neque ea tantum fugienda sibi statuit, unde

Quis vere prudens?

corpori

corpori aut facultatibus inferri damnum poſſit; ſed multo magis ea quæ animam lædunt eique moleſtias faceſſere poſſunt.

9. Fortiter itaque te gere in pugna hac ſpirituali. Prava conſuetudo & inveterata a meliore expugnari poteſt. Ita enim Paulus *Rom.* XII, 21: *Noli vinci a malo; ſed vince bono malum.* Non eſt, cur putet homo ſuum immedicabile eſſe vulnus, ſi modo oculos ſuos animumque introrſum convertere velit, & proprios defectus meditari potius quam aliorum. Nemo proximum ſuum judicandi monendique audaciam ſumat, antequam ſeipſum objurgaverit, *Sir.* XVIII, 21. *Ratio quotidianæ emendationis.*

10. Cum itaque jugis triſtitia & contritio ſpiritualis animum tuum afficiat, ea vero propter a filiis hujus ſeculi contemptim habearis, aliorumque erga te ſtudia frigeſcere videas, cave idcirco doleas! Illud potius tecum conqueraris, quod chriſtianus quidem audias, nec tamen ex animi tui voto ſatis chriſtiane vivas; & quod nomen Chriſti geras, opera autem chriſtiano digna tam parce præſtes. Expedit tibi, a mundo affligi, ut viciſſim Deus te exhilaret, juxta illud *Jeſ.* LVII, 15: *Ego habitans in excelſo & in ſancto, & cum contrito & humili ſpiritu; ut vivificem ſpiritum humilium, & cor contritorum.* *Vera cauſa triſtitiæ chriſtianæ.*

11. Impoſſibile enim eſt, ut divinum gaudium mundanumque ſimul & uno tempore cor humanum recipiat, utpote quæ ſibi invicem repugnant exque contrariis principiis promanant. Voluptas mundi inter proſpera gignitur carniſque blandimenta; cœli, inter adverſa carnemque mortificantia. Non ignoro certe contra naturam eſſe, ut in adverſis quis gaudeat, juxta illud Pauli 2 *Cor.* VI, 10: *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes; ſicut egentes* *Gaudium mundi & cœli ſunt invicem contraria.*

LIB. I. CAP. XXI.

gentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia possidentes; sed gratia Dei instaurat immutatque naturam, unde Apostoli *gaudebant, quia digni habiti essent, aliquid pati propter nomen Jesu*, Act. V, 41.

Christianus gaudet adversis.

12. Christianus nova jam creatura est, cui adversa gaudium afferunt. Veterem hominem tristem reddit afflictio, novum vero exhilarat, quippe qui cum Paulo *Rom.* V, 3. *gloriatur in tribulationibus.* Gaudium, quod desursum est, haud paullo nobilius est voluptate terrena. Contumelia ac contemptus propter Christum susceptus lætitia verum Christianum afficit. Si vero nihil vel admodum raro hujus gaudii influxum percipiamus, nostra id culpa fieri credamus, dum corde nimium in creaturæ amorem propendemus.

Vera humilitas.

13. Vere *humilis* multis se dignum judicat afflictionibus calamitatibusque, consolatione vero divina indignum se prorsus reputat. Sed quanto ille indigniorem se statuit, tanto amplius divino gaudio perfunditur; & quo magis ac sæpius peccata sua deplorat, eo minus solaminis in mundo jam invenire potest; immo eo acerbior & molestior illi redditur mundus.

Plures caussæ fletus quam risus.

14. Qui seipsum, ut par est, considerat, plura inveniet, unde lugere, quam unde gaudere debeat; & qui aliorum vitam examinat, plura commiserationis, quam invidiæ argumenta hinc hauriet. Cur Christus lacrymas effundebat super Hierosolymam *Luc.* XIX, 41. quæ tamen internecino in illum flagrabat odio? Certe illius cœcitas peccatique gravitas lacrymas ipsi eliciebat. Ita ad fundendum lacrymas nihil efficacius nos moveat, quam propriæ corruptionis sensus hominumque impœnitentia.

15.

15. Si homo toties recordaretur, moriendum ſibi rationemque de hic acta vita reddendam eſſe, quoties hujus vitæ conſervationem ſolicite ſecum revolvit, non dubito quin triſtior eforet vitæque emendandæ ſtudioſior. Quod ſi idem ad animum revocaret tormenta æterna momentaneam peccati fruitionem ſecutura, non poſſet non mundum abjicere, & illorum comparatione quaſvis hujus mundi ærumnas jucundas ducere dulceſque. A qua tamen ſententia ardoreque devotionis maxima pars hominum deviat, cum carnis illecebris nimium faſcinemur miſeri mortales!

Cauſſa emendationis.

Cauſſa patientiæ.

16. Summa: Chriſtianus aſſidua meditatione iterum iterumque addiſcat hoc: Si corpus bene ſe habeat ac voluptatibus affluat, ſpiritum emortuum tunc eſſe; vivere autem, ſi carnem cum ſuis deſideriis & concupiſcentiis crucifigat homo. Unum alterius mors eſt. Ut ſpiritus vivat, ſpiritualem mortem ſubeat corpus, & offeratur hoc ordine in *hoſtiam vivam*, Rom. XII, 1.

Vita carnis eſt mors ſpiritus.

17. Hæc vivendi ratio omnibus omnino ſanctis a condito mundo curæ fuit cordique; comedentes bibenteſque cum gratiarum actione panem & calicem lacrymarum, juxta illud Davidis *Pſ.* LXXX, 6: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in menſura.* Et *Pſ.* XLII, 4. CII, 5: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, ut obliviſcar comedere cibum meum.*

Panis lacrymarum.

18. Atque hic lacrymarum panis fide dulceſcit: Hic lacrymarum potus ex ſuaviſſimis cordis devoti uvis per ſinceram pœnitentiam exprimitur; & hæc eſt *triſtitia illa quæ ſalutem ſtabilem operatur.*

19. E contrario *triſtitia hujus mundi parit mortem*, teſte Paulo 2 *Cor.* VII, 10. Hanc inducit

Fructus triſtitiæ ſecularis

LIB. I. CAP. XX.

inducit honoris temporalis bonorumque hujus mundi jactura, quæ tanta sæpe vehementia in hominum animis furit, ut violentas sibi injiciendo manus, vitam ferro vel fune finiant. Cujusmodi exemplis abundat historia ethnicorum; Christiani autem rem altius introspiciant. Quare enim propter bonorum fragilium jacturam vitam homo profundat, cujus dignum pretium non est vel mundus universus?

20. Absit ergo, ut propter bona temporalia perituraque lugeamus; cum illorum usura brevissima sit, & mortis hora omnia omnino temporalia sint linquenda: *Cum interierit homo*, inquit *Ps.* XLIX, 18; *non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Quæ lex ex æquo omnibus dicta est, nec minus regis, quam extremi cujusque mendici cadaver computrescit: adeoque *tunc est melior canis vivus leone mortuo*, ut ait Salomo *Cohel.* IX, 4; *Veruntamen Dominus præcipitabit mortem in sempiternum, & faciem vinculi colligati super omnes populos, & auferet lacrymam ab omni facie*; ut legitur *Jes.* XXV, 7, 8. *Apoc.* VII, 17.

21. Itaque moderate tibi ferendam memineris terrenorum jacturam, mundumque universum unius animæ pretium non esse, quippe pro qua Christus mori non dubitaverit. Quod si caduca ista non usque adeo vehementi amore prosequeris, minus illorum jactura conturbaberis; cum hæc conditio rerum amatarum sit, ut amissa acerbius desiderentur, sicque *labor stultorum affligat eos*; quæ sunt verba *Coh.* X, 15.

Amor seculi parit tristitiam.

22. Filii hujus seculi bona sua cum magno labore conquirunt, cum non minore metu possident, & cum maximo dolore relinquunt. Et

Et hæc eſt triſtitia illa ſeculi, progignens mortem.

23. *Apoc.* XIV, 11 legimus, *eos qui beſtiam adoraverint, nullam quietem habuiſſe.* His ſimiles ſunt, quotquot ſplendidam opum terrenarum beſtiam propriamque cupiditatem, & brutam avaritiam adorant. Genus hominum miſerrimum, inquietum & diſtractum! Quos homines fortaſſe non male camelis & mulis comparaveris; nam ut illi per rupes montiumque edita veſtes ſericas, gemmas, aromata & generoſa vina dorſo vehentes, agmen quaſi quoddam famulorum cuſtodiæ & ſecuritatis cauſſa, ſecum trahunt; ſimulac vero circa veſperam in ſtabulum venerint, pretioſorum ornamentorum veſtiumque pictarum apparatus illis detrahitur, jamque laſſi & omni comitatu nudati, nil niſi vibices & livida plagarum veſtigia oſtentant: Ita qui in hoc mundo auro & ſerico nituerunt, obitus extrema veſpera irruente, nihil habent præter vibices & cicatrices peccatorum per abuſum divitiarum ſibi impreſſas.

Animi perturbationes unde?

24. Diſce proinde, diſce mundum relinquere, priuſquam ille te cum dolore acerbiſſimo relinquat. Quod qui facit, & animam prius a mundo ſeparat; huic facile deinde erit corpore etiam ab illo disjungi, ita ut nullum ex illius jactura percipiat dolorem. Sicut autem *Iſraelitæ* jam jam Ægyptum relicturi, indies majoribus oneribus a Pharaone, funditus illorum genus delere ſatagente, premebantur, *Exod.* V, 9: Ita infernalis Pharao æternam ſalutem nobis invidens, quo propius imminet mortis hora, eo acrius ad terrenorum curam & aviditatem ſolicitat, ut hoc modo animam deſtruat & futura beatitate defraudet.

Mundus in mundo ut deſerendus.

LIB. I. CAP. XXI.

Nihil ex mundo asportamus.

25. Quæ cœcitas eo insignior est, quod ne pulvisculum quidem ex omnibus illis pecuniarum cumulis a miseris mortalibus hic coacervatis in regnum cœleste transportare liceat; quippe cujus via tam angusta est, ut omnia terrena corporisque adeo ipsius exuvias animæ detrahat: *Angusta est via, quæ ducit ad cœlum, & pauci sunt, qui inveniunt eam*, inquit Servator *Matth.* VII, 14. Sicut agricola in area triticum a palea separat; ita mors fidelium animarum bonum semen a paleis rerum mundanarum liberat; neque enim revera aliud mundi sunt divitiæ ac honores, quam paleæ a vento hinc inde translatæ; *Ps.* I, 4.

26. Fac itaque memineris egregium illud Apostoli supra allatum: *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur; seculi autem tristitia mortem operatur*; 2 Cor. VII, 10.

CAPUT XXI.

Quis sit verus cultus divinus?

Lev. X, 1, 2. *Filii Aaron offerebant Domino, ignem alienum, egressusque ignis a Domino devoravit eos.*

IGNIS hic *alienus* dicitur, quod alius esset ab eo, qui perpetuo in altari ardebat, & quo, jussu Dei, holocausta concremabant; Typusque adeo est falsi cultus divini. Hinc *Aaronis* filii ultricibus flammis conflagrare merebantur, eo quod mandatum Domini violassent.

Falsus cultus Dei.

2. Hunc justissimi Dei Zelum omnes illi pariter provocant, qui ex propriæ mentis impetu

petu & ſingulari devotionis vel religioſæ ſanctitatis præſumptione, novum & peculiarem Dei cultum erigunt; qui cum ab ipſo non ſit præceptus, ad indignationem commovet Deum ad iramque & vindictam, quippe qui *ignis eſt conſumens*, Deut. VI, 15. LIB. I. CAP. XX.

3. In quam cœleſtis Numinis indignationem ne forte & nos incurramus, videamus, in quo verus Dei cultus conſiſtat. Nam pœna ignis temporarii, qua in veteri Teſtamento animadvertit in cultum commentitium Deus, argumento nobis eſt, ipſum ſimiliter in novo fœdere falſas religiones, cum *æterno* igne, tum *temporali*, bellis nimirum & vaſtationibus terrarum, ſanguiniſque effuſione, quibus haud ſcio an ullum incendium poſſit eſſe terribilius, ſeveriſſime eſſe vindicaturum. *Pœna illius.*

4. Et veri quidem cultus divini natura ac ratio ex collatione utriuſque fœderis facile nobis innoteſcet. Qui in veteri Teſtamento obtinebat cultus, totus erat *Externus* & typicus, figuris ac umbris abundans, Meſſiam de longinquo exhibentibus; tum cæremoniis auguſtus, quas illa gens ſtricte & juxta literæ rigorem obſervare tenebatur. In quibus ritibus & imaginibus Judæorum fideles Meſſiam quaſi eminus conſpicientes, fide in ipſum ex promiſſione divina ſunt ſalvati. Quem vero Deus in novo Teſtamento exigit, non conſiſtit ille in externis figuris, cæremoniis, ritibus, ſtatutis & legibus; ſed totus *Internus* eſt ſpiritumque ac veritatem requirit; *h. e. Fidem* in Chriſtum præcipue poſtulat, quia in Chriſto templum, altare, ſacrificium, arcam fœderis & ſacerdotium, cum univerſa morali & cæremoniali lege adimpleta invenies. Unde conſequitur, in *libertatem chriſtianam* aſſertos nos eſſe, liberatoſque a maledicto *Verus cultus Dei*

legis

legis *Gal.* III, 13. & Judaicis cæremoniis *Gal.* V, 1; ſic, ut mediante Spiritus ſancti inhabitatione, *libero corde, ac ſpiritu ſpontaneo*, Deo ſerviamus *Jer.* XXXI, 33. *Rom.* VIII, 14. noſtraque fides & conſcientia nullis hominum traditionibus conſtringatur.

Verus Dei cultus in tribus conſiſtit.

5. Porro veri, ſpiritualis, interni & chriſtiani cultus *Tria* præcipua ſunt requiſita. 1. Vera cognitio Dei. 2. Cognitio peccati pœnitentiæ juncta. 3. Gratiæ cognitio, cum remiſſione peccatorum. Atque hæc tria quæ verum Dei cultum conſtituunt, unum ſunt, & tamen trinum; non aliter atque ipſe Deus unus eſt in Trinitate. Nam in ſola Dei cognitione continetur cum pœnitentia, tum remiſſio peccatorum.

Quid ſit Deus?

6. Cognitio vero illa Dei in fide conſiſtit, quæ Chriſtum apprehendit, inque illo & per illum Deum agnoſcit; Dei omnipotentiam, amorem, miſericordiam, juſtitiam, veritatem, ſapientiam; quæ omnia eſt ipſe Deus. Quid enim Deus eſt? Certe nihil aliud, quam pura omnipotentia, purus amor & miſericordia, pura juſtitia, veritas & ſapientia. Idem de Chriſto & Spiritu ſancto dicendum.

7. Quicquid vero Deus eſt, hoc non ſibi ſolum eſt, ſed & *mihi* per gratioſam ſuam voluntatem in Chriſto patefactam. Hoc pacto mihi eſt Deus omnipotens, mihi miſericors, mihi æterna juſtitia per gratiam & remiſſionem peccatorum, mihi item æterna veritas & ſapientia. Nec alia eſt ratio cum Chriſto, qui factus eſt mihi æterna omnipotentia, omnipotenſque caput & princeps vitæ, Servator meus miſericordiſſimus, charitas perpetua, Juſtitia immutabilis, veritas & ſapientia; juxta illud 1 *Cor.* I, 30: *Chriſtus factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia & ſanctificatio*

ficatio & redemptio. Quæ omnia & ſingula etiam de Spiritu ſancto ſuo modo dicuntur. LIB. I. CAP. XXI.

8. Atque hæc eſt *vera Dei cognitio*, quæ in fide conſiſtit. Non certe nuda quædam ſcientia eſt, ſed hilaris, viva atque efficax fiducia, qua omnipotentiæ divinæ radios & influxus efficaciter in me derivari ſentio, ſic, ut ab illo me teneri & geſtari, in illo vivere, *moveri & eſſe me*, experiar; *Act.* XVII, 28; ut pariter divitias bonitatis & miſericordiæ illius ſuaviter deguſtem. Annon purus amor eſt, quicquid operis Deus Pater, Chriſtus & Spiritus ſanctus tibi, mihi nobiſque omnibus præſtitit? Quæ juſtitia perfectior & auguſtior illa, qua nos liberat a peccato, morte, inferno & Diabolo? Et nonne ubique & ex omnibus veritas ejus & ſapientia luculenter relucet? *Vera Dei cognitio.*

9. Hæc ergo vera ac ſolida fides eſt, quæ in viva & efficaci fiducia, & non in verborum ſtrepitu ac evanido quodam ſono conſiſtit. In hac Dei cognitione ſive fide, oportet nos, ceu filios Dei, indies magis magiſque proficere ac perfici 1 *Theſ.* IV, 1. Unde Paulus tam calidas fundit preces *Eph.* III, 19, *ut poſſimus ſcire charitatem Chriſti omni ſcientiæ ſupereminentem*; quaſi dicat: omne ſtudium totius vitæ noſtræ, ſi ad addiſcendam Chriſti charitatem vel unice inſumeretur, jugis tamen & nunquam deficiens ſupereſſet diſcendi materia. Neque vero putandum, hanc cognitionem in ſola & ſterili ſcientia de catholico Chriſti amore, conſiſtere; ipſi nos immenſæ hujus charitatis ſuavitatem, dulcedinem, virtutem, vitalemque influxum in cordibus noſtris, in verbo, inque fide participemus, guſtemus & experiamur oportet. An enim charitatem Chriſti noviſſe illum dicemus, qui ipſam nunquam *Fides eſt virtus & potentia Dei.* *Viva Dei cognitio.*

LIB. I. CAP. XXI.

quam guſtavit? Hinc *Ebr.* VI, 4. de nonnullis experimentali guſtu illam edoctis dicitur, quod *guſtaverint donum cœleſte, bonumque Dei verbum & virtutes ſeculi venturi*; quæ omnia fide fiunt per verbum. Nec aliud eſt *effuſio charitatis Dei in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum* Rom. V, 4, in qua conſiſtit fructus & efficacia verbi divini. Et hæc demum vera Dei cognitio eſt, quæ ex guſtu & experientia promanat, fideique vivæ & efficaci innititur. Ob hancque rationem epiſtola ad Ebræos fidem *Hypoſtaſin* appellat & *evictionem certam ſolidamque*, Cap. XI, 1. Et hæc cognitio Dei, quæ ex fide viva oritur, pars eſt non minima interni & ſpiritualis illius cultus Dei; ſicut viciſſim ipſa fides eſt donum ſpirituale, vivum ac cœleſte, tum lux & virtus Dei ipſa.

Quid ſit fides?

Vera cognitio Dei mutat cor & producit omnes virtutes.

10. Cum itaque vera hæc Dei cognitio præceſſerit, per quam Deus animæ noſtræ ſe guſtandum delibandumque velut propinat, (juxta *Pſ.* XXXIV, 9: *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*;) fieri non poteſt, quin actutum ſequatur ſeria pœnitentia, hoc eſt, animi ſincera renovatio & emendatio vitæ. Ex ſenſu enim ſolidaque notitia omnipotentiæ Dei conſequitur *Humilitas*, cum fieri non poſſit, quin robuſtæ manui Dei ſeſe ſubmittat, qui omnipotentiam ejus eſt expertus. Ex guſtu miſericordiæ divinæ promanat *Charitas* erga proximum; nemo enim immiſericors eſſe poteſt, qui Dei miſericordiam ipſe percepit. Et quis proximo charitatis officia denegaverit, ſi ſecum revolvat, Deum ex mera miſericordia ſeipſum illi impendiſſe? Ex longanimitate divina oritur admiranda *Patientia* erga proximum, illaque tanta, ut, ſi ſepties per diem occideretur verus chriſtianus, ſeptieſque

ptieſque reviviſceret, ſemper tamen lubenſque proximo condonaret, memor immenſæ Dei miſericordiæ ipſi prius exhibitæ. Ex juſtitia divina profluit *Agnitio peccatorum*, ut cum propheta oremus: *Tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio faciei*; Dan. IX, 7. *Ne intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens* Pſ. CXLIII, 2. *Domine, ſi iniquitatem obſervaveris, quis ſuſtinebit?* Pſ. CXXX, 3. Ex agnitione veritatis divinæ promanat *Fides & Integritas* erga proximum, ut omnis fraus, dolus, & mendacium jam ceſſet; vero chriſtiano ita in ſemetipſo cogitante: *Abſit ut dolis proximum deludam: Hoc enim pacto offenderem veritatem Dei, quæ eſt ipſe Deus; qui cum adeo fideliter & ſincere mecum egerit, indignum ſit facinus, aliter me erga proximum gerere.* Ex notitia æternæ ſapientiæ Dei ſcaturit *Timor Dei.* Cum enim noveris ſcrutatorem cordium eſſe Deum, & intima perſpicere, merito divinæ illius Majeſtatis oculos expaveſcis. *Qui enim plantavit aurem non audierit, aut qui finxit oculum non conſideraverit?* Pſ. XCIV, 9. *Væ qui profundi eſtis corde, ut a Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt; Quis videt nos, & quis novit nos? Perverſa eſt hæc veſtra cogitatio; quaſi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori ſuo, non feciſti; & figmentum dicat fictori ſuo, non intelligis.* Jeſ. XXIX, 15, 16. Jer. XXIII, 24. XXXII, 19.

LIB. I. CAP. XXI.

11. Atque hactenus de vera Dei cognitione, in qua conſiſtit pœnitentia; & de pœnitentia quæ renovationem mentis affert; & de mentis renovatione quæ vitæ emendationem habet comitem. Et hæc cognitio una cum illis quæ ſequuntur eam, *alteram* partem interni cultus divini conſtituit, & eſt ignis

ille

ille ſacer ex inſtituto Dei ad victimas aſſerendus, ne divina contra nos ira exardeſcat, & provocato vindictæ igne nos conſumat.

Typus pœnitentiæ.

12. Hujus pœnitentiæ *Typus* fuit interdictum divinum de vino potuque inebriante, a ſacerdotibus tabernaculum teſtimonii ingreſſuris, non bibendo, *Lev.* X, 9; quod *ſpirituali* ſenſu ad omnes omnino chriſtianos pertinet. Etenim ſi tabernaculum Dei ingredi velimus, & vitam conſequi æternam, neceſſe eſt, ut *abſtineamus* a concupiſcentia mundi & carnis, omnibuſque quæ ad ſubjugandum ſpiritum carni inſerviunt. Amor enim mundi, voluptas, ſuperbia, ceteraque vitia, vini inſtar dulcis ſunt & generoſi, quo animæ ſpirituſque vires obnubilatæ, in poteſtatem tandem & ſervitutem carnis rediguntur. Sicut enim *Noe* & *Loth* vino eouſque capiebantur, ut ſe denudarent; ita honor, voluptas & divitiæ more vini generoſi animam ac ſpiritum invadunt, tentant, turbant, vincunt; unde homo prohibetur ingreſſu tabernaculi Dei, *h. e.* ab illius cognitione ſanctiſque tractandis, arcetur, amiſſa nobili illa *diſcernendi facultate*, qua ſancta a profanis, munda ab immundis dijudicanda ſunt; adeo, ut de rebus divinis ac cœleſtibus nihil prorſus intelligat, proindeque nec populum ſibi concreditum ſana doctrina inſtituere poſſit. Horum intellectus & cogitationes æternæ lucis influxu non colluſtrantur, ſed mundanæ concupiſcentiæ vino victi & dementati, in extremas tandem & ſempiternas ruunt tenebras. Pœnitentiam vero hanc ſive contritionem ſeriam doloremque de peccatis, itemque veram in Chriſtum fidem, ſequitur ultro *Peccatorum remiſſio*; quæ ſicut ex ſolo merito Chriſti eſt haurienda, ita hujus

Voluptas vino ſimilis eſt.

jus meriti fructum citra pœnitentiam nemo asſerere ſibi poteſt, adeoque nec peccatorum remiſſionem poſthabita pœnitentia, expectare. Unde vel ipſi latroni in cruce agenda erat pœnitentia, ut peccatorum remiſſione impetrata, Chriſtum in paradiſum comitaretur. Quam quidem illum non perfunctoriam aut ſuperficiariam egiſſe, ſed ex imis ſenſibus ſancta contritione perculſis, ad ſocium facta objurgatio demonſtrat: *Neque tu times Deum? Et nos quidem digna factis recipimus; hic vero nihil male geſſit*; Et illa ad Chriſtum directa obteſtatio: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*, Luc. XXIII, 42. Quæ ſane certiſſima argumenta ſunt cordis contriti fideque Chriſtum amplectentis.

LIB. I. CAP. XXI.

Sine pœnitentia nulla venia.

13. Gratuita hæc peccatorum abſolutio quam cor pœnitens in vera fide apprehendit & impetrat, defectus noſtros nondum plene reparatos ſupplet; idque per mortem & ſanguinem Chriſti, quo ipſe omnia luit, irrita & velut infecta faciens delicta noſtra, ipſaque ſuæ ſatisfactionis abundantia exſuperans omnium peccatorum noſtrorum gravitatem. Unde David exclamat *Pſ.* LI, 9: *Mundabor a peccatis meis, & ſuper nivem dealbabor.*

Chriſtus ſupplet pro nobis omnia.

14. Hinc etiam eſt, quod Deus peccatorum obliviſci, nec deinceps amplius ad animum illa revocare velle dicitur, ſimulac modo peccator ad ipſum ſe converterit; *Ezech.* XIIX, 22. XXXIII, 11. Quicquid enim perfecte & abundanter ſolutum, immo vero *delectum* eſt, *Jeſ.* XLIII, 25, id & oblivione aboleatur, neceſſe eſt. Sed converſio præcedat juxta ordinem a Propheta exhibitum: *Lavamini, mundi eſtote, quieſcite agere perverſe, & poſt hoc venite & me arguite: ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* Jeſ. I, 16.

Deus cur obliviſcatur peccatorum?

Velut

Velut dicat: *Vos, qui peccata ex pacto promiſſoque condonari vobis poſtulatis, agite ſi vultis, meque in jus vocate. Equidem remiſſionem me peccatorum promiſiſſe vobis, non nego; verum haud aliter, quam ſi vos prius pœnitentiam egeritis. Ubi jam pœnitentia veſtra? Ubi vera vivaque fides? Hæc ſi præſto ſint, ſalva res eſt! In me mora nulla erit, quin peccata veſtra ſi vel ut dibapha fuerint, h. e. tam alte intincta, ut nec cœlum nec terra delere ea queat, condonem magiſque quam nix exalbeſcere faciam.* Pœnitentia ergo, pœnitentia inquam, eſt vera peccatorum confeſſio, quam ſi fide mixtam in pectore tuo deguſtaveris, confide, Chriſtum peccata tua, mortis ac ſanguinis ſui virtute remiſſurum. Illo videlicet ſanguine, qui pro nobis clamat in cœlum ad Deum, & peccati remiſſionem obtinet.

Vera abſolutio.

15. Hoc peccati ſenſu ſi intimius affectus fuerit homo, *ſpiritu* ad refugii illas urbes deproperat, quarum tres, *Bezer*, *Ramoth* & *Golan*, Deut. IV, 41, 42, 43. memorantur, per Moſen eum in finem ſeparatæ, ut ad illas confugeret, qui caſu occidiſſet proximum ſuum.

16. Sed heu bone Deus! Quoties nos proximum noſtrum lingua, cogitationibus, odio, invidia, ira, vindicta & immiſericordia occidimus! Recurramus itaque per fugam fidei & pœnitentiæ ad aſylum gratiæ & miſericordiæ Dei, quod eſt meritum & crux Chriſti. Hoc apprehenſo, in vado ſumus, nec qua menſura nos proximo noſtro menſi ſumus, eadem remetietur nobis ſanguinis ultor. Nam Chriſtum tres illæ civitates efficaciter adumbrarunt, qui ſolus merito *Bezer* audit, hoc eſt *turris munita*; juxta illud *Prov.* XVIII, 10: *Turris fortiſſima nomen Domini,* (CHRISTUS JESUS,) *ad ipſam currit juſtus, & exaltabitur.*

Homicidium ſpirituale.

Chriſtus aſylum noſtrum.

Idem

Idem verus *Ramoth* eſt, quæ vox ſignificat *exaltatum*, Jeſ. LII, 13, LVII, 15; quippe *in cujus nomine flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium & inferorum*, Phil. II, 10. Nec alius eſt nobis *Golan* præter iſtum; qui juxta nominis etymologiam nil niſi *cumulus eſt gratiarum*, donorumque cœleſtium quaſi quoddam cornu copiæ. Unde *Pſal.* CXXX, 7. legimus: *Apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio.* Et *Rom.* X, 20: *Dives dicitur Dominus in omnes, qui invocant illum.*

17. Atque hactenus de parte *tertia* interni, ſpiritualis, verique cultus divini, promanantis ex cognitione Dei, quæ ſimiliter fons eſt pœnitentiæ, pœnitentia autem peccatorum deinde remiſſionem affert. Quæ licet ſint tria, revera unum tamen ſunt, & ſolida Dei cognitione ut baſi nituntur.

18. Tertiam hanc partem adumbravit nobis Deus per ſacerdotes, quos oportebat *comedere* de oblatione Domini: Quæ actio nil aliud innuit, quam dignam applicationem mortis ac ſanguinis Chriſti per fidem. Et cum *ſacro in loco* fieri hoc deberet, pœnitentiam ipſam indigitat. Fides enim meriti & ſanguinis Chriſti virtute hominem coram Deo æque ſanctum præſtat, ac ſi nunquam ullo peccato ſe contaminaſſet; de quo ſancto aſylo illud *Ezechielis* conſidera cap. XVIII, 22, & *cap.* XXXIII, 16: *Si impius egerit pœnitentiam omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recordabor.*

19. Atque hoc modo Moſis *lex* in ſpiritum ſive vitam internam, ſanctam & novam tranſit, ejuſque *ſacrificia* in pœnitentiam convertuntur, per quam Deo corpus noſtrum animamque immolamus, oblatiſque ſacrificiis euchariſticis, noſtram cognitionem, converſionem

Moſis lex & ſacra in ſpiritum mutata.

nem, justificationem, peccatique remissionem unice illi acceptam referimus; ut Deus solus sit omnia, illius gratia digne cognoscatur, & gratis animis linguisque in omnem æternitatem collaudetur. Hic ergo, quod toties hactenus diximus, est verus cultus divinus; de quo etiam *Micheas* cap. VI, 8. loquitur: *Indicabo tibi, O homo, quid Dominus requirat a te; utique facere judicium & diligere misericordiam, & solicite ambulare cum Deo tuo.* Ecquando itaque mortales! veram agemus pœnitentiam, ut peccatorum veniam consequamur? Cum non nisi per illam ad hanc perveniatur! Quomodo autem peccata remittentur ubi nullus peccati suppetit sensus, nullus dolor animum angit, nulla gratiæ fames locum obtinet? Quomodo autem ille dolere de peccatis poterit, qui peccatis renunciare recusat, vitamque suam ac mores in melius commutare? Convertat nos Deus per Christum, ut convertamur!

Verus Dei cultus in corde consistit, nec est externus.

20. Ex hisce jam patescet, *Verum Dei cultum* in animo consistere, in cognitione Dei, inque vera pœnitentia, carnem mortificante, & hominem ad imaginem Dei renovante. Hoc ordine sanctum Dei templum fit homo, in quo per Spiritum sanctum cultus vere divinus exercetur, fides inquam, charitas, spes, humilitas, patientia, oratio, gratiarum actio, & laus Dei.

Cultus Dei cur ita dicatur?

21. Etsi autem hic cultus ipsum Deum respiciat, illique soli præstetur, absit tamen, ut credamus, nostro cultu vel servitio Deum indigere, vel aliquid ex illo emolumenti ipsi accedere. Hoc potius cogitemus, tanta Deum in miseros homines misericordia flagrare, ut vel totum se cum omnibus suis bonis sponte in nos transfunderet, inque nobis viveret, operaretur,

operaretur & habitaret, si modo vicissim nos parati essemus, per veram ejus cognitionem, fidem ac pœnitentiam illum suscipere, ut in corde nostro ut quadam officina opus suum perficere possit. LIB. I. CAP. XXI.

22. Nam Deo nullum opus gratum acceptumque est, nisi ipse ejusdem in nobis fuerit autor. Itaque præcepit nobis pœnitentiam agere, credere, orare, jejunare; non sane, ut ad ipsum, sed ut ad nos exinde fructus rediret. Nemo enim Deo quicquam dare vel adimere; nec commodum, nec damnum afferre potest. Nobis ipsis seritur & metitur, si boni simus; si vero mali, in propria & tunc sævitur viscera. Deo autem ecquod damnum intuleris tandem, si tu impie vivere pergas? *Quænam opera Deo placeant.*

23. Jubet ergo ille sibi servîri, tui non sui caussa; qui cum ipsa charitas sit, in eo certe delectatur & ei servitium quasi exhibetur, si multi præsto sint, in quos sui amoris fluenta, immo seipsum derivare queat. Nimirum sicut mater infantulum ex uberibus pendulum non potest non amare, gaudereque, dum maternum lac avide exugit: Ita Deus censendus est ex promptissima sui communicatione suo modo singularem voluptatem percipere. *Cultus Dei verus nobis, non Deo prodest.*

CAPUT XXII.

Sicut arborem ex fructu cognoscimus; ita verum Christianum nullo alio indicio quam charitate & emendatione vitæ quotidiana posse agnosci.

Ps. XCII, 13–16. *justus ut palma florebit; sicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. Adhuc multiplicabuntur, in canitie pingues & virentes erunt, ad annunciandum rectum esse Jehovam rupem meam, neque esse ullam iniquitatem in eo.*

Christus in vero christiano debet manifestari.

NON nomen, sed *Vita christiana* verum Christianum demonstrat. Veri autem Christiani studium eo tendat, ut in illo Christus manifestetur, fiatque aliis conspicuus per charitatem, humilitatem & benignitatem. In quo ergo Christus non vivit, hunc, sequltur, nec Christianum esse posse. Hæc autem vita radice sua intus in ipso hominis spiritu ac corde posita, ex interno hoc principio progerminet, ut pomum ex interna arboris virtute prorumpit. Immo a spiritu Christi vitam nostram formari adque Christi exemplum componi necesse est; juxta illud Pauli *Rom.* IIX, 14: *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei; si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, v. 9. Nimirum omnis vita ex spiritu promanat: Qualis vero jam spiritus intus hominem agitat, movet atque impellit; ita vicissim ipse exterius se habet. Ex quo perspicuum est, *quantopere ad vitam vere Christianam Spiritus sanctus*

Omnis vita est a spiritu.

sanctus requiratur; quem proinde Christus non precibus tantum efflagitari jussit, sed etiam promisit *Luc.* XI, 13. Spiritum inquam *Regenerationis*, per quem in Christo ad novam vitam spiritualem cœlestemque vivificemur, *Tit.* III, 5. Et ex hoc Spiritu vivo ac virtute nunquam intermoritura pollente, efflorescant virtutes quælibet christianæ, *crescatque justus ut palma, & sicut cedrus Libani, quam plantavit Dominus.*

2. Unde consequitur, debere hominem *interius primum renovari* in spiritu mentis suæ ad imaginem Dei; sic, ut illius interna desideria & affectus Christo conformati, (quod Paulus *Eph.* IV, 24. per *hominem ad imaginem Dei creatum* indigitat) vitam deinde sibi conformem producant ex ipso corde jugiter scaturientem; ita ut externa hominis vita nihil aliud sit, quam constans quædam expressio vitalis illius Principii intus agitantis. Immo cum *Deus corda & renes scrutetur*, ut est *Psl.* VII, 10. æquissimum sane est, ut homo in ipso secretiori mentis recessu cordisque adytis plura possideat, quam externa vita omnibus pervia, exhibet. *Christianus intus esse debet, ut exterius videtur.*

3. Quamquam vero interiora nostra ad puritatem munditiamque Angelorum non assurgant, par tamen est, ad illam aspirare, cum hæc spiritus nostri vota altioris purificationis cupida, rata habeat Deus, *adjuvante subinde Spiritu sancto infirmitatem nostram, & intercedente pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; Rom. IIX, 26; immo repurgante nos sanguine Christi per fidem *Act.* XV, 9. adeo ut *simus sine macula aut ruga* Eph. V, 27. Hoc sensu jam non Angeli cujusdam gerimus puritatem, sanctitatem & justitiam, sed Christi ipsius, immo Christum ipsum; 1 *Cor.* I, 30. *Christianorum munditia & justitia.*

4. Hanc sanctitatem & justitiam gratuitam vel ex mera gratia collatam, ipsorum Angelorum puritati innocentiæque longissime præferendam esse credamus, quippe quæ Christus ipse est, *Jer.* XXXIII, 16. Renovet autem nihilominus corpus nostrum, animam spiritumque, vitaque nos induat sancta; hæc autem vita, utut teneræ palmæ similis sit, indies tamen magis magisque adolescat in nobis & majora in Christo capiat incrementa. Tantum vero quisque in Christo adolescit, quantum in fide, virtutibus vitaque christiana proficit, quantumque vitæ sanctimoniæ quotidie accedit. Verbo: In tantum proficit, in quantum ipse Christus in illo vivit. Atque hoc est *florere sicut palma.*

Christianus palmæ similis.

5. Sicut enim palma si prematur, sursum nititur; ita Christianus ad cœlestia quotidie renovetur, *Eph.* IV, 23. novo indies proposito secundum novum quod sortitus est nomen digne incedendi, se ipse corroboret, suspiriisque indefessis *falsum* & infucatum Christianismum evitet; non aliter, ac si hodie primum veri christianismi principiis fuisset initiatus. Ut enim qui ad officium aliquod vocatus est, nihil habet antiquius, quam ut provinciam quam nactus est ornet; ita nobis faciendum est, qui ad Christum *vocati sumus vocatione sancta* 2 Tim. I. 9. Sanctum hoc propositum nisi firmissime animo inhæreat, nulla sequetur vitæ emendatio, nullus in pietate vigor, nullum in Christo incrementum; immo ipse vivificans Christi Spiritus deest. Quippe istiusmodi bene agendi propositum, est opus Spiritus sancti & illa *Gratia præveniens*, quæ omnes homines allicit, invitat impellitque. O beatum proinde illum qui auribus animoque ipsi vacat & obedit

Vocatio christianorum.

dit, *vocemque Sapientiæ Dei in plateis clamantem* Prov. 1, 20 admittit! Qui probe consi- derat, quod omnia quæ oculis usurpat, tot sint monumenta ipsius Creatoris, per quæ ad sui amorem pertrahere hominem allaborat. LIB. I. CAP. XXII. *Sapientia Dei nos vocat.*

6. Quem tractum impulsumque ubi persentiscimus, illico operi sunt admovendæ manus, vigilandumque, ne elabatur tam nobile temporis punctum, impedimentis vacuum. Hoc si oscitanter neglexeris, succedent forte dies alii atque alii, quibus non licebit bonum cogitare, audire, loqui vel facere. Quæ cum prævideat æterna Sapientia, ubique locorum nos compellat, ne tempus & oblatam occasionem incuria nostra amittamus. *Procrastinatio vitanda.*

7. Arborem quæso intuere, quæ in propatulo & sub dio immobilis expectat promptequè recipit lumen solis & benignos cœli influxus: Ita & tu gratia Dei & cœlestibus influxibus assiduo collustraris; eo vero animum habeas intentum, studeasque, ut excussis quibusvis mundi impedimentis, toto pectore ac parato admittas illos hauriasque. *Gratia Dei ubiq; præsens.*

8. Revoca quæso O homo ad animum temporis ad vivendum concessi brevitatem! Altius considera, quot bene agendi virtutesque christianas in praxin deducendi opportunitates, neglexeris! Unam fortasse vitæ partem somno dedisti, alteram edendo ac bibendo insumpsisti; ita ut jam jam moriturus, vix ac ne vix quidem vitæ melioris initium te feciſſe, deprehendaris. *Vanitas vitæ nostræ.*

9. *Ut quisque mori optat, ita vivat oportet.* Quod si impie mori abhorres, vive pius: Si ut christianus mundo egredi desideras, hic actionibus & vita christianus esse allabora. Ut christianus autem vivit ille, qui sic vivit, quasi quotidie sit moriturus; non ignorans, boni servi esse, singulis momentis vocem heri *Christiane quomodo vivendum.*

LIB. I. CAP. XXIII.

sui præstolari. Et nos quidem omnes Deus per mortem ceu apparitorem suum ad se citat.

10. *Beatum* itaque illum *servum, quem Dominus inveniet vigilantem; utique enim super omnia bona sua illum constituet*: Luc. XII, 37, 44. Quis autem vigilat, nisi ille, qui se a mundo mundique assectis seduci non patitur? Illum ergo istosque fugiamus, certi, seculi scandala tot ramos esse soboleseque inutiles, arborem etiam bonam eousque corrumpentes sæpius, ut vivere florereque desinat.

CAPUT XXIII.

Eum, qui in Christo crescere & proficere velit, debere fugere amicitias mundanas.

Ps. LXXXIV, 2. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

FUgienda est tibi frequentior cum hominibus mundanis familiaritas. Sicut enim melius corpori nuspiam est, quam domi; ita melius nunquam cum anima agitur, quam si in domo sua, hoc est in DEO, conquiescat: Ex hoc enim cum emanaverit, in eundem etiam redeat, si veram quietem indipisci velit.

2. Omnium enim creaturarum hæc est conditio, ut melius nullibi quiescant, quam in eo ex quo originem traxerunt. Ita piscibus mare, avibus aer, plantis terra, & animæ Deus quietis locus est, juxta *Ps.* LXXXIV, 4: *Pas-*

ser

ser invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi ponat pullos suos. Quemadmodum vero sibimet malum creat, qui pueris ac puellis foris divagandi licentiam concedit; ita sane malum sibi attrahit, qui linguæ & cogitationibus fræna laxando, per quæque hominum negotia ut tot vanitatis circulos oberrare ea permittit. Multas vero offensiones te declinaturum crede, si intra limina cordis continere ea studueris.

3. *In atriis Dei nostri virent plantæ Domini, & cedri in Libano*, Ps. XCII, 14. Quæ vero hæc sunt atria? Sunt feriæ & sabbatha cordis nostri interna ac spiritualia; quæ ut Libanus in deserto, in solitario mentis secessu spirituque abstractione, vigent. Hanc Spiritus solitudinem quære, & ad teipsum scrutandum, Deique mirabilia ac beneficia contemplanda, idoneus evades.

Fugiendum quicquid nos non facit meliores.

4. Nec imitandi tibi sunt, argutiarum illi sectatores, qui non nisi subtilium & acutarum materiarum lectione delectantur; quæ tamen si recte consideres, polluunt potius animos quam emendant. Quidquid cordis requiem & jugem mentis renovationem non promovet, neque audiatur a Christiano, neque dicatur, nec legatur denique, nec cogitetur. Arbores Domini Christiani sunt, quæ indies crescant & altiores in Christo agant radices. Hinc de se ipso testatur Paulus, quod præter *Christum crucifixum* nihil scire desideraverit 1 *Cor.* II, 2. Nec aliter se gesserunt omnes sancti Dei, qui summa ope eo contenderunt, ut mentis tranquillitatem ac intimam devotionem sedulo custodiendo, divino vivendi modo propius accederent, sanctasque illas ac cœlestes animas æmularentur, quæ in Deum se transfundentes, in illo unice conquiescunt. Ex quorum numero quendam dixisse

LIB. II. CAP. XXIII.

se accepimus, *quoties inter homines versetur, aliqua semper sui parte minorem se fieri.* Nam cum humanitas in similitudine Dei consistat, & idcirco Deus *Gen.* I, 26. hominem definiverit *imaginem ipse similem*; sequitur, quemque quo Deo dissimilior est, eo minus esse hominem; ac quanto propius se Deo conjunxerit, tanto ipsi similiorem evadere. Deo autem conjungi nemo potest, qui se non prius a mundo averterit. Omnium seminum natura est, ut fructum sibi similem proferant: Ita si in te sit semen Dei, puta Spiritus sanctus & verbum divinum, in arborem evades justitiæ & *plantam Domini ad glorificandum eum*; Jes. LXI, 3.

Hominis definitio.

Semen Dei fert fructus divinos.

5. Nihil frequentius est, quam ut verbum unum vel alterum in hominum consortio elabatur, quod cum otiosum sit & vanum, animam sauciat & contaminat. Hinc nemo securior, tutior & tranquillior est, quam qui domi se continet, ipsasque adeo cogitationes, verba & sensus suos intra justa cordis limina coercet. Cum *Diogenem* philosophum quidam inepte acutus hoc modo esset agressus: *Quod ego sum, tu non es; sed ego homo sum, ergo tu homo non es*, festive putidum acumen castigans respondit, immo verius erit, si a me cœperis.

Verba offensionis plena offendunt animam.

Homines non homines.

6. Qui bene loqui vult, ante bene tacere discat; nam multa loqui non eloquentia est, sed garrulitas. Cui bene imperare cordi est, ante bene obedire discat; cum fieri non possit, ut recte præsit aliis, qui Deo subesse & obtemperare non didicerit. Qui pacem & tranquillitatem cordis diligit, custodiat os suum, & studeat servare bonam conscientiam. Quæ enim mala est, turbulenti maris instar est; quietem tamen inveniet, si ad Christum

Virtus ex contrario existit.

Vera quies.

revertatur

revertatur per contritionem & pœnitentiam. Columba, quam *Noe* ex arca emiserat, cum nusquam locum conquiescendi inveniret, rediit ad arcam *Gen.* XII, 9. Hæc arca Christus est & Ecclesia, habens unicum ostium sive fenestram, *Pœnitentiam* puta, per quam itur ad Christum. Sicut autem columba actutum in arcam se recipit; ita tu tibi faciendum memineris, quoties in mari mundanorum negotiorum fluctuans, in periculo versaris. Redeundum tibi confestim ad cor est, ad Christum, ne seculi fluctibus nimium jactatus, omni mentis quiete excidas.

7. Immo dum inter homines versaris & rebus mundanis interes, fiat hoc *cum Timore & Humilitate.* Absit secura quæque præcepsque agendi temeritas. Memineris similem te teneræ arbusculæ esse, ad perticam ut eo felicius succrescat, religari solitæ: Ita & tu baculo humilitatis & timoris Dei constanter innitaris, ne procella repente suborta, te frangat. Eheu! Quoties homo decipitur, dum secure nimium & inconsulto in mundana ruit, & liberius cum mundo quam par est, conversatur. Quocirca tibi persuade, non plus mundo, quam mari fidendum. Externum mundi gaudium ut ut hominem demulceat ad tempus, & prospera quæque & tranquilla promittere videatur, cito tamen procelloso instar maris effervescere potest, & malam conscientiam post se relinquere.

8. Quod si homo nullam ex caducis voluptatem sibi quæreret, e contrario vero animo rebus & curis seculi expedito, divinis meditationibus vacaret; tum vero profundam pacem, tranquillitatem suavem, conscientiam lætam, & divinas consolationes visitationesque sæpius illum degustaturum, nullus dubito. *Vera pax & quies.*

LIB. I. CAP. XXIII.

dubito. Delicias tamen quas mundus ſuppeditat, procul primum faceſſere jube, ſi divinis iterum exſatiari pectus tuum velis. Sed dum hæc in animum inducere nolunt homines, hinc converſionem ſuam, emendationem & devotionem, quam in ſe ipſis potuiſſent invenire, converſando liberius cum hominibus, inter homines magis amittunt. In corde invenies, quæ dum in externa incaute te effundis, facile amittis. Sicut arbor nullibi lætius quam in natali ſolo procreſcit; ita *homo interior* nuſpiam felicius & citius adoleſcit, quam in intimo cordis fundo, ubi *CHRISTUS* eſt.

Conſcientiæ natura.

9. Ex gaudio & triſtitia ipſa hominis conſtat conſcientia: Hanc ſi rebus internis & divinis occupatam tenueris, illa viciſſim interna voluptate te perfundet; ſin externis mundaniſque rebus polluëris illam, in internum tibi cedet tormentum, & triſtitiæ ſatis faceſſet, 2 *Cor.* VII, 10.

Salutaris triſtitia.

10. Quotieſcunque fidelis anima de peccatis ſuis dolet, toties ſeipſam ſecreto deplorat. In hoc lacrymarum fonte, ſingulis noctibus ſe ipſam mundat & abluit ſpiritu ac fide per nomen JESU; ut ſancta dignaque evadat intrare in ipſa interiora adyta & ſanctum ſanctorum, ibidemque ſecreta cum Domino miſcere colloquia.

Divinum alloquium

11. Et quia Deus abſconditus Deus eſt *Jeſ.* XLV, 15. anima ſecretiori modo & a ſeculi ſtrepitu remotiori illum accedat, ut eo felicius divinas ſuas communicationes hauriat, juxta *Pſ.* LXXXV, 9: *Audiam quid in me loquatur Dominus*; & Pſal. XXXIV, 5: *Exquiſivi Dominum, & exaudivit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Iſte pauper*

pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum; & de omnibus tribulationibus ſalvavit eum. Pſ. V, 14: *Ad te orabo: mane exaudies vocem meam. Mane adſtabo tibi & videbo.* Quo vero anima noſtra a mundo recedit longius, eo familiarius Deo innoteſcit: Haud aliter quam patriarcha *Jacobus*, a liberis & cognatis ſuis ſeparatus, cum Deo & Angelis converſabatur. Neque enim verbis amor exprimi poteſt, quo Deus & Angeli ſanctam aliquam animam complectantur, utpote qua cum conſtanter converſari amant.

CAPUT XXIV.

De Charitate Dei & proximi.

1 Tim. I, 5. *Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.*

HOC pronunciato Paulus nobis virtutum nobiliſſimam, puta *Charitatem*, deſcribens, quatuor præcipue circa illam inculcat. Primo quod ſit *finis præcepti* ſive compendium omnium mandatorum; nam *completio legis charitas eſt* Rom. XIII, 10; quia nimirum in illa omnia mandata contineantur, ſine illa autem omnia dona virtuteſque inutiles ſint, otioſæ & infrugiferæ.

Sinceritas charitatis divinæ.

2. Quod autem ſecundo loco dicit, Charitatem *ex corde puro* debere procedere, id ad *Charitatem erga Deum* pertinet, cujus requiſitum eſt, ut cor omni amore mundano vacuum ſit, juxta illud 1 *Joh.* II, 15: *Filioli, nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt; quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia*

Cor mundum quod?

LIB. I. CAP. XXIV.

bia vitæ. Et mundus transit & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Quisquis ergo cor ab omni creaturarum amore liberum ac immune habet, ita ut ex nulla re caduca quocunque nomine venit, pendeat, vel in ea acquiescat, e contrario vero soli Deo ex intimis sensibus adhæreat, exemplo *Davidis*, qui in *Ps.* LXXIII, 25, ait: *Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quid enim mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram?* Hujus inquam Charitas ex puro corde procedit. Item si quis singularem oblectationem, voluptatem & gaudium ex Charitate Dei percipiat; qualem cordis puritatem exhibet nobis Spiritus sanctus *Ps.* XIIX, 2: *Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus; protector meus & cornu salutis meæ, & susceptor meus.*

Charitas ex bona conscientia.

3. Tertium Charitatis requisitum erat *Bona conscientia*, quod respicit *proximum*, qui neque ullius commodi caussa amandus, (est enim hoc *falsi* amoris, & ex mala conscientia profecti, proprium;) nec verbo aut opere proterve offendendus est. Hinc cavendum sedulo, ne illum clam vel palam infestemus, odioque vel invidia prosequamur; immo ut prorsus nullam iram & virulentiam adversus illum in corde geramus, ne in oratione nostra accuset nos nostra coram Deo conscientia.

Charitas ex fide non ficta.

4. Quartum Charitatis requisitum est *Fides non ficta*, ne quid contra regulam fidei & professionem christianam agatur, neve Deus publice vel clam, sive in prosperis sive adversis abnegetur. Age nunc singula capita seorsim excutiamus.

5. *Primum*

5. *Primum* ait Paulus, *Charitatem*, esse *finem præcepti*; nam Charitas, quæ ex vera fide oritur, fructuum & operum ejusdem nobilissimum est, & quo homo melius Deove gratius præstare nihil potest. Deus enim non gravia, non sublimia, non magna opera ad servitutem & cultum sui ab homine exigit, quin potius Religionem Veteris Testamenti rigidissimam, & mandatorum illam multitudinem ac varietatem in *FIDEM & CHARITATEM* summatim redegit, addito insuper dono Spiritus sancti, juxta illud Pauli *Rom.* V, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Quibus verbis veram Charitatis originem una insinuat.

Deus a nobis non exigit dona & opera sublimia.

6. Porro Charitas opus est *minime grave*, sed jucundum & facile homini bono ac fide prædito, juxta illud Joannis 1 Epist. V, 3: *Mandata ejus gravia non sunt*, Christiano puta jam illuminato, cui cor promptum, liberumque affectum & spontaneum indidit Spiritus sanctus. Deinde non exigit a nobis Deus magnam eruditionem & polymathiam, sed solam *Charitatem*, quæ si sincera sit & falso quovis respectu vacua, majoris momenti & valoris apud Deum est, quam omnes omnino artes & sapientia mundi. Immo eousque Charitate delectatur Deus, ut sapientia quæque, artes, opera & dona si Charitate destituantur, ut inutilia prorsus, vana & emortua reputentur, corporisque instar habeantur vitæ expertis, 1 *Cor.* XIII, 1. seq.

Charitas facilitas.

Deus non exigit polymathiam.

Sine Charitate quæcunque opera nullius momenti sunt.

7. Et magnam quidem *eruditionem* quod attinet, ea ethnicis pariter & Christianis communis est. Magna quæque *Opera* a piis eduntur & impiis; sola autem *Charitas* certissimum symbolum est & character Christiani, falsum

a vero

LIB. I. CAP. XXIV.

a vero discernens. Ubi enim Charitas abest, ibi nullum omnino bonum est, utcunque specie externa in admirationem hominem videatur rapere. Ratio est, quia Deus ipse operi non adest. *Deus enim Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in illo*; 1 Jo. IV, 16.

Charitas omnia facit facilia & nemini gravis est.

8. Charitas *jucunda* etiam est, cum Deo, tum homini illam exercenti. Nam cum ceteræ artes, scientiæ & sapientiæ si altius illis homo immergatur, corpus enervent, & magno labore, cura, molestia & ipsarum virium jactura hominem affligant; sola Charitas corpus & animam exhilarat, conservat & emendat, nec ulli damnum infert, sed uberrimos potius fructus ad omnium utilitatem ex se progignit. Amantis enim merces amor est. Vitiis deditus homo a vitiis vicissim punitur ac plectitur.

9. Jam cum ceteræ animæ & corporis facultates atterantur & fatigentur; una Charitas non lassatur, nec unquam cessat, utcunque *prophetiæ evanescant, linguæ cessent, scientiæ desinant, ipsaque adeo fides excidat*; 1 Cor. XIII, 8.

Quod ex charitate fit, habet Deum auctorem & illi placet.

10. Ut Deo quid placeat, ex Deo procedat necesse est. Nihil enim Deus approbat, quod non ipse est operatus in nobis. Cum autem Deus sit Charitas, idcirco *ex Fide* promanet opus, ut Deo placeat; ex *Charitate* autem sepositio omni ad proprium honorem & commodum respectu, ut proximo nostro prosit. Similiter & *Oratio* ex vera Charitate profluat. Unde expendite O mortales, quales preces Deo fundere illi possint, quorum cor ira & virulentia plenum est. Nimirum si vel quotidie totum psalterium tales recitent, non possunt tamen non esse coram Deo abomina-

Deum amans bene & libenter orat.

minatio. Vera adoratio in ſpiritu conſiſtit, in fide, in charitate denique, non in verbis, *Jo.* IV, 24. Veniat nobis in mentem Chriſtus, ex mitiſſimo corde hanc fundens orationem, *Luc.* XXIII, 34: *Pater ignaſce illis!* Summa: Deum qui non amat, hic nec orat; Deum autem ſincere amans, oratione nihil habet prius, nihil ſuavius. Qui Deum diligit, eidem ex animo ſervit; qui vero Deum non diligit, hic nec ſervit illi, licet tantam in Dei ſervitio operam inſumat, ut vel montibus montes videatur cumulare. Unde adeo conſequitur, homini melius majuſque beneficium conferri non poſſe, quam ſi in illius animo Charitas Dei accendatur.

In homine debet operari omnia fides per charitatem.

11. Quæcunque in homine fides operatur, (debet autem in illo operari omnia,) per Charitatem fiant neceſſe eſt; haud aliter atque anima per corpus videt, audit, guſtat, odoratur, loquitur agitque omnia. Ad eum inquam modum, omnia in te faciat *Charitas*, ut, ſive comedas, ſive bibas, audias, vel loquaris, objurges, vel laudes, ſingula in Charitate fiant; exemplo Chriſti, in quo puriſſimus amor omnia eſt operatus. Quocirca ſi proximum tuum aſpicis, oculo commiſerationis pleno aſpice illum; ſi audis, aures arrigat Charitas; ſi alloqueris, regat linguam intime movens commiſeratio.

In charitate omnia cum proximo ſunt facienda.

12. Denique hoc unum cura & ſtude, ut per fidem Charitatis radicem ſanam in te cuſtodias & illibatam; hac enim bene in anima fundata, nil niſi bona ex illa prodibunt, & inde incipies legem Dei, cujus *Amor* eſt compendium, adimplere. Quam divinæ Charitatis majeſtatem non nemo veterum ſanctorum admiratus, exclamat: *O Charitas Dei in Spiritu ſancto, dulcedo animæ unica, & vita divina*

Encomium charitatis.

LIB. I. CAP. XXIV.

vina hominis! Qui te non habet, vivens mortuus est; qui habet, nunquam coram Deo moritur. Ubi tu non es, ibi hominum vita continuum mori est; ubi es, ibi vita hominis præguſtus est vitæ æternæ. Atque hactenus de Charitate, quatenus est *finis* præcepti & *ſumma*.

Deus ſummum bonum hominis.

13. Veniamus nunc ad alterum Charitatis attributum, *cordis* nempe *puritatem*. Hæc in eo conſiſtit, ut animus amore mundano vacuus, Deum ſummum Bonum ſuum conſtituat; juxta illud *Pſ.* XVI, 5: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei; tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi*; & *Pſ.* XXXVII, 4, 18: *Novit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit: Oblecta te in Jehova, qui dabit tibi petitiones cordis tui.* Ita ut animus hominis ſummam voluptatem delectationemque ex ſolo Deo unice hauriat.

Virtus cur amanda ſit?

14. Deus inquam ſit ſummum animæ Bonum, quia optimum eſt, immo Bonum ipſum & virtus ipſa. Nihil aliud eſt Deus, quam mera gratia, charitas, amabilitas, patientia, fides, veritas, conſolatio, pax, gaudium, vita & beatitas. Et hæc omnia in Chriſtum contulit, ut qui ipſum habet, is omnia habeat. Quare qui Deum diligit, illius quoque veritatem, miſericordiam, bonitatem & virtutes omnino omnes diligat, neceſſe eſt.

Vitia cur fugienda?

15. Verus enim Dei amator omnia amat, quæ Deo accepta novit; & contra odit abhorretque, quæ Deo contraria ſunt. Diligenda ergo eſt *juſtitia*, quia Deus ipſa eſt juſtiſtia: Diligenda eſt *veritas*, quia Deus ipſa veritas eſt: Diligenda eſt *miſericordia*, quia Deus miſericordia ipſa eſt. Diligenda *manſuetudo* & *humilitas*, propter exemplum humillimi & manſuetiſſimi Servatoris noſtri. Contra verus DEI amator omne vitium odit, ut

ut hoſtem & adverſarium Dei, opuſque Diaboli. Abhorret ergo *mendacium*, quia Diabolus mendax eſt; & ita ſe res habet circa cetera peccata omnia. Quiſquis autem peccatum diligit, velut mendacium & injuſtitiam, hic *filius eſt Diaboli*; ut eſt *Jo.* VIII, 44. ſcriptum. Sicut qui Chriſtum ceu Redemptorem & Salvatorem diligit, is quoque exemplar vitæ ſuæ innocentiſſimæ diligit, ipſius inquam manſuetudinem, humilitatem, patientiam, &c. & eſt *filius Dei.*

16. Hanc vero Charitatis puritatem ut obtineas, Deus ipſe exorandus, ut per Chriſti amorem illam in te accendat. Et ſane volens libenſque hanc amoris flammulam in te accendet, ſi modo precibus aſſiduis gratiæ fores pulſes, & cor tuum quotidie immo ſingulis horis ac momentis illi offeras. Si frigeſcat nonnunquam Charitas tua fiatque infirma eouſque, ut in te extinguatur, tu ipſe vero huc atque illuc impingas; age exſurge actutum, vires recollige, & Charitatem denuo accende, certus, lumen æternum Charitatis divinæ non ſtatim extingui in Deo, licet in te offuſis ſubinde corrupti amoris tenebris langueſcat: Hinc Deum rurſus ad tui illuminationem promptum eſſe paratumque confide. Quod quanquam ita ſit, tu tamen quotidie Deum ores, ne unquam iterum Charitatis divinæ flammam lucidiſſimam in te extingui patiatur. Atque hactenus de *Charitate ex corde puro*, h. e. ab amore creaturarum & mundi repurgato.

17. Videamus nunc *Charitatem ex conſcientia bona*, quæ proximum reſpicit. Charitas Dei & proximi una eſt, nec divelli unquam poſſunt. Charitas etiam Dei per proximi amorem eo magis conſpicua redditur, immo

Charitas Dei & proximi divelli non poſſunt.

LIB I. CAP. XXIV.

hic illius nota est lapisque lydius. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum; & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*, 1 Jo. IV, 20. Nimirum Charitas Dei habitare non potest in corde misanthropo & inimico. Hinc si misericordia fratrem tuum, quem vides, illaque indigere intelligis, non complecteris, quî Deum diliges, qui tua ope non eget?

18. Sicut *Fide* cum Deo unimur, ita *Charitate* cum proximo. 1 Jo, IV, 16: *Qui in charitate manet, in Deo manet, & Deus in illo.* Sicut hominem anima & corpus; ita Fides & Charitas Dei ac proximi verum Christianum constituunt. Et cum Deus intima integritate in omnes homines feratur, sequitur eum qui ita pariter affectus est, ejusdem cum Deo esse mentis cordisque: contrarium vero qui facit, Dei adversarium esse, cum inimico in homines sit animo.

Charitatis est condolescere peccanti.

19. Veræ Charitatis indoles est ac proprium, *proximi infirmitatibus condolere*, Gal. VI, 1. quippe qui quasi speculo tuos tibi defectus exhibet, ut, dum proximum intueris, propriam ad mala propensionem agnoscas, hominemque te esse memineris. Unde consequitur, proximi infirmitatem cum patientia, humilitate mansuetudineque tolerandam esse: *Rom.* XV, 7.

Compati debilibus oportet.

20. Qui non ex deliberato animo peccant, sed inopinato quandoque impingunt, seipsosq; cito recolligunt; &, dum se peccavisse ultro agnoscunt, in seipsos etiam animadvertunt, reosque criminis sponte se agunt, intima cum commiseratione ferendi sunt: Si qui vero hanc proximo exhibere recusant, eos certum est

eſt, manſueto Chriſti ſpiritu prorſus deſtitui. Qui enim temere & ſepoſitis omnino commiſerationis viſceribus, proximi defectus reprehendit, eo ipſo prodit, ſe commiſerantis amoris Dei, Spiritus ſancti divinæque præſentiæ expertem eſſe; verus quippe Chriſtianus, *h. e.* qui ſpiritu Chriſti unctus eſt, omnes utique homines amica commiſeratione & commiſerante amicitia fert toleratque, exemplo Chriſti qui vitam ſuam, ut normam, cui noſtra converſatio conformis reddatur, reliquit. Quod ſi quis hanc proximi Charitatem ſe non habere deprehenderit, hic certo certius credat, etiam Dei Charitatem, immo Deum ipſum a ſe receſſiſſe: Unde cohorreſcat oportet, & ex intimis animi ſui ſenſibus pœnitens, cum proximo in gratiam redeat, ut ipſa etiam Dei Charitas ad illum revertatur. Quicquid deinceps hac in fide & Charitate faciet homo, id denuo bonum, ſanctum divinumque erit. Et propter hanc inhabitantem Charitatem Dei, volens libenſque miſericordia & amore complectitur omnes, & cum gaudio aliis benefacere geſtit, ſive ut *Jer.* XXXII, 41. loquitur, *lætatur ſuper eis cum eis benefecerit.*

Ubi charitas non eſt, ibi nec Deus eſt.

21. Charitas hæc ſi deficiat, omnia in homine diabolica ſunt & penitus mala. Et hæc cauſſa eſt, quare Diabolus nihil boni facere poſſit, quia Dei ſcilicet & proximi amore deſtituitur, unde quæ facit, non niſi ſumme mala ſunt. Nihil enim aliud omnia ipſius opera conſiliaque univerſa ſpectant, quam Deo contumeliam, homini vero perniciem inferre, animumque ſuum hoſtilem, quem contra Deum hominemque gerit, omni vi exereret. Qua etiam ex cauſſa virulentis animis ad exequendum iræ invidiæque ſuæ conſilia & machinationes, ut tot malitiæ

Cur omnia mala ſint quæcunq; facit Diabolus.

LIB I. CAP. XXIV.

ſuæ inſtrumentis uti ſatagit. Atque hoc ſymbolum eſt filiorum Satanæ, quo a filiis Dei diſcernuntur, 1 *Jo.* III, 10.

Qui Deum diligit, omnia ipſius opera ipſaſque pœnas diligit.

22. Charitas *ex fide non ficta* eſt, quæ Deum æque in proſperis atque adverſis amat. Hunc quiſquis ex animo diligit, in omnibus divinitus ſibi immiſſis lætus acquieſcit: Et quidem exemplo Chriſti, qui hilari animo paratoque crucem, quam ſciebat volente Patre ſuo ſibi imponi, in ſe ſuſcepit; unde ait *Luc.* XII, 50: *Baptiſmo habeo baptiſari; & quomodo coarctor uſque dum perficiatur!* Et hunc imitati ſunt omnes martyres, crucem ſuam cum gaudio bajulantes.

23. Et ſane quiſquis Deum ex animo diligit, hic vero non poteſt non crucem ſuam facile ferre, utpote quam Chriſti jugum eſſe non neſcit, *Matth.* XI, 29. Quod ſi magnes ferri pondus attrahere valet, quidni cœleſtis amoris divini magnes noſtræ crucis pondus ad ſe rapiat, & potenti ſuo contactu ſenſum illius mitiget? Et ſi ſaccharum herbæ amaritudinem corrigit, quidni amoris divini dulcedo crucem noſtram in ſe amaram, dulcem reddat facilemque? Hujus enim tanta vis eſt, ut ſancti martyres inconcuſſum conſtantiæ robur perenneque gaudium ex hoc divini amoris fonte haurientes, eoque inebriati, ipſorum pene tormentorum ſenſum amiſerint.

CAPUT

CAPUT XXV.

De Charitate proximi ſpeciatim conſiderata.

2 Pet. II, 19. *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.*

Affectuum ſervitus graviſſima eſt.

INTER omnia ſervitutis genera nulla durior & aſperior eſt, quam qua pravis affectibus ſervitur; nec horum ullus in ſervum ſuum crudelior eſt, quam animus inimicus ſive *Inhumanitas*, quippe quæ univerſas corporis animæque vires ita labefactat & deprimit, ut nullam omnino cogitationem liberam homini relinquat. Qui vero Charitatem exercet, animo liber eſt, nec ſervus aut mancipium iræ, invidiæ, avaritiæ, uſuræ, ſuperbiæ, mendacii & calumniæ; a quibus omnibus per Charitatem liberatus, non patitur ſe in ſervitutem redigi a pravis concupiſcentiis, ſed manet *libertus* Chriſti per ſpiritum libertatis, 2 *Cor.* III, 17. *Nam ubi ſpiritus, ibi libertas.*

Univerſalitas Charitatis divinæ.

2. Quiſquis ergo in Charitate Chriſti ambulat, deſinit eſſe mancipium peccati, nec amplius ſervus eſt affectuum carnaliumque cupiditatum; quippe per divinæ Charitatis ſpiritum a concupiſcentiis repurgatus & manumiſſus eſt. Et Charitatem quidem divinam ex æquo ad omnes homines extendi, ipſum non modo Dei verbum, ſed univerſa etiam natura nos edocet. Nam cœlo omnes æque contegimur ego & proximus meus: Ita ſolis, aeris, terræ aquarumque uſus tam primæ quam infimæ notæ homini communis eſt, & utrque vitam exinde trahit. Qua ergo

LIB. I. CAP. XXV.

mente ſummum Numen erga genus hominum univerſum affectum eſt, eadem & nos in proximum feramur. Ut enim æquali affectu omnes complectitur Deus, ita ſuo exemplo nos erudivit, voluitque, ut eandem nos induamus mentem; *h. e.* ſine reſpectu perſonarum & prærogativa dignitatis vel meritorum, in Chriſto omnes & ſingulos dilexit Deus. Unde qualem ſe ipſe erga nos præſtitit, tales nos ipſos proximo exhibeamus, neceſſe eſt; quem prout tractaverimus, ita nos ipſe viciſſim eſt habiturus.

Experimentum amoris divini.

3. Et hanc legem cordibus noſtris inſcripſit Deus, ut de ſua erga nos mente nos convinceret, doceretque, & eodem modo proximum a nobis habendum eſſe. Quocirca qui ſcire velit, quo in loco res ſuæ ſint apud Deum, in ſe ipſe deſcendat, exploretque, quomodo erga proximum ſuus ſtet animus, indeque colligat, ſimiliter Deum erga ſe eſſe affectum. Nam quæ proximo fecerimus, ea viciſſim a Deo pati, naturæ conſentaneum eſt. Atque hoc ſenſu ſummus *Deus cum bonis bonus eſt, & cum perverſis perverſus*, Pſ. XIIX, 26, 27. *h. e.* Si perverſum cor contra proximum geras, & tibi tunc Deus adverſetur, vel ſponte ſequitur.

4. Jam cum Deus noſtra nullatenus indigeat opera, fratrem ob oculos poſuit, ac Charitatem in hunc conferri juſſit. Proximi hunc amorem velut lapidem Lydium conſtituit, quo exploretur, an noſter erga Deum amor ſincerus ſit ac bonæ indolis?

5. Et ob hanc rationem tanto cum fervore proximi nobis injunxit amorem, voluitque, ut eandem mentem quam erga nos gerit Deus, proximo iterum & conſtanter exhibeamus. Niſi enim vera Charitate & reconciliatione

cum

cum proximo coalescat homo, gratiæ locum apud Deum obtinere nequit. Utut enim per Christi mortem totius mundi peccata superata fuerint, & plena peccatorum remissio acquisita, totum tamen genus humanum servo illi nequam haud absimile est, cui, cum solvendo non esset, debita remittebat Rex, postea autem crudeliter conservo insultans, revocata sententia proximi caussa damnatus fuit a Domino. Quam parabolam his verbis concludit Christus *Matth.* XVIII, 26, 35: *Sic & pater meus cœlestis faciet vobis.* Cui simile est illud *Matth.* VII, 2. *Luc.* VI, 38: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

LIB. I CAP. XXV.

Christus proximo non ignoscentibus revocat remissionem peccatorum.

6. Unde patet, hominem non tantum sui ipsius, sed proximi quoque caussa fuisse creatum. Tanti enim ponderis de amando proximo præceptum est, ut si hoc quis transgrediatur, Charitas etiam Dei statim ab ipso recedat, & nihil hominem jam maneat, quam ridigissima Dei justitia, judicans & condemnans quicquid veræ Charitatis expers est. Quod si nos hæc talia ad animum revocaremus, utique alter alteri nunquam irascceremur, *neque sol occideret super iracundia nostra*, Eph. IV, 26. Est enim horrendum cogitatu, meritum Christi, quo ipse pro omnibus mundi peccatis in solidum satisfecit, & ut æternus Rex ex mera gratia debita universa nobis remisit; hoc, inquam, meritum rescindi & irritum fieri, si fratrem odio prosequamur, amare dedignemur & condonare recusemus.

Mandatum Charitatis.

Meriti Christi cor irreconciliabile non est capax.

7. Hinc jam patescit, quanti apud Deum momenti Charitas sit proximi, eousque obligatos nos tenens, ut Deus sine proximo amari a nobis dedignetur. Hic si amicitiæ tessera confracta sit, divina etiam Charitate & gratia

LIB. I. CAP. XXVI.

gratia excidimus. Et ob hanc cauſſam nemo altero melior vel auguſtior creatus eſt, ne videlicet inſolenter alter alterum contemnamus, ſed quaſi unius patris germana proles, in pace & concordia viventes, bonam conſcientiam & tranquillam ſervare ſtudeamus.

8. Quiſquis proinde fratrem ſuum odit & ſpernit, is ſciat ſe ipſum Deum odiſſe & ſpernere, utpote qui ſeveriſſime talia interdixit. Fratrem ſi contemnas, te iterum contemnit Deus. Quod certe ut judicium tuum accelerat & damnationem, ita eo ipſo te peccatorum remiſſione, meritoque & redemptione Chriſti vacuum declarat.

9. Neque enim ulla ratione fieri poteſt, ut cor hoſtile, immiſericors ac inhumanum, ſanguinis Chriſti ex mero amore fuſi, particeps fiat. Cum ex parabola *Matth.* XVIII, 35. manifeſte perſpicere liceat, Deum minus commoveri debito decies mille talentorum, quam conſervi immiſericordia & crudelitate. Quocirca ſemper nobis in mentem veniat illud Chriſti: *Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis.*

Deus nullo vitio magis offenditur quam immiſericordia.

CAPUT XXVI.

Quare proximus ſit amandus.

Rom. XIII, 8. *Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit.*

VERBA ſunt Micheæ, *cap.* VI, 6: *Quid dignum offeram Domino? numquid offeram ei holocaustomata & vitulos anniculos? Numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum? aut*

in

in multis millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi, O homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat a te. Utique facere judicium, & diligere miſericordiam & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.

LIB. I. CAP. XXVI

2. Hac quæſtione ac quæſtionis reſolutione docet Propheta, in quo verus Dei cultus conſiſtat; nimirum non in *externis cæremoniis* & ſacrificiis, Deo nihil conferentibus, quippe cujus jam ſunt omnia; neque in *victimis humanis*, quas non exigit immo abominatur, cum in propitiatoriam victimam Jeſu Chriſti, quem Deus conſtituit, ut tolleret peccata mundi, injuriæ exiſtant. Verus autem Dei cultus Deoque placens *internum* eſt opus, in *Fide pura* conſiſtens, a Propheta hoc verbo, *Facere judicium* vel *jus*, expreſſum. In fidei dico exercitio, in charitate, in miſericordia, omnibus ſacrificiis auguſtiore, & in humilitate, juxta *Pſ.* LI, 19: *Sacrificium Deo, ſpiritus eſt contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

In quo conſiſtat verus cultus Dei.

3. Ad quem cultum divinum ex ipſo cordis interiori receſſu profectum, ex fide nimirum, charitate & humilitate, exhortatur nos Paulus *Rom.* XIII, 8, 9, 10. Quod monitum huic capiti præfixum continet encomium Charitatis & debitum proximi perpetuum. Et ſi qua ulla ratio eſt ſerviendi Deo, hæc ſane ſit neceſſe eſt: Deo enim non ſervitur niſi eo quod ipſemet in cordibus noſtris operatur. Adeo ut Deum colere nil ſit, niſi proximo ſervire illique ex amoris principio benefacere.

4. Ad hunc proximi amorem Apoſtolus nos incitaturus, argumento utitur admodum jucundo, illiſque non parum grato, qui chriſtianæ

Encomium Charitatis.

ſtianæ vitæ ac praxi dediti ſunt. Dicit charitatem eſſe omnium omnino virtutum complexum *legiſque ipſius complementum*. Non ſane dicit charitate nos noſtra legi divinæ ſatisfacere poſſe, vitamque ac beatitatem æternam hinc promereri; hoc enim tunc demum fieret, ſi ad ipſam completam perfectionem charitas noſtra aſſurgeret. Eo vero tendit Apoſtoli oratio, ut excellentiſſimæ hujus virtutis auguſtum decus & majeſtatem nobis inſinuet, ad illamque omni ſtudio excolendam nos inflammet. Nam juſtitia & beatitudo noſtra fundatur in Jeſu Chriſti merito, fide nobis applicato.

5. Ex hac juſtitia vero Charitas erga proximum, cum omnibus aliis virtutibus, promanat; quæ idcirco *fructus juſtitiæ* appellantur, *ad laudem & gloriam Dei*, Phil. I, 11. Cum autem tanta hujus virtutis dignitas ſit & eminentia, operæ pretium erit, plura hic afferre Charitatis incentiva, quo eo altius in veræ Charitatis principio ædificemur.

Charitatis cauſſa impulſiva.

6. Omnium vero efficaciſſimum meo ſenſu eſt, quo utitur Joannes 1 epiſt. IV, 16: *Deus Charitas eſt, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in illo.* Quis enim non optet in Deo eſſe & manere? Et quis non optet, ut viciſſim Deus in illo ſit & maneat? Aut quis contra non abhorreat in Satana eſſe, & Satanam in ipſo? Id quod tamen fit, quoties Charitate depulſa, cor noſtrum inimicitia occupat & inhumana hoſtilitas. Diabolus eſt miſanthropos hominumque hoſtis: Deus autem philanthropos eſt, hominumque amicus. Quo pertinent quæ eodem loco *v.* 7. Joannes edifſerit: *Qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. In hoc manifeſti ſunt filii Dei & filii Diaboli.* An vero quicquam optabilius

Charitas ſymbolum filiorum Dei.

eſſe

LIB. I. CAP. XXVI.

eſſe poteſt, quam filium Dei eſſe, exque Deo genitum, & Deum vere cognoſcere? Quiſquis autem cor Charitate vacuum habet, nec unquam experimentali guſtu potentiam Charitatis cognovit, vitamque ejus, beneficentiam, bonitatem, comitatem, longanimitatem & patientiam; hunc certe palam eſt, nec Deum ipſum cognoſcere, qui nil niſi Charitas eſt. Nam Dei & Chriſti cognitio ex experientia ipſa & ſenſu procedat. Cum autem Chriſtus merus amor ſit & manſuetudo, quis quæſo Chriſtum rite cognoſcet, niſi vero Charitatis ſenſu gaudeat? juxta illud Petr. 2. epiſt. I, 8: *Si charitatem habueritis, hæc vos nequaquam vacuos, nec ſine fructu conſtituet in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione.*

Per charitatem Deus cognoſcitur.

7. Nec aliter ipſe Chriſtus *Jo.* XIII, 35: *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Chriſti vero diſcipulus ut ſis, ad hoc ſane non ſufficit, nomine tenus & externa quadam profeſſione chriſtianum appellari; ſed requiritur, ut in Chriſtum credas, illum ames & ſequaris, in ipſo vivas, illi adhæreas, intime ab illo ameris, & denique illius cum omnibus ſuis bonis æternum particeps fias. Quam Chriſti Charitatem quiſquis non habet, hic Chriſti non eſt. Fide enim cum deſtituatur, nec Chriſtus pro ſuo illum agnoſcet. Sicut enim pomum ex ſapore & flos ex odore, ita chriſtianus ex amore cognoſcitur.

Chriſti diſcipulum quid faciat?

8. Paulus aſſirmat 1 *Cor.* XIII, 2: *ſublimia quæcunque ſine charitate nihil eſſe.* Et ſane non linguarum variarum cognitio, non miraculorum patratio, non multorum myſteriorum notitia, aut aliquid horum ſimile, verum chriſtianum demonſtrant, ſed *fides, quæ per charitatem*

LIB. I CAP. XXVI.

talem operatur. Deinde non præcepit nobis Deus res difficiles, ut miraculorum patrationem, ſed charitatis & humilitatis exercitium. Nec in die judicii quæretur ex te, an doctus fueris, inque artibus, linguis & ſcientiis bene verſatus; ſed an per fidem Charitatem excolueris? *Eſurivi*, inquit Chriſtus, *Matth.* XXV, 35. *& dediſtis mihi manducare.* Et Paulus *Gal.* V, 6. conteſtatur: *In Chriſto Jeſu neque circumciſionem aliquid valere, neque præputium; ſed fidem, quæ per charitatem operatur.*

Deus non exigit difficilia.

9. Huc etiam verba Joannis referenda, 1. epiſt. IV, 20.: *Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Quæ hoc unum docent, Dei Charitatem abſque Charitate proximi conſiſtere non poſſe. Qui proximum odit, non poteſt non etiam odiſſe Deum, quia ſummus hominum amator Deus eſt.

Proximus amandus ei, qui Deum amare velit.

10. Charitas naturæ lex eſt, ex qua ad humanum genus quæque bona redeunt, & ſine qua ad interitum ruat, neceſſe eſt. Quicquid homini boni evenit, ex amore promanat. Unde Paulus Charitatem vocat *vinculum perfectionis*, Col. III, 14. Et *Rom.* XII, 9. oratione ſatis magnifica eminentes Charitatis fructus deprædicat Apoſtolus. Ipſe vero Servator noſter *Matth.* VII, 12. docet: *Omnia, quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: quia hæc eſt lex & prophetæ.* Ut taceam ethnicos, quorum celebre eſt effatum ex naturæ lumine deſumptum: *Quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris.* Quod pulcherrimum monitum Imperator *Severus*, aliis etiam virtutibus conſpicuus

Omne bonum ex charitate.

Tota lex pendet a charitate.

ſpicuus Princeps aſſiduo in ore habuit, & legibus ſcriptis inferi juſſit.

11. Charitas æternæ vitæ quoddam eſt exemplar ſive præguſtus. In hac vita electi ſinceriſſime ſe mutuo diligent, alter ex altero ſingularem hauriet voluptatem, beatique omnes, mirabili prorſus concordia, ſuavitate & hilaritate omnem dictionem ſuperante, invicem converſabuntur. Quæ autem omnia in amore ſient. Quiſquis ergo æternæ beatitudinis quondam velut præguſtum expetit, hic amori ſtudeat, quippe qui pura voluptate, ſincero gaudio, pace & conſtanti quiete intimos animi ſenſus nunquam non perfundit. *Charitas typus vitæ æternæ.*

12. Quo autem purior, ardentior & uberior charitas eſt, eo propius ad divinam naturam indolemque accedit; cum in Deo, Chriſto & Spiritu ſancto charitas ſit puriſſima, tenerrima, ardentiſſima & nobiliſſima. Tunc autem *purus* erit amor noſter, ſi diligamus non *privati commodi*, ſed ſolius Dei cauſſa, quem ſcimus ſimiliter puriſſime & nullo ad aliquod bonum reſpectu habito, nos dilexiſſe. Qui itaque *proprii emolumenti* ergo proximum ſuum amat, ejus amor purus & divinus non eſt. In quo etiam ethnicæ & chriſtianæ Charitatis diſcrimen conſiſtit: Chriſtianus proximum diligit ſuum in Deo & Chriſto gratis, omneſque omnino homines in Deo ac Chriſto univerſali amore complectitur; Ethnici vero puri hujus amoris penitus ignari, omnes ſuas virtutes honoris proprii ac privati commodi reſpectu contaminarunt. *Sincerus* autem eſt amor, ſi hypocriſis abſit & ſimulatio, amorque in corde naſcatur; nec in ſummis ſaltem labris & lingua hæreat, qua multi decipiuntur. *Ardens* denique Charitas eſt, ſi miſericordia illam comitetur *Cognatio cum Deo per charitatem.* *Diſcrimen Charitatis ethnicæ & chriſtianæ.*

LIB. I. CAP. XXVI.

mitetur; & commiſeratio, proximique res non minus quam propriæ cordi nobis ſint; ſic, ut vitam ipſam impendere illi non dubitemus, 1 *Jo.* III, 6. exemplo Moſis & Pauli, qui *optabant anathema fieri pro fratribus*, Exod. XXXII, 32. *Rom.* IX, 3.

Inimicorum amor eſt chriſtiani proprietas.

13. Unde illud porro conſequitur, etiam inimicos noſtros nobis eſſe diligendos; *Matth.* V, 44. Luc. VI, 35: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: Et orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii patris veſtri, qui in cœlis eſt. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt?* In hoc ergo conſiſtit præſtantia, prærogativa & dignitas chriſtianorum; naturam ſibi ſubjicere, domare carnem & ſanguinem, & mundum cum malo quod eſt in ipſo, bono ac virtutis praxi vincere, *Rom.* XII, 21. Dei mandatum eſt in *Exod.* XXIII, 5: *Si occurreris bovi inimici tui aut aſino erranti, reduc eum. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis eum illo.* Quam Dei curam circa jumenta Paulus 1 *Cor.* IX, 9. admiratus ſcribit: *Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hoc non dicit?* Et *Rom.* XII, 20. diſerte præcipit: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum*, &c. Adeoque non ſufficit ad amorem proximi, nullum ipſi aut inimico etiam inferre damnum; ſed bene inſuper illi faciamus. Hoc qui præſtare contemnit, filius Dei eſſe nequit; quia proximum non diligit.

Charitas indicat eſſe aliquem membrum vivum eccleſiæ.

14. Qui chriſtianam Charitatem non exercet, hic a ſpirituali corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſe ſeparat, omniumque bonorum quæ in Chriſto recondita ſunt, deplorabilem facit jacturam. Hinc *Eph.* IV, 5. *unus Dominus, una fides, unum baptiſma*, &c: Nam ſicut

ſicut membra, a capite avulſa, capitis vitam & influxus beneficos non amplius participantia, cito emoriuntur: Ita quotquot in charitate non vivunt, ab unico Eccleſiæ capite Chriſto ſe ſeparant, adeoque illius vitam, vividos motus & plenitudinem haurire nequeunt, juxta illud Joannis 1 epiſt. III, 14: *Qui non diligit fratrem, manet in morte.*

Oratio ſine Charitate inutilis.

15. Denique quia per Orationem bona quæque & incrementa obtinenda, illa autem poſtpoſita auxilium, conſolationem & liberationem fruſtra ſperamus, charitatis hinc neceſſitas iterum elucet; cum nullæ preces ad Deum pervenire valeant, quam quæ ex fide & in charitate funduntur; juxta illud Chriſti *Matth.* XVIII, 19: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a patre meo, qui in cœlis eſt.*

Pax in charitate.

16. Agite igitur, O mortales! Vivamus in charitate: Hæc enim ubi viget, ibi pax eſt & concordia: Pax vero ubi eſt, ibi & Deus pacis eſt; ubi vero Deus pacis, illic *mandavit Dominus benedictionem & vitam uſque in ſeculum.* Pſ. CXXXIII, 2.

CAPUT XXVII.

Quare inimici ſint diligendi.

Matth. V, 44. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: Et orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii patris veſtri qui in cœlis eſt.*

CAuſſarum, propter quas inimici nobis veniunt diligendi, *prima* eſt, mandatum Dei, cui aliam rationem ipſe non addit, quam

LIB. I. CAP. XXVII.

hanc: *Ut ſitis filii patris veſtri. Hic enim dilexit nos, cum inimici eſſemus*, Rom. V, 10. Quaſi dicat: *Niſi inimicos veſtros dilexeritis, filii patris cœleſtis eſſe non poteſtis.* Qui autem illius filius non eſt, ecquem patrem habebit? Eheu! Quot & quanta diſcenda adhuc reſtant in chriſtianæ vitæ praxi! Et quam procul a fructibus filiorum Dei adhuc abſumus, inter quos charitas erga inimicos non poſtremum obtinet locum.

Vita ſpiritualis conſiſtit in fide & charitate.

2. *Qui non diligit fratrem*, inquit Joannes 1 epiſt. III, 14: *manet in morte.* Et quænam hujus mortis ratio? Quia veram vitam ex Chriſto non hauſit, quicunque fratris amore vacuus eſt. Vita enim hæc ſpiritualis & cœleſtis eſt, inque fide erga Deum & charitate erga proximum conſiſtit, juxta illud Joannis: *Nos ſcimus, nos tranſlatos eſſe de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Unde patet, fructum & teſtimonium Vivificationis in Chriſto ipſam eſſe charitatem fraternam; odium vero fratris æternæ mortis eſſe indicium. Quiſquis in odio moritur, æternam mortem obit, quod malum ſalutari hoc monito dilectus Salvator averruncare nititur.

Sine charitate omnia opera ſunt mortua.

3. Ejus, qui proximum ſuum odit, omnia bona opera quæ præſtare videtur, cultus nempe divinus, preces, obſervatio mandatorum Dei & id genus alia, vana ſunt & emortua; juxta illud Pauli 1 *Cor.* XIII, 3: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

4. Porro animi excelſi, magni & divini eſt, injurias condonare. *Deum* enim intuere quæſo, ac quam ille longanimus ſit, & ad reconciliationem facilis, *Pſ.* CIII, 8. Intuere *Chriſtum*, qui inter tormenta graviſſima & cruciatus

ciatus immaniſſimos, *inſtar agni neque os ſuum aperuit*, Jeſ. LIII, 7. *Spiritum ſanctum* conſidera, qui in columbæ forma apparuit, ut manſuetudinem animique lenitatem nos edoceret, *Matth.* III, 16. *Moyſen* vide, & qua ille patientia populi convicia & injurias tolerarit; unde hoc Scriptura teſtimonium de illo exhibet *Num.* XII, 3: *Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra. Davidem* item, & qua ille animi lenitate contumelias a Semei ingeſtas audiverit; 2 *Sam.* XVI, 10.

Quo quiſque eſt major, magis eſt placabilis ira,
Et faciles motus mens generoſa capit.

Cui ſimile eſt illud *Mantuani:*

Ardua res viciſſe alios, victoria major
Eſt, animi fluctus compoſuiſſe ſuos.

Itemque iſtud:

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos,
Hæc eſt in magnis gloria magnæ viris.

5. *Vera Charitas*, inquit nonnemo *nulli novit indignari quam ſibi*, & vera pax non in magna fortuna conſiſtit, ſed in humili patientia adverſorum. Pulchre Publius: *Ingenuitas non recipit contumeliam.* Et Seneca: *Si magnanimus fueris nunquam judicabis tibi contumeliam fieri.* Sicut ſol, ſi quis inſanus conviciis illum laceſſat & meras tenebras appellet, nullæ tamen hinc illi offunderentur tenebræ; ita nec animus fortis ac generoſus illatis injuriis concutiatur. *Genus magnum vindictæ eſt ignoſcere.* Atque hæc aurea dicta & monita multi ethnicorum vita ipſa expreſſerunt. Qualis *Pericles* fuit, facundiſſimus Græciæ orator, qui hominem, cujus convicia per integrum diem

Longanimitatis exempla ethnica.

LIB. I. CAP. XXVII.

æquis auribus audiverat, nocte ingruente in domum ſuam deduci jubebat, ne forte damnum acciperet, hoc inſuper elogio addito: *Facilius eſt, virtuti maledicere, quam illam poſſidere. Phocion*, princeps Athenienſis, cum optime de patria meritus, quorundam autem invidia morti adjudicatus eſſet, mortem jam oppetiturus, ad quæſtionem ecquid filio ſuo ante mortem mandare vellet? Reſpondit: *Nihil aliud, quam ne hanc injuriam, quam a patria patior, ipſe ulciſci animum inducat.* Imperator *Titus* cum eſſet illi nunciatum, duos fratres Romæ imperium affectare & in mortem ipſius conſpiraviſſe, non dubitavit illos ad cœnam vocare, & poſtridie medius inter utrumque ſedens, ludos ſpectare. Qua admirabili clementia improbitatem illorum ſuperavit. Cum ad *Julium Cæſarem* eſſet perlatum; *Catonem* ſibi ipſi manus violentas intuliſſe; *Periit mihi*, inquiebat, *omnium, quas hactenus retuli, victoriarum maxima; nam decretum mihi erat, Catoni omnes injurias, quibus me affecerat, ultro condonare.*

Dei ſumma longanimitas.

6. Verum enim vero quem ipſius Filii Dei extrema patientia & manſuetudo ad amandum inimicos non inducit; hic nec iſta, quæ modo retuli, ethnicorum, nec ſanctorum alia ulla exempla morabitur. Quæ enim major injuſtitia & improbitas perpetrari poteſt, quam unicum Filium Dei, innocentem, juſtum, & immaculata vita conſpicuum, ab hominibus adeo miſerum in modum tractari, ludibrio haberi, verberibus contundi, ſpinis coronari, conſpui, in crucem agi & omni convitiorum genere laceſſi? Quam extremam impietatem ex mera gratia inimicis ſuis ille prompte condonavit, exclamans: *Pater ignoſce illis!* Luc. XXIII, 34.

7. Sane

7. Sane hoc fine Redemptor noſter exemplum ſuum ob oculos nobis poſuit, ut eſſet totius vitæ noſtræ panacea efficaciſſima. Tale inquam medicamen, quo quicquid in nobis tumidum eſt ac elatum, deprimeretur; fractum & debilitatum, refocillaretur; inutile, præcideretur; depravatum denique corrigeretur. Aut cujus tandem hominis *Superbia* uſque adeo ferox eſt & intolerabilis, ut ſanari non poſſit per extremam humilitatem Filii Dei? Quæ *Avaritia* tam alte radicata, ut medelam ex ſancta Chriſti paupertate depromptam, irritam reddere audeat? Quæ *Ira* tam vehemens, quin ſumme manſueta lenitate, quæ ex Chriſti vita relucet, miteſcat? Quæ *cupiditas Vindictæ* tam barbara, quin incredibili Chriſti patientia deferveſcat? Quis tam frigidus in charitate, quin in reciprocas ruat amoris flammas, ſi exuberantem Chriſti amorem altius deguſtet *Jo.* XI, 35, 36? Quod denique cor tam durum, quin Chriſti lacrymis ~~non~~ emolliatur? *Chriſti exemplum noſtra panacea.*

8. Aut quis non optet ex intimis animi ſui ſenſibus Deo Patri, illiuſque Filio & Spiritui ſancto conformari, auguſtamque ſacroſanctæ Trinitatis imaginem in ſe ipſe gerere, in charitate condonandiſque injuriis præcipue conſiſtentem? Eſt enim omnium divinarum proprietatum ſumma, miſereri, parcere, condonare & propitium eſſe. Et quis jam dubitaverit illam eſſe virtutum omnium nobiliſſimam qua ipſi ſupremo Deo hominibuſque omnium virtutum laude ſpectatiſſimis ſimillimi evadimus? *Imago Dei.*

9. Denique ſummus virtutis gradus eſt, *ſe ipſum vincere*, &, quod inde ſequitur, ignoſcere, condonare, clementiamque exercere. *Summus gradus virtutis.*

LIB. I. CAP. XXVIII.

Fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincit Mœnia, nec virtus altius ire poteſt.

Cui apprime congruit illud *Prov.* XVI, 32: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium.* Atque hic, ut dixi, ſummus virtutis gradus, ipſumque culmen, apex & faſtigium eſt, ultra quod eniti & aſcendere nequit. Jam in Deo conquieſcit virtus, finitur in Deo ac conſummatur.

CAPUT XXVIII.

Quomodo & quare Amor Creatoris omnium creaturarum amori anteferri; tum qua ratione proximus in Deo amari debeat.

1 Jo. II, 15. *Si quis diligit mundum, non eſt Charitas patris in eo.*

CORDI humano ea natura eſt, eaque proprietas divinitus indita, ut ab amore vacare nunquam poſſit; proindeque nunc in Dei, nunc mundi, nunc ſui ipſius amorem rapiatur. Et ex hac quaſi neceſſitate apparet, affectum hunc, a Deo ipſo implantatum, & a Spiritu ſancto accenſum, ad Principium ſuum, *DEUM* nempe reducendum eſſe, ut ipſi ſoli ut ſummo Bono a quo promanavit, unice impendatur, idque aſſidue efflagitetur, ut divinam charitatem magis magiſque in te accendere dignetur. Ipſe enim prior te dilexit, gratioſo ſui amoris influxu ad reciprocam te invitans charitatem; ad quam ſi perveneris, denuo amore ſuo te complectetur, juxta illud *Jo.* XIV, 21: *Qui diligit me, diligetur a patre meo.*

Charitas eſt affectuum nobiliſſimus & ideo ſoli Deo debetur.

2. Jam

2. Jam in quocunque charitas Dei eſt, is nulli mortalium male precari poteſt. Hæc enim divini amoris proprietas eſt, ut omnibus bene, nemini male precemur. Qui itaque hanc divini amoris indolem in ſe renovari ſentit, is neminem jam fallere poteſt, ac proximum neque dictis nec factis lædere. Et hic genuinus divini amoris effectus eſt.

Amore Dei nihil melius.

3. Verum plerique omnes uſque adeo amore mundi faſcinati ſunt, ut cor circumferant omni amore Dei prorſus vacuum; id quod hypocritico amore erga proximum, proprium tantum commodum cum fratris detrimento quærente, ſatis ſuperque teſtatum faciunt. Atqui æquius erat, mundum, & quicquid in mundo eſt, ſic diligi, ne divinæ charitati injuria fiat, vel fores ullo modo illi præcludantur. Quid enim vilitas vanitaſque ſeculi eſt, ſi cum Dei Majeſtate ac eminentia comparetur? Sicut enim Deus infinitis partibus excellit omnes ſuas creaturas; ita ſancta ejus charitas, nobilitate & dignitate omnem amorem, quo creaturam aliquam complectimur, longiſſimis & humanæ menti non computandis ſpatiis, poſt ſe relinquit. Omnes ergo creaturæ multo ſunt viliores, quam ut illarum cauſſa amorem Dei violare liceat.

Creaturæ noſtro amore indignæ.

4. Verba ſunt Pauli 1 *Cor.* IX, 7: *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit?* Dicamus nos aliquid ſimile huic: *Quis amore noſtro dignior eſt, quam qui illum cordi noſtro indidit, & cujus charitati debemus, quod vivimus?* Omnes autem nos vivimus per charitatem Dei in Chriſto, cui conſtanter per omnem vitam adhærendum eſt, quæcunque tandem fata nos maneant. Sicut nautæ ſuborta tempeſtate medios inter fluctus navim ſuam ancoris firmatam tenent: Ita quo-

LIB. I. CAP. XXVIII.

ties tempeſtuoſum ſeculi mare cordis noſtri naviculam aliis atq; aliis fluctibus peccatorum, velut ira, ſuperbia, impatientia, avaritia, carnis libidine quatit jactatque, meminerimus, illam firmandam eſſe ancora *amoris Dei ac Chriſti*; parati, omnia potius perpeti, quam ab amore Dei divelli, *Rom.* VIII, 38, 39. Eadem nobis mens inſit, ſi quando in ſpirituales tentationes incidimus, & a peccato, morte, Diabolo, inferno, ærumniſque ut tot æſtuantis maris fluctibus agitamur; Amori Dei ac Chriſti tunc inhæreamus. Charitas enim Dei mons ille eſt, qui *Lotho* fuit monſtratus, ut ad illum confugiens, imminens *Sodomæ* incendium felix evitaret. *Gen.* XIX, 17.

Dei amor nobis non poteſt eripi.

5. Quid enim aliud eſt hic mundus, quam ſpiritualis *Sodoma*? Quid item illius incendium, quam flammæ & ardores mundanarum concupiſcentiarum, quibus illi conſumentur, qui charitatis divinæ vacui, corruptæ mentis impetum ſequuntur? Illius dico *amoris* ſive *timoris* divini, quo hominis animus in Deo corroboratus de tentationibus ſeculi, ut *Joſephus* de ſolicitationibus uxoris Potipharis (*Gen.* XXXIX, 9.) triumphat.

Dei amor & timor alexipharmacum peccatorum.

6. Nemo enim amare mundum poteſt, niſi qui divinam charitatem nunquam guſtavit. Nemo proximum ſuum odit, nemo fraudibus illum circumvenit, nemo invidet ejus proſperitati, niſi qui Dei amore eſt vacuus. Unde eſt quod miſeri mortales tot anxiis ſe conficiant curis & ſolicitudinibus? Certe ex divini amoris defectu. Tanta enim eſt divini amoris ſuavitas, tanta dulcedo, ut omnium ærumnarum ipſiuſque adeo mortis ſenſum mitiget.

Amoris divini ſuavitas.

Ejus natura.

7. Amoris ea eſt natura & indoles, ut omnibus cogitationibus ſoli rei quam amat, ſit

affixus

affixus, cetera autem omnia contemnat & obliviſcatur, quo id obtineat in quod tanto ſtudio amoreque fertur. Ecquare itaque, non obliviſceris omnia O homo quæ in mundo ſunt, honores puta, voluptates & opes, in hoc unum incumbens, ut *ſolo DEO* potiaris, quem te amare aſſeveras! Hoc olim a ſanctis Dei hominibus eſt factitatum, quos charitas divina admirabili ſua dulcedine ita habuit devinctos, ut præ incredibili hujus amoris ſenſu mundi ſuique ipſorum prorſus fuerint obliti. Quos idcirco tanquam *ſtultos* menteque captos mundus riſit, cum tamen reipſa omnium fuerint ſapientiſſimi. Nonne enim is vere ſapiens eſt qui æterna Bona ſuper omnia amat ceteriſque anteferenda cenſet? Et nonne illi omnium fuerunt ſtolidiſſimi, qui vano ſeculi amore infatuati, tam ſanctos Dei homines ludibrio habuerunt & deſpectui, 1 *Cor.* III, 19. *cap.* IV, 10? LIB. I. CAP. XXVIII.

Quis hominum ſapientiſſimus & ſtultiſſimus?

8. Verus Dei amator haut aliter quærit diligitque DEUM quam ſi nihil ſub cœlo eſſet præter ſolum Deum. Hac ratione omnia in Deo invenit, quæ in mundo amare potuiſſet. Deus enim eſt *OMNIA.* Verus eſt honor & gaudium, pax & voluptas, divitiæ & magnificentia. Quæ ſingula modo longe excellentiore in Deo quam in mundo inveniuntur. Quiſquis ergo creaturam aliquam *Pulchritudinis* cauſſa diligis; ecquare illa neglecta amorem tuum non transfundis in Deum, qui omnis pulchritudinis fons eſt. Quod ſi vero *Bonum* amare geſtis, quare non amas Deum, qui ſummum æternumque *BONUM* eſt *eſſentialiter*, & ſine quo nihil bonum eſt *Matth.* XIX, 17? Hinc omnes creaturæ ea tantum cauſa *bonæ* ſunt, quia ſcintillam quandam ac divinæ

In Deo omnia inveniuntur.

Omnes creaturæ unde bonæ.

LIB. I. CAP. XXIX.

divinæ Bonitatis guttulam in ſe derivatam circumferunt, utut multis juxta imperfectionibus inquinatam.

Deus ſummum bonum. Animorum terrenorum gravitas.

9. Quare itaque non amas Deum potius, fontem, originem & ſummam Boni perfectionem, quique ipſum bonum eſt *eſſentialiter*, & omnis boni in rebus ſingulis ſcaturigo? Quanto minus terræ ſive gravitatis terrenæ quidque habet, tanto levius eſt, & facilius ſurſum fertur: Ita animi noſtri quo magis rebus terrenis implicati ſunt & illis veluti gravati, eo minus ad cœleſtia conniti poſſunt & in Dei amore exultare. Quo minus mundani amoris ſupereſt, eo majora amor Dei capit incrementa charitaſque proximi, quæ illi neceſſario connectitur. Hinc vero jam ſequitur, eum qui Deum amet, non poſſe non etiam proximum diligere; & qui Deum offendere audeat; neque a proximi injuria ſibi temperare.

CAPUT XXIX.

De Reconciliatione Proximi, ſine qua Deus gratiam ſuam reſcindit.

Numer. V, 6. *Si quis peccaverit adverſus hominem, Domino tenebitur.*

Hominem offendens offendit Deum.

MEmorabilis eſt hæc ſententia; quia cum Deum & hominem, tum utriuſque amorem offenſamque conjungit; ut quiſquis, Moyſis judicio diſertis verbis concepto, hominem offenderit, Deum injuria affeciſſe cenſeatur. Ex hoc vero jam neceſſario conſequitur, quod qui Deo reconciliari velit, eum proximo pariter eſſe reconciliandum; cum Deus

Deus injuriam homini illatam, ſuam arbitretur. Deinde quod qui Deum hominemque offenderit, cum illo redire in gratiam prius non poſſe, quam huic fuerit reconciliatus; ut manifeſte teſtatur Chriſtus *Matth.* V, 23. Quocirca operæ me pretium facturum exiſtimo, ſi denuo oſtendero, Dei & proximi amorem indiſſolubili nexu cohærere, nec a ſe invicem divelli poſſe; hinc autem veram dein *Philadelphian* promanare. LIB. I. CAP. XXIX.

Dei & proximi charitas cohærent.

2. Verba ſunt 1 Ep. *Joh. c.* IV, 20: *Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt: Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit & fratrem ſuum.* Quæ ſententia modo dicta confirmat, charitatem nempe Dei ſine dilectione proximi conſiſtere non poſſe. Si Deum quis ſincere & ſine hypocriſi diligat, haud alio amore proximum complecti poteſt: Contra ſi falſo & ficto affectu Deum amare deprehendatur, nec proximi amor quem jactat, melioris erit indolis. Quo efficitur, amorem proximi ſpecimen eſſe & *lapidem quendam lydium* amoris divini, quo rite adhibito ſinceritas vel hypocriſis hujus amoris ultro pateſcet.

3. Et ex hoc fundamento facile jam cognoſcitur vera indoles amoris proximi & reconciliationis fraternæ. Quocirca non erraverimus, ſi *duplicem ſcopum* homini præfixum dixerimus, ad quem omnes actiones vitæ illius colliment: *Charitatem* inquam *Dei & Proximi.* Huic omni ſtudio inſerviat homo, & totus in eo ſit, quo *ſcopo* huic propius indies accedat inque Dei amore ac proximi magis magiſque proficiat. Eo enim fine creati ſunt omnes, redemti & ſanctificati. Quanquam fortaſſis

Duplex hominis ſcopus.

LIB. I. CAP. XXIX.

taſſis aptius ſit dicere Chriſtum *SCOPUM* eſſe noſtrum ad quem jugi curſu tendendum. Huic vero eo conjunctiores ſumus, quo propius ad charitatis praxin accedimus. Etenim hoc conſilio Deus homo factus eſt, ut veram amoris indolem nobis ob oculos ſtatueret vivamque amoris ſui imaginem; ſeque oſtenderet ipſum *AMOREM* eſſe in eſſentia incomprehenſibili, imperſcrutabili, infinita divinaque; ut homines in hanc imaginem Dei, quæ eſt Chriſtus, intuentes, in eandem per charitatem transformarentur.

Dei charitas in Chriſti incarnatione conſpicua.

Vinculum charitatis.

4. Sicut vero in Chriſto Deus & homo vinculo indiſſolubili eſt conjunctus; ita charitas Dei charitatem etiam proximi in ſe continet. Et hæc haud facilius disjungi poſſunt divellique, quam divina humanaque natura in Chriſto. Adeo, ut qui humanitatem Chriſti injuria affecerit, idem divinitatis reus cenſeatur; & qui hominem offenderit, Deum pariter læſiſſe exiſtimetur. Itaque nemo a proximo, rupto charitatis vinculo, ſeparare ſe poteſt, quin eodem divortio a Deo ſecedat. Nemo proximo iraſci poteſt, quin eodem tempore Deo ipſi ſuccenſeat. Simili quæ dicta ſunt illuſtrabimus: Sicut qui per medium circulum lineas ducit, circumquaque a peripheria illas orditur, omnes autem contiguas in *Centro* unit & jungit, ita ut qui unam lineam ab alia ſeparat, eandem etiam a centro ipſo ſeparet: Ita Deus *Centrum* quoddam eſt, a quo ſeceſſionem facit, quiſquis lineam amoris proximi a proximo ſeparat. Ut autem omnes lineæ in ipſo Centro ut *principio* quodam *unitivo* conquieſcunt, & hoc mediante ſibi invicem quoque proximant: Ita veri chriſtiani in communi miſeria ſibi invicem condolent, & generoſo quodam ſympathias ſenſu in ipſo tamen

Deus offenditur in proximo.

Deus eſt charitatis centrum.

men Deo ut Centro ſuo uniti, ſe invicem ſublevant.

5. Atque huc apprime quadrat hiſtoria *Jobi* utpote quæ modo dicta luculenter explanat. Jobo enim cum nunciatum eſſet, facultates ejus ac bona erepta eſſe ac ſublata, dixit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: Sit nomen Domini benedictum*, Job. I, 21: nec admodum magna hinc triſtitia perculſum ſe ſenſit. At cum eidem ſignificaretur, filios omnes ipſi periiſſe, tum vero haud paullo magis commoveri cœpit veſteſque lacerare. Faciat aliquid ſimile verus chriſtianus, & audita proximi ſui (quem filii *Jobi* repræſentant) calamitate, ſciat, Chriſtiani eſſe, magis affici proximi miſeria quam propriorum bonorum jactura. Veri enim amoris indoles eſt, alienis miſeriis quam ſuis vehementius commoveri. O igitur felix hominum genus, ſi omnes in amore viveremus! Ceſſarent fraudes, neſcirentur injuriæ, nec jam eſſet, qui proximo fraudi foret, vel ſubdola circumventione imponeret.

Vita beata in charitate.

6. Sane ut hoc in animum induceremus, idcirco ſummum Numen in mundi exordio, cum multas beſtias & plantas produxiſſet, unicum ſaltem hominem creavit, exque eodem *Evam* deinde condidit; ut ſcilicet homines ab hac una radice orti, ſuæque originis & cognationis memores, ut tot rami uni arbori inſiti, amore affectuque mutuo eo intimius conſpirarent.

7. Deinde charitatis a Deo nobis commendatæ exercitium, tantum abeſt, ut corporis vel animæ vires fatiget, ut naturæ potius noſtræ ſummopere congruat, & vitam omnino tranquilliſſimam nobis conciliet. Quod ſi idem Deus tibi præcepiſſet, proximum tuum odio proſequi, tum vero haud paullo gravius onus

Amare facilius eſt quam odiſſe.

LIB. I. CAP. XXIX.

onus jugumque tibi impoſuiſſet; nam invidia, odium ac hoſtilis virulentia juge animæ eſt ſupplicium, corpuſque ipſum conficit, punit & excruciat: dum amor e contrario non deſtruit & affligit, ſed reficit exhilaratque totum hominem, animamque & corpus conſervat corroboratque. Illis qui DEUM diligunt, etiam proximum diligere jucundum eſt; qui autem Deum non diligunt, illis & durum eſt diligere proximum.

Reconciliatio parit quietem. Virtus ſibimet merces.

8. Quod ſi pravæ naturæ tuæ propenſioni difficile videatur, amare proximum, fac in mentem tibi veniat, longe difficilius eſſe & intolerabilius inferni igne excruciari. Eheu infelicem hominem, qui æterni ignis pœnam mavult ſubire, quam proximum hic amare ac illi reconciliari! Vivido ſenſu in ſeipſo facile experietur homo ſicut *fides pacem cum Deo* gignit, (*Rom.* V, 1.) ita charitatem & reconciliationem cum homine animos noſtros quietiores tranquillioreſque præſtare, e contra ſimultates & odia eoſdem excruciare. Etenim hæc indoles eſt virtutum omnium, ut eum qui ipſas habet, digno pretio & honore ultro mactent: Vitiorum item, ut cultores ſuos ſuppliciis quæ merentur, plectant.

Reſtitutio eſt pars Pœnitentiæ.

9. Ceterum quomodo fieri debeat Reconciliatio, Scriptura docemur: Quæ jubet (1) delictum ſuum apud proximum profiteri & illius veniam petere; (2) tum ablata *reſtituere*, hoc eſt, ipſum *caput ſive ſortem, quintamque inſuper partem addere.* (3) Sin non fuerit qui recipiat, detur Domino. Quæ reſtitutio ablatorum diſertis verbis *Numer.* V, 7. & ſeqq. præcipitur, & eſt pars feriæ pœnitentiæ. Unde Auguſtinus ait: *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*; & mox quaſi declarationem ejus quod dixerat ſubjiciens, *Cum*

res

ret, inquit, *aliena, quæ reddi potest non redditur; non agitur, sed fingitur pœnitentia.*

10. Veræ quippe pœnitentiæ, quæ hominem ad Deum convertit, proprium est, omnia terrena contemnere, & *pro stercoribus habere propter eminentem gratiam Dei*, Phil. III, 8. id quod *Zachæus* suo exemplo faciendum docet, (*Luc.* XIX, 8.) cui nunc similes invenias perpaucos. Mundat enim cor vera ad Deum conversio, & conscientiam per fidem & restituendo ablata purificat. Intus enim & in corde inque conscientia *fur* manet coram Deo, qui furto ablata retinet nec restituit; utcunque porro furari desinat. Quare ut pœnitentia vera sit & conscientia pura, facienda est restitutio, in quantum possibilis; si non possibilis, orandus est Deus ex intimis sensibus, ut tua vice proximo ablata restituat.

Qui non restituit coram Deo fur est.

11. Ratio hujus restitutionis est quod peccator duobus teneatur *Deo* & *proximo*. Ut itaq; integra sit pœnitentia, utrique reconcilieris necesse est; Deo pœnitentiam non agnoscente, nisi cum proximo quoque reconcilieris. Non ergo sufficit, si vel maxime Deo dixeris: Clementissime Deus agnosco & confiteor me proximo meo injuriam feciſſe, damnum dedisse iniquo fœnore, vel fraude, & denique cum eo sic egisse, ut mecum agere alium nolim: Quam iniquitatem ut mihi propter Filium tuum condones, supplex te oro. Est enim hæc oratio iniquissima, quam proinde Deus repellens, *Redde*, ait, *quod fraude vel usura abstulisti, & parata erit venia.* Non sane, quasi homo hoc modo remissionem mereatur. Non: plura enim hoc proximo suo debet. Ubi ergo meriti præsumptio? Sed hoc est divinum decretum, quo ita erga te gerere se constituit Deus, ut tu erga proximum te gesseris

Deus non reconciliatur nisi proximo prius reconciliato.

Pœnitentia sine restitutione nihil est.

LIB. I. CAP. XXIX.

ris ipſe. Huc vero pertinent ſequentia Scripturæ dicta: *Matth.* VII, 12: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis.* Luc. VI, 38: *Eadem menſura qua menſi fueritis remetietur vobis.* Matth. V, 23: *Vade prius reconciliare fratri tuo; & tunc veniens offer munus tuum.* Iſaiæ cap. I, 16: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere: Quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, quaſi lana alba erunt.* Et cap. LVIII, 6: *Nonne hoc eſt magis jejunium quod elegi? diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti ſunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam juſtitia tua & gloria Domini colliget te.* Quæ omnia una voce clamant, nolle Deum cujuſquam pœnitentiam aut orationem reſpicere, niſi prius cum proximo in gratiam redierit homo.

CAPUT

CAPUT XXX.

De Fructibus Charitatis.

1 Cor. XIII, 3. *Charitas patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est fastidiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Vita fidelium est Christus.

SICUT in medio paradisi arbor vitæ plantata erat, cujus fructibus qui vesceretur, is vitam erat acturus immortalem; juxta illud *Gen.* III, 22: *Nunc ergo ne forte mittat manum suam & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum, emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est:* Ita summus Deus in medio paradiso Christianæ Ecclesiæ posuit CHRISTUM JESUM, ut ex illo omnes fideles vitam spiritumque traherent. Tota enim christiana Religio in *fide* & *charitate* consistit, ipsaque adeo christiani vita in universum, propter fidem in Christum Deo grata est & accepta: Proximo vero ut serviatur, charitatem habeamus necesse est. Adeo enim verum est, virtutes universas sine Charitate nihil & mortuas esse, ut ne fides quidem excipiatur *Jac.* II, 17. Licet enim Fides sola justificet, dum sola meritum Christi apprehendit, neque in negotio justificationis ulla ratio operum præcedentium, præsentium & consequentium, sed Christi tantum habeatur: Certum tamen est, si Chari-

tas non ſubſequatur, nec fidem ipſam veram eſſe, ſed hypocriticam, utcunque miraculis vel maxime coruſcet.

2. Sicut enim corpus anima deſtitutum, mortuum eſt; ita ſpiritualis & interior homo, cujus membra ſunt virtutes, ſi Charitate deſtituatur, cum omnibus ſuis membris mortuus cenſendus eſt. Unde *Paulus* Charitatem lapidem Lydium fidei conſtituit, talem fidem exigendo *quæ per Charitatem operetur*, Gal. V, 6. Equidem in ipſo *Juſtificationis* negotio ſine operibus conſiſtit fides *Rom.* IV, 6; at iiſdem carere non poſſe fateor, ubi cum hominibus in foro Charitatis ſit actura, proximoque per amorem inſervitura. Hinc loco citato vocatur *Fides quæ operatur per Charitatem.* Et 1 Cor. XIII, 4. & ſeqq. hujus pulcherrimæ arboris fructus *quatuordecim* recenſentur.

Fructus 14. Charitatis, erga proximum.

3. Horum *primus* eſt *Patientia* ſive *Longanimitas*, cujus naturam & conſtitutionem nemo melius expreſſit quam Chriſtus. In hoc ut vera arbore vitæ, hic fructus non modo eſt quærendus, ſed in ſuccum etiam & ſanguinem convertendus. Chriſtum quæſo intuemini; quanta nimirum longanimitate peccata & malitiam mundi toleraverit, ut peccatores hoc modo ad pœnitentiam allicerentur, *Rom.* II, 4: Ita tu quoque vitam moreſque tuos inſtitue, ut hac ratione Chriſtus *manſuetus* in te vivat, & tu ex illo tanquam membrum capiti unitum vitam trahas motumque.

(1) *Longanimitas.*

(2) *Benignitas.*

Secundus fructus eſt *Benignitas*. Chriſti hic iterum intuere Benignitatem. Quis unquam fuit benignior illo per cujus *labia Gratia fuit diffuſa*, Pſ. XLV, 3? *Omnes mirabantur ſuper ſermonibus plenis gratia procedentibus ex ore ipſius* Luc. IV, 22. Hujus veſtigia & tu preme,

me, & loquetur Christus per os tuum, & manebis illi unitus Charitate perpetua. Fiant autem omnia ex sinceri amoris impulsu. LIB. I. CAP. XXX.

4. *Tertius* fructus est, *non æmulari* nec ulcisci, sed remittere & condonare. Hoc Deo nihil magis est proprium. *Non in perpetuum* (inquit *David* Psalm. CIII, 8.) *irascetur: Neque in æternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis: Neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.* Cui simile est quod extat in *Ezechiele* cap. XVIII, 22: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor.* Et in Jeremia, *cap.* XXXI, 3. *c.* XX, 34: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Idcirco conturbata sunt viscera mea, miserans miserebor ejus. Propitiabor iniquitati eorum, & peccatum eorum non memorabo amplius.* Et in *Es. c.* XLIII, 25: *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Idem ergo tu fac: Remitte, & obliviscere; & vicissim tua delicta obliviscetur Deus. Hoc modo Christi mentem induis inque unione cum ipso manes. (3) *Non æmulatur.*

5. *Quartus* fructus est: *non agit perperam.* Non petulanter & proterve proximum deridendum aliis propinat, vel per lusum quendam sycophanticum damnum ipsi & injuriam infert. Dolosis ejusmodi machinis non utitur Charitas, sed animum in fronte gerens, ingenue & candide omnia facit. Hujus rei specimen nobis dedit Christus, qui æque hostibus ac amicis candorem suum approbavit, & ex intimis animi sui sensibus omnibus rectissime factum consultumque voluit. Hujus vestigiis & tu insiste, ut candor & ingenuitas Christi in te maneat. Hoc inquam agamus (4) *Charitas non agit perperam.*

mus: Ex animo ſinguli aliorum commodis ſtudeamus, ut hac ratione Chriſto capiti noſtro velut membra maneamus uniti.

(5) *Non inſolescit.*

6. *Quintus* fructus eſt: *Non inflatur Charitas*; h. e. Non jactat magna quæque, non ſuperbit & inſoleſcit. JESUM iterum intuere: Cum enim mulier elata voce in confertiſſima turba exclamaret: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti*, Luc. XI, 27. ipſe hanc laudem utut meritiſſimam humiliter a ſe amolitus, in amatores Dei eam transfudit: *Quin immo* ſubjiciens, *beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud*. Atque hic veri *AMORIS* character eſt, omnia ſua ipſamque adeo laudem & elogia in proximum transferre. Hoc & tu exemplo Chriſti facere allabora, ut vivat in te humilis Chriſtus, & tu in illo.

(6) *Non eſt faſtidioſa.*

7. *Sexto*: Vera Charitas non eſt ferox, *non faſtidioſa*, non aſperis & inhumanis moribus, ſed ad omnem humanitatem ita facta & compoſita, ut benignitas ex ipſis quaſi eniteſcat oculis. In CHRISTUM denuo intuere, perfectum illud *Humanitatis* exemplar. Hic juxta vaticinium, *Iſ.* XLII, 4. *non fuit moroſus neque turbulentus*, ſed admirabili comitate & commiſerante ſuavitate cum proximo eſt converſatus. Hunc & tu imitari ſtude, ut in illius imaginem transformatus, conſtanter ipſi uniaris.

(7) *Cultus Dei non Deo ſed nobis prodeſt.*

8. *Septimus* Amoris fructus eſt: *Non quærere quæ ſua ſunt*. Nihil habet gratius, nihil jucundius vera Charitas quam gratis & citra ullum privatum emolumentum aliis ſervire, & quam poteſt, plurimis ſui copiam facere. Dei hæc eſt indoles, abundantiſſime hoc præſtantis, qui omnia nobis dat gratis, & ad quem nulla utilitas redit. Si Deo ſervieris, beneficium hinc ad te redundat, non ad Deum. Eum in finem ſui timorem cultumque præcepit Deus,

Deus, ut tu hinc divinæ Charitatis fructus percipias & benedictionem reportes. In Christo pariter oculos defige, qui propriæ utilitatis nullam, sed tuæ tantum salutis rationem habuit, *nec ministrari sed ministrare venit*, Matth. XX, 28. Similis fuit arbori, quæ citra invidiam & respectum personarum, fructus suos, qualescunque a Deo ipsa prior accepit, obvia comitate propensioneque omnibus iterum porrigit. Ita totum se nobis impendit Christus: Immo Deus ipse in Christo cum omnibus donis suis humano generi semet erogavit, jureque proprietatis habendum & possidendum tradidit; hoc ipso palam faciens, esse se summum Bonum, quod non potest non esse sui quam maxime communicativum. Huic te similem reddere stude, & eris *plantatio Domini ad glorificandum*; Jes. LXI, 3. florebitque & germinabit in te Christus, vitis viva, & palma semper virescens, *Ps.* XCII, 13.

LIB. I. CAP. XXX.

(01)

9. *Octavus* Amoris fructus: *Non irritatur*: h. e. non excandescit, quando homines cœco animi impetu abrepti iram intus ardentem per diras & convicia exonerant. In hoc etiam imitare Christum Jesum, ex cujus ore nulla amaritudo processit, nulla maledicentia, nullus clamor, (*Jes.* XI, 3.) sed benedictio & vita. Et quamvis *Chorazim, Capernaum & Bethsaida*, (Luc. X, 13) itemque ipsos Pharisæos (*Luc.* XI, 42) diris devoverit, væ super illis iterando: id tamen tantum abest, ut ab animo crudeli & virulento fuerit profectum, quin seria potius & severa ad pœnitentiam fuerit exhortatio. Caveamus proinde, *ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi*; Ebr. XII, 15.

(8) *Non irritatur.*

10. *Nonus* Charitatis fructus est: *Non cogitare malum.* Hæc est proprietas summi

(9) *Non cogitat malum.*

Dei, ſicut ipſe facit teſtatum *Jer.* XXIX, 11: *Ego ſcio cogitationes quas ego cogito ſuper vos, cogitationes pacis & non afflictionis, ut dem vobis finem & patientiam. Quæretis me, & invenietis, cum quæſieritis me in toto corde veſtro.* Unde conſequitur, quod qui habet cogitationes pacis ſuper proximo ſuo, cor Dei ſenſumque Chriſti habeat, & quaſi membrum vivum capiti ſuo unitum divino influxu ſubinde afficiatur.

(10) *Non gaudet ſuper iniquitate.*

11. Decimo: *Non gaudet ſuper iniquitate* ſive injuriis & oppreſſione juſtorum, more ſceleſti *Simei*, cum *David Abſolonem* fugeret 2 *Sam.* XVI, 6. Hic vero & Chriſti veſtigiis inſiſte. Quanta hic compaſſione Petrum perjurum aſpexit? Quam benigno intuitu illum erexit *Luc.* XXII, 61? Hinc *David* Pſ. CXLVI, 8: *Jehovah erigit Incurvatos.* Quot lacrymis corruptionem hominum & Judæorum interitum deploravit Dominus, *Luc.* XIX, 41? Quanto ſtudio oves errantes & perditas in viam revocavit, & quanta oris ſuavitate eaſdem allexit, *Luc.* XV, 4? Hunc talem tantumque amoris magiſtrum & tu ſequere, & *ſi quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, illum deplora, ſpiritu lenitatis inſtrue, muniſque illius porta, ut impleas legem Chriſti*, Gal. VI, 2. ejus, dico qui prior tulit peccatorum noſtrorum onus; ut hoc modo vivum ipſius ſis membrum, & vita capitis quæ membra vivificat, conſtanter guberneris.

(11) *Congaudet veritati.*

12. Undecimo: *Congaudet veritati*, & ubi recte decenterque omnia fiunt: exemplo *Chriſti*, qui revertentibus ſeptuaginta diſcipulis, reque ab illis bene geſta, ex intimis ſenſibus exultabat Patremque ſuum cœleſtem deprædicabat, *Luc.* X, 21. Nec non ſanctorum *Angelorum*, quos Chriſtus in cœlo gaudere docet peccatore pœnitentiam agente, *Luc.* XV, 10. Quod

ſi

si nos cum istis paria facimus, tum vero te angelicam immo divinam mentem induere credas.

13. *Duodecimus* Charitatis fructus est *omnia sufferre*, ut vinculum pacis sartum maneat tectumque. Hunc ut obtineat finem, proximi defectus leni animo perfert Charitas; exemplo Pauli 1 *Cor.* IX, 20: *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Eadem *credit omnia*, nihil sequius de proximo suspicando: *Omnia sperat*, nihil non quam rectissime proximo evenire precando: *Omnia denique sustinet*, ut proximo tanto melius inservire liceat commodiusque. CHRISTI Vitam & hic contemplare, qui singula hæc vivo suo exemplo nos docuit, propter peccata nostra tum gravissimas injurias & contumelias, tum vero cruciatus immanissimos extremamque paupertatem sustinendo, ut nos in ipso & per ipsum gaudium & honorem consequeremur.

(12) *Omnia suffert.*

(13) *Dei amor est æternus,*

14. *Decimus tertius* Amoris fructus est: *Non fatigari, neque quiescere*, Dei instar, *cujus misericordia ab æterno & usque in æternum super timentes eum*; Psal. CIII, 17. *Luc.* I, 10. *Qui expectat ut misereatur nostri & exsurrexit ut parcat nobis*; Jes. XXX, 18. *cujus amor fortis est ut mors*, (Cant. VIII, 6.) *ut multæ aquæ extinguere illum non possint: a quo denique nihil nos separare potest*: Rom. VIII, 39. *Qui misericordia sempiterna miseretur nostri*, Jes. LIV, 8. Et quamvis *Jer.* XV, 6. affirmet *se commiserando defessum*, id tamen ad illos tantum pertinet, qui divinam misericordiam proterve repellunt, gratiam contemnunt & *ad lasciviam transferunt*, Ep. Jud. v. 4: nequaquam vero ad illos qui ipsum timent, juxta illud *Jes.* LIV, 10: *Montes commovebuntur, & colles contremiscent, misericordia*

LIB. I. CAP. XXXI.

misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non movebitur; dixit miserator tuus Dominus. Ad hoc exemplum etiam amorem nostrum componi oportet, ut nunquam fatigetur, ne ab inimicis quidem, sed vivat utique Christus in nobis *Pater ignosce illis!* Luc. XXIII, 34.

(14) *Charitas quare virtutum maxima.*

15. Denique Charitas omnium virtutum maxima est & quasi Regina, quia ipse *Deus Charitas est*, 1. Jo. IV, 16. Pariter quia *finis præcepti* & breviarium legis est. Quia æterna est, *nec evacuabitur cum fide, spe, linguis* &c. apparente beatitudine nostra, quæ finis est fidei. Deinde quia omnia opera & beneficia universa in proximum collata, si Charitate destituantur, vana sunt ac falsa. Et tandem, quia Charitas æternum exhibet testimonium de beatitate æterna, mediante fide obtenta. Nullis ergo donis, nulli arti tanto invigilemus studio quam CHARITATI, juxta illud ad *Eph.* III, 19. *Scire Charitatem omni notitia supereminentiorem, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.*

CAPUT XXXI.

Philautiam & Arrogantiam maxima & pulcherrima quæque dona inquinare.

1 Cor. XIII, 1. & seqq. *Si linguis hominum loquar & angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.*

NE quis forte miretur Paulum *Charitatem* pluribus encomiis exornare, sciendum est, ipsum *Deum esse Charitatem*, & consequenter

quenter parem laudem utrique competere. Major enim virtus augustiorve neque in homine neque Deo reperitur. LIB. I. CAP. XXXI.

2. Charitas quæ *proximum* respicit, duplex est: *Vera* altera, viva, sincera & candida; *falsa* altera, hypocritica, & fucata. Priorem describit Paulus amplissimo catalogo & recensu fructuum proprietatumque, ut modo accepimus. Posterior autem *falsa* nempe & impura in omnibus suis verbis, donis & operibus ad proprium commodum honorisque aucupium oculum jugiter habet intentum: Et utcunque externa specie nil nisi divinum humanumque bonum & commodum consectari videatur, intus tamen & in corde ad nil nisi privatum commodum honoremque habet respectum. Quicquid autem ab hoc fonte promanat, id non ex Deo, sed Diabolo proficiscitur; estque venenum omnia bona opera & dona quæque pulcherrima inficiens. Sicut enim flos visu, gustu & odoratu suavissimus, si secretum quoddam in se foveat venenum, color amœnissimus, odor fragrantissimus, sapor denique dulcissimus non reddit florem minus exitialem: Ita homo si vel angelicis donis coruscet, plenus autem sit superbia, philautia & arrogantia, tum vero dona illa non modo ad frugem non perveniunt, sed summe etiam sunt perniciosa.

Amor verus & falsus.

Quod ex charitate non oritur, nec ex Deo oritur

3. Quod enim revera bonum sit, id *DEUM* unice cum Originem, tum Finem habeat oportet. Si aliam *Originem* aliumque *Finem* aliquid habeat a *DEO* devium, tum vero eo ipso desinit esse bonum. Hic enim ut omnis boni autor est, ita quicquid ille in te operatur, id vero tantum bonum est. Secus autem, si quid arrogantia, philautia, studiumque honoris aut emolumenti proprii per te moliatur, cum

Quid sit bonum?

LIB. I. CAP. XXXI.

cum ex Deo illiusque afflatu & impulsu non proveniat, neque *bonum* certe esse potest. Deus itaque solus *bonus* est, (*Matth.* XIX, 17.) nec non ipsa Charitas. Unde ad proximum ex Charitate omne bonum, haud aliter atque ex Deo, pervenire, est necesse. Hinc ferunt quendam ex veteris ævi sanctis optavisse, ut ipse Deo alium usum non præstaret, quam sua sibi *dextera* afferat. Quæ cum nil nisi instrumentum sit, aptum dare & accipere, proinde nec quicquam honoris & gloriæ sibi ipsi arrogat.

Votum sanctum.

Vera charitas nihil cupit nisi solum Deum.

4. Et sane par est omnes nos sic esse affectos. Et cum a Deo omnia nobis gratuito obveniant, similiter illa, manus instar, in summa simplicitate & citra vanæ gloriæ laudisque quæstum, ex amore purissimo benigne in proximum iterum transfundere. Soli autem Deo, ut autori, honor & gloria debetur, at nobis nihil quicquam, quippe qui instrumenta tantum sumus, creata aptaque accipere & erogare. Quicunque itaque sinceræ hujus Charitatis expers est, is cum omnibus suis donis nihil est. Et si vel maxime *linguis Angelorum loquatur, habeat prophetiam, noverit mysteria omnia & omnem scientiam, fidem habeat tantam taleinque, ut montes transferat, distribuat in cibos pauperum omnes facultates suas, tradatque corpus suum, ut ardeat*, 1 Cor. XIII, 1. & seqq.

Philautia & Arrogantia est lapsus Diaboli.

5. Omnis enim *Philautia*, h. e. studium *honoris, laudis* & *emolumenti PROPRII* ex Diabolo est, & illius apostasia fuit, per quam cœlo fuit pulsus. Nam cum Deus *Luciferum* pulcherrimum Angelum creavisset, donisque augustissimis sapientiæ, lucis & gloriæ divinæ exornavisset, cœpit semet in donis suis quasi pavo admirabundus suspicere, amare, honorare & laudare. Hoc vero erat primordium,

mordium & primus ad ruinam gradus, puta honorem non Deo ſed ſibi ipſi dare, amoremque ſuum a Deo ad ſe convertere. Unde merito cœlo ejectus fuit cum omnibus ſuis complicibus contagioſo ſuperbiæ ſpiritu infectis. Nihil jam illi profuit vel *principatum* inter Angelos habuiſſe, juxta illud *Jud.* vers. 6. *Angeli qui non ſervaverunt ſuum principatum*: Et Pauli ad *Coloſſ.* II, 15: *Exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam, triumphans de illis in ſemetipſo.*

6. Jam quo peccato Lucifer prior ruinam ſibi ipſi conſciverat, eodem dein hominem perdere eſt aggreſſus; avertens illum ab amore & honore Dei ad ſeipſum. Unde conſecuta eſt philautia & arrogantia talis ac tanta, ut ſimilitudinem Dei affectaret homo. Hinc vero Paradiſo tandem fuit ejectus, ut Lucifer e cœlo, relinquens nobis omnibus philautiæ & arrogantiæ hæreditatem. Atque hæc eſt illa deplorabilis Adami apoſtaſia, quam omnes homines identidem iterant, & cum carne & ſanguine alter alteri tradunt. *Et hominis.*

7. Huic apoſtaſiæ ut medela adhibeatur, pretioſum Chriſti meritum fide eſt apprehendendum. Hoc deinceps in Chriſto renovamur, caroque crucifigitur, ita ut jam amplius non ſe diligat homo, ſed *odio proſequatur*, Luc. XIV, 26. hoc eſt, ſibi ipſi diſplicere incipiat. Non jam ſemetipſum honoret aut ſuſpiciat, ſed *abneget*, h. e. nihili ſeipſum faciat. Non denique jam ſua commoda & gloriam propriam quærat, ſed omnia quæ habet *renunciando*, in nulla re terrena voluptatem & fiduciam collocet, & identidem cum ſanguine & carne hoſtibus inteſtinis dimicans, verum ſe exhibeat Chriſti diſcipulum. Hæc quiſquis inſuper habet, hic Chriſti diſcipulus eſſe *Sui abnegatio neceſſaria.*

LIB. I. CAP. XIII.

esse non potest. Cum per hunc in seria veraque pœnitentia corrupta ac perversa animi humani indoles debeat immutari.

Per Christi incarnationem natura nostra renovatur.

8. Hoc enim cum excedat hominis vires, quippe qui ex se naturaque sua nil potest nisi se ipsum amare, suspicere, in seipso gloriari, suumque commodum nusquam non quærere; vel ut verbo dicam, naturalis propensionis ductu nihil quam *peccare*; idcirco oportebat Deum hujus reparationis initium, medium finemque facere; *h. e.* Filium Dei humanam formam assumere, ut hoc mediante humana natura renovaretur; & nos per illum, in illo, & ex illo regenerati, nova creatura fieremus. Sicut enim in *Adamo* corporaliter & spiritualiter mortui fuimus; ita in *Christo* spiritualiter sumus vivificandi. Sicut per *carnalem* nativitatem peccatum *Adami* velut quadam hæreditate in nos fuit derivatum; ita in *Christo* per nativitatem *spiritualem* & fidem justitia est consequenda. Denique sicut per traducem ex *Adamo* peccatum, philautiam, arrogantiam & ambitionem hausimus; ita ex *Christo* per fidem & Spiritum sanctum natura nostra renovanda est, purganda & sanctificanda, ut omnis in illa philautia, arrogantia, & ambitio intermoriatur, nosque novum cor & spiritum ex *Christo* consequamur, sicut ab *Adamo* carnem peccatis pollutam habemus.

Opera Christianorum debent procedere ex nova nativitate.

9. Atque ob hanc novam nativitatem vocatur Christus *Pater æternus sive futuri seculi*, Isa. IX, 6. Unde vero sequitur, omnia Christianorum opera & dona, quæ Deo accepta sint futura, ex nova nativitate, *h. e.* ex fide, Christo, & Spiritu sancto procedere debere; cum alias dona quæque excellentissima ipsaque adeo miracula pro nihilo coram Deo reputentur. Erga proximum vero omnia ex Charitate fluant

ant; (1 *Cor.* XIV, 1. *cap.* XVI, 14) & ſine commodi aut honoris proprii quæſtu fiant. In quam rem ſummus Deus filium ſuum pro Exemplo nobis exhibuit. In hoc nulla unquam philautia, nulla arrogantia, nullum denique proprii commodi, laudis vel gloriæ ſtudium fuit; ſed nil niſi ſincera ſinceraque charitas & humilitas ex intimo cordis penetrali procedens. Neque vero ut ceteri ſancti quorum exempla ab extra ſaltem ſpectamus, ad imitandum nobis eſt propoſitus; ſed exhibitus nobis eſt in *VIVUM* exemplum, *h. e.* ut fide in nobis vivat & ſpiret. Quod ſi fiat, tum vero omnia noſtra opera, verba, ipſaque adeo cognitio ex Chriſto ceu vivo fundamento & ſcaturigine procedunt. Sin deficiat, tum ſane omnia opera & dona noſtra ſi vel angelica forent, nihil ſunt. Ubi enim philautia eſt, ibi odium Dei eſt: Ubi arrogantia, ibi Dei contemptus. Qua ergo ratione fieri poteſt, ut opera inde promanantia Deo ſint accepta?

10. Hoc ergo agite! Summum Deum ex intimis ſenſibus orate, ut fidem & charitatem ſinceram vobis largiatur, nullo honoris, commodi vel propriæ gloriæ aucupio contaminatam, ſed ex puro corde procedentem. Qua obtenta non tantum illuſtria quæque dona & opera, ſed minima inſuper, quale eſt *poculum frigidæ*, (*Matth.* X, 42) Deo chariſſima gratiſſimaque ſunt futura. Opus enim quod vel admodum exiguum apparet, ſi a ſincera charitate humilitateque proficiſcatur, melius eſt & præſtantius maximis quibuſque, quorum origo ſuperbia eſt & vanæ gloriæ cupido.

LIB. I. CAP. XXXI.

Chriſtus vitæ noſtræ exemplum.

Charitas minima opera nobilitat.

CAP.

CAPUT XXXII.

Non magna Dona, sed *FIDEM*, quæ per Charitatem operatur, demonstrare hominem Christianum & Deo acceptum.

1 Cor. IV, 20. *Non in sermone est Regnum Dei, sed in virtute.*

BEATUS Paulus Christianum hominem descripturus, brevibus rem conficiens ait 1 *Tim.* I, 5: *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Quasi dicat: ut Christianus & Deo acceptus homo aliquis fiat, non requiruntur ardua quæque & sublimia, non polymathia, non eruditio, non dona, non prophetia, non eloquentia, non linguarum cognitio, non denique miracula; sed ut fidem habeat, in charitate omnia faciat, Deo resignatus, devotus & addictus sit, nec Spiritus sancti motibus & regimini obluctetur.

Deus non exigit a nobis magnam scientiam.

2. Quocirca non attendendum, quot quis linguas calleat, quamque sit disertus; sed quomodo fidem suam per charitatem exhibeat & carnis mortificationem. *Qui enim sunt Christi, mortificant carnem suam cum concupiscentiis,* (Gal. V, 24.) hoc est, arrogantia, philautia, gloriæ cupiditate, quæstu proprio omnique carnis sensu. Unde Paulus *negat regnum Dei consistere in verbis* sive donis & artibus, *sed in virtute* sive vivo virtutum exercitio, fidei puta, charitatis, mansuetudinis, & humilitatis.

Quid sit crucifigere carnem.

3.

3. Nemo ergo, nemo apud Deum idcirco in majore gratia est, quia magnis fortasse donis est præditus, sed quia in Christo reperitur per fidem, in illoque *vivit ceu nova creatura*, 2 Cor. V, 17. Quod si quis etiam tanta talisque dona sit consecutus, qualia & quanta alius nemo habeat, quotidianam autem negligat pœnitentiam, adeoque in Christo non renovetur, mundum & propria dona non abneget, seipsum non despiciat nec odio prosequatur, denique a pura putaque gratia Dei haud aliter quam ab uberibus matris infans, pendeat, eum cum omnibus suis donis & artibus damnatum iri, res est manifesta.

Coram Deo nihil valet nisi nova creatura.

4. Neque enim eo dona nobis a Deo dantur, ut per illa coram Deo magni aut beati fiamus, sed ut Ecclesiæ ædificationi illis inserviamus. Itaque cum *Luc.* X, 20. septuaginta discipuli cum gaudio reversi dicerent: *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*, Christus respondit: *In hoc nolite gaudere*, (neque enim miracula vel dona vos salvabunt,) *gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis*, hoc est, quia creditis & me cognoscitis. Fide *Moyses* salvatus est, non miraculis quæ fecit: Nec *Aaronem* eloquentia sua Deo reddidit chariorem. Ita *Miriam* soror *Moysis* dono prophetiæ fuit prædita & digna habita per quam Spiritus Domini loqueretur, nihilominus tamen lepra fuit percussa. Ipsi denique Apostoli non miraculorum aut linguarum causa, sed propter *Fidem* cœli cives sunt effecti. Maneat proinde, maneat maximis pariter ac minimis fidei viam esse ingrediendam, humilitatis itidem, pœnitentiæ, crucifixionis & mortificationis carnis, ut nova hinc tandem emergat Creatura, in Christo, mediante fide & charitate vivens, & vicissim

Dona quo fine a Deo dentur.

Christus

LIB. I. CAP. XXXII.

Christus in illa. Hoc cui non libuerit, illum pro suo non agnoscet Christus.

Charitas quid sit.

5. Christiana hæc *Charitas* est illa nova vita hominis novi, immo vita Christi in fidelibus, quæ realem & efficacem Spiritus sancti inhabitationem individuam habet comitem, & per quam Paulus optat nos *implera in omnem plenitudinem Dei* Eph. III, 19. Cui simile est illud Joannis, *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet*, 1 Jo. IV, 16. Unde sequitur, quod qui charitatem in corde suo sentit, Deum ipsum sentiat. Cujus vero ut certum aliquod specimen ac velut Lydius lapis extaret, quo a fucato amore discernatur, idcirco Paulus *Charitatem* ut arborem quandam delineavit ramos suos longe lateque pandentem. *Charitas*, inquit 1 *Cor.* XIII, *patiens* est, &c. Quæ hominis novi ideam ac proprietates luculenter exhibent. Et ut multa dicam compendio: Deus Pater charitas est, Deus Filius charitas est, Deus Spiritus sanctus charitas est. Totum mysticum corpus, quod est Christus sive Ecclesia Christiana vinculo charitatis colligatur. *Unus Deus, unus Christus, unus Spiritus, unum Baptisma, una fides est*, Eph. IV, 5. Ipsa denique vita beata & sempiterna nil nisi mera charitas erit.

In charitate omnia: Deus & Angeli, Homo & Ecclesia.

Charitatis expers est mortuus.

6. Quapropter qui in charitate non vivit, hunc palam est *mortuum* membrum esse in corpore Christi. Sicut enim mortuum membrum calore vitali non perfunditur & irrigatur, proindeque vita penitus est vacuum: Ita qui in charitate non vivit, hic spiritualem Christi vitam non habet, sed cum fide destituatur, mortuus est Deo & Christo; estque palmes arefactus, a vite quæ est Christus, amputandus, Jo. XV, 6. Expers denique Dei, Christi, Spiritus Sancti, Ecclesiæ Christianæ, vitæque

vitæque æternæ, nec ullam unquam cum Deo communionem habiturus, quippe qui ipſa eſt *CHARITAS*. LIB. I. CAP. XXXIII.

CAPUT XXXIII.

Deum nullo reſpectu operum & perſonæ, ſed ex cordis diſpoſitione opera æſtimare & judicare.

Prov. XXI, 2. *Omnis via viri recta ſibi videtur: appendit autem corda Dominus.*

CUM Propheta *Samuel* Dei juſſu David in regem uncturus, patris illius domum intraſſet, velletque primogenitum ungere, dicebat Dominus: *Ne reſpicias vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ ejus: Quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor*; 1 Sam. XVI, 7. *Deus omnia ex corde æſtimat.*

2. Hoc exemplo Deus nos docet, nullam ſe perſonæ quantumvis magnæ & illuſtris rationem habere, ſi cor bonitate, amore, fide & humilitate deſtituatur. Non autem perſonam tantum ſed & opera ipſa ex interno ſpiritu ſenſuque animi æſtimat Deus *perpenditque*, Salomone dicente *cap.* XXI, 2. *Prov.* Ad hæc omnia hominis dona utcunque magna, illuſtria, laudabilia ſplendidaque mundi judicio ſint, niſi ex corde puro prodeant, niſi ſolum honorem Dei & utilitatem proximi ſpectent, niſi denique ab omni ſuperbia, arrogantia, philautia, propriæ laudis & gloriæ cupidine ſint purificata, Deo placere nullo modo poſſunt. Quiſquis proinde es O homo, etiam etiamque memineris, etſi in te uno plura Deus dona congerat, quam in ul- *Arrogantia omnia dona corrumpit.*

LIB. I. CAP. XXXIII.

lo alio, utaris autem illis non ad Dei gloriam & proximi ædificationem, ſed ad propriam ſaltem laudem, gloriam, honorem & lucrum captandum, tunc omnia tua dona ſumme eſſe abominabilia coram Deo & graviſſimis annumerari peccatis. Quippe quæ eum in finem conferuntur, ut gloriæ Dei & proximi ædificationi unice inſerviant. Intuemini *Luciferum*, quo pulchiorem & auguſtiorem Angelum non habebat cœlum. Cum autem donis ſuis honori proprio & philautiæ velificaretur, nec jam pure & ſolius Dei amorem & gloriam ſpectaret, actutum in Diabolum tranſiit, & a Deo abjectus fuit.

Lucifer exemplum ſuperbiæ.

Quæ ſint Deo grata.

3. Itaque quæ Deus grata acceptaque ſit habiturus, ex ſola *fide* puriſſimoque Dei hominumque amore proficiſcantur, omnis philautiæ, arrogantiæ & quæſtus proprii, quantum per Dei gratiam in hac infirmitate fieri poteſt, expertia. Quocirca ſcribit Paulus 1 *Cor.* XIII, 1: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*; h. e. inutile prorſus inſtrumentum & inane. Non attendit Deus facundiam oris, ſed humilitatem cordis. Non curat artes Deus, non polymathiam hominumque argutias, ſed ſpiritum hominis perpendit: an ſcilicet amori proprio vanæque gloriæ, an vero Dei honori ac proximi utilitati ſit intentus? Neque etiam reſpicit fidem *miraculoſam* quæ montes transferat homineſque rapiat in admirationem; ſed *pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones ſuos*; ut legitur Ieſa. LXVI, 2. Non denique ſi quis famæ & nominis cupidus, *diſtribuat in cibos pauperum omnes facultates ſuas, & tradat corpus ſuum ut comburatur*; ſed COR cauſamque iſtorum omnium quæ

Fides miraculoſa & ſalvifica differunt.

quæ intus agit aſpicit Deus. Hoc vero exemplorum aliquot inductione clarius pateſcet. *Cain* & *Abel* uterque victimas Deo offerebant. Hujus ſacrificium inter grata fuit habitum, illius vero rejectum, & quidem propter animorum diſparitatem, *Geneſ.* IV, 3. *David* & *Saul* ambo Deo faciebant ſacrificium, ſed eventu diſſimili ob eandem animorum diſſonantiam, 1 *Sam.* XIII, 10. 2 *Sam.* XXIV, 25. *Sacrificia diſſimilia.*

4. *David*, *Manaſſe*, *Nebuchadnezar* & *Petrus* per pœnitentiam gratiam impetrarunt; quam contra *Saul*, *Pharao* & *Judas* non obtinebant. Et quare? Propter eandem animorum varietatem. *Pharao* & *Saul* itemque *Manaſſe* eadem oratione ſunt uſi: *Domine peccavi!* Annon vero diſſimilem tamen mercedem retulerunt, *Exod.* IX, 27. 1 *Sam.* XV, 24. Orat. *Manaſſ.* v. 11? *Pœnitentia.*

Judith & *Eſther*, itemque *filiæ Iſraelis* (*Jeſ.* III, 16.) ſe ornant & comunt; & quidem illæ cum laude & elogio, hæ vero cum vituperio & reprehenſione, *Judith* X, 3. *Eſth.* V, 1. *Externæ*

Hiskiæ, *Joſuæ* & *Gideonis* oratio qua ſigna de cœlo petunt, ut divinitus accepta laudatur: *Phariſæi* contra idem facientes a Domino objurgantur; 2 *Reg.* XX, 10. *Joſ.* X, 12. *Judic.* VI, 37. *Matth.* XII, 38. *Oratio.*

Publicanus & *Phariſæus* uterque preces in templo fundunt, ſed diſpari cum exitu, *Luc.* XVIII, 10. *Ninivitæ* (Jon. III, 6) itemque *Judæi* & *Phariſæi* æque jejunant, verum illos exaudit Deus, hos nequaquam, *Matth.* VI, 16, qui proinde *Jeſ.* LVIII, 3. clamant: *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti?* *Jejunium.*

5. Vidua quæ intulerat gazophylacio duo æra minuta a Chriſto laudatur, nequaquam vero qui plura erogaverant; *Luc.* XXI, 2. ſeqq. *Eleemoſyna.*

Herodes & *Zachæus* conſpectu Chriſti gaudent, *Gaudium.*

LIB. I. CAP. XXXIV.

sed diversissimam mercedem reportant; *Luc.* XXIII, 8. *cap.* XIX, 6.

Sancti *Martyres* pro Christo ultro mortem oppetierunt; *Achab* vero & *Manasse* proprios liberos jugulantes, obtulerunt. Et illorum quidem hostiam Deus acceptavit, horum contra fuit execratus; 2 *Reg.* XVI, 3. *cap.* XXI, 6.

6. Quæ certe varietas aliunde non est, quam a *CORDE*, quod solum Deus spectat; probe examinans, an *ex fide non ficta, ex charitate sincera*, & humilitate ingenua proficiscantur opera? Si enim opera tua arrogantiæ labe ac philautiæ & lucri contagio sint infecta, abjicit ea & detestatur Deus; si vel dona fuerint maxime splendida & coruſca.

CAPUT XXXIV.

Hominem nihil penitus ad salutem suam conferre, Deum autem omnia operari; modo ipsius gratiam, ut æger medicamenta, admittat homo. Ad hæc sine Pœnitentia meritum Christi non imputari.

1 Cor. I, 30. *Christus est nobis factus sapientia a Deo & justitia & sanctificatio & redemptio.*

Omnia a Christo nobis sunt acquisita.

AUREA hac sententia docet Paulus omnia ad salutem nostram necessaria, a Christo esse acquisita. Cum enim viam vitæ prorsus ignoraremus, ipse nobis factus est *Sapientia*; cum peccatores essemus, *justitia*; cum

cum Deo abominabiles, nostra *Sanctificatio*; cum denique damnati, nostra *Redemptio*.

LIB. I. CAP. XXXIV.

2. Unde sequitur hominem ad salutis suæ exordium, medium & finem cum omnibus suis operum meritis, viribus & libero arbitrio nec atomum quidem posse conferre. Peccare certe ex se potuit homo, nequaquam vero se iterum justificare; perdere se potuit, recuperare non potuit; occidere, non resuscitare; Diabolo se subdere, non pariter ab eodem se liberare potuit. Sicut enim exanime cadaver semet vivificare non potest; ita nec homo qui *in peccatis*, ut ait Apostolus, erat *mortuus*, sibimet consulere potuit, *Eph.* II, 5. Similiter ut ad *creationem* nostram nec hilum conferre potuimus; ita neque ad *regenerationem, redemptionem* & *sanctificationem*; utpote quæ ipsa creatione multo majora sunt & augustiora. Si se ipsum justificare posset homo, majus præstaret opus, quam si se ipse crearet. Quocirca necesse fuit, Filium Dei humanam naturam assumere, ut scilicet *omnia ea quæ in Adamo sunt perdita, recuperaret*, & in ipso mortua resuscitaret.

Hominis impotentia.

Causa incarnationis filii Dei.

3. Simili hoc Salvator illustrat (*Luc.* X, 30) de viatore in latrones incidente & eoque vulnerato, ut sibimet ipse opem ferre nullo modo potuerit. Huic ergo misericors *Samaritanus* medica applicata manu vulnera fovet & colligat, indeque in equum sublatum in hospitium deducit, nihil quicquam eorum prætermittens, quæ fidelis & industrius medicus ægro præstare potest. Sicut autem languidus viator vicissim medico suo morigerum se præbebat, illius arbitrio & nutui se accommodans; ita & nobis faciundum meminerimus, si sanari cupiamus & salvi esse. Faciamus plenam nostri potestatem Christo medico nostro, illi nos

Christus noster medicus.

nos totos reſignemus, ejus fidei nos credamus, illum vulnera noſtra mundare & colligare, tum vinum oleumque ipſis inſtillare *permittamus*, certi, illum infirmitates noſtras ſanaturum.

4. Simulac itaque pœnitentiam agit peccator, & per cœleſtem gratiam ad Deum ſe convertit, peccaviſſe ex intimis animi ſenſibus dolens, nec auſtero contritionis vino & conſolationis oleo vulnera ſibi elui & foveri repugnans; tum vero è veſtigio Chriſtus per ſuam gratiam in illo operatur fidem, fideique fructus, puta juſtitiam, vitam, pacem, gaudium, conſolationem & beatitudinem, renovando illum ad ſuam imaginem, & *operando in illo velle & perficere pro ſua bona voluntate*; Phil. II, 13. Major autem eſt peccati potentia, quam ut propriis viribus eam poſſit linquere homo. Scriptura enim *Joh.* VIII, 34. hominem animalem dicit *ſervum peccati*, & *Rom.* VII, 14. *venundatum ſub peccato* pronunciat, & nil niſi peccare poſſe, juxta illud *Jerem.* XIII, 23. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus maculas ſuas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Idcirco apparuit *Gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus* per Evangelium, *erudiens nos*, (ut ſunt verba Pauli ad Titum II, 11) *ut abnegantes impietatem & ſeculania deſideria, ſobrie, juſte & pie vivamus in hoc ſeculo.* Hoc eſt, per verbum Dei gratia hæc nos viſitat noſque *erudit*, i. e. monet, docet, allicit, exhortatur, permovet & inſtigat, ut a peccatis tandem deſiſtat homo. Et hæc *divinæ gratiæ eruditio* ſive commonefactio per verbum, conſentit cum interno conſcientiæ teſtimonio: Unde homo *introrſum* & *extrorſum* convincitur male ſe agere, peccatiſque adeo renunciandum eſſe, ſi ſalvari velit,

Homo naturaliter nihil boni valet aut vult.

Gratia Dei omnia in nobis facit.

cum

cum hæc Deum pariter & conſcientiam læ- LIB. I. CAP. XXIV.
dant.

5. Quod ſi porro illi admonitioni aures animumque præbeat homo, vitiiſque bellum indicat, tum vero Gratia Dei omnia in homine operatur; puta fidem, charitatem & fidei fructus univerſos. Et hic in medio tenebrarum divina lux exſplendeſcit. Sicut autem tenebræ ſeipſas illuminare non poſſunt, & ſole non lucente fruſtra oculos aperimus; ita neque in ſpiritualibus homo ſibi ipſi poteſt prælucere; juxta illud *Pſ.* XVIII, 29: *Domine tu illuminas lucernam meam & tenebras meas.* Eſt itaque divina Gratia ſeu ipſe Chriſtus, lux illa clariſſima, quæ *orta eſt omnibus hominibus ſedentibus in tenebris & in umbra mortis*, Luc. I, 79. *Et quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Jo. I, 9. puta ſe omnibus patefaciendo, illuceſcendo & gratiam ſuam omnibus offerendo. Ipſe, inquam, eſt *lux totius mundi*, viam ad vitam omnibus monſtrans, nemini non prælucens, & ſicut paſtor bonus, gregem ſuum in viam rectam deducens; *Jo.* X, 4. Ipſe nos ceu perditas oves quæſivit, & quotidie etiamnum quærit & allicit *Luc.* XV, 4. Quin immo inſequitur nos, ambit & ſollicitat ut ſponſus amatam ſuam; cujus amori utinam repulſam non daremus, nec vitiorum tenebras divini amoris luci præferremus!

Homo merę tenebræ, Chriſtus mera lux.

Quomodo lux vera omnes illuminet?

Chriſtus ſponſus ambit animas noſtras.

6. Quemadmodum autem medicus ægrum accedens, dicit: *Cave hæc facias, ſi mori non vis; nam vires & efficaciam medicinarum impedis, quo minus ſanitati reſtituaris*; ita Chriſtus Jeſus verus animarum noſtrarum medicus inquit: *Mi fili, induc quæſo animum pœnitentiam agere, & a peccatis tuis, ſuperbia, avaritia, concupiſcentia carnis, ira, vindicta, &c. deſiſtere*; ſi

Impœnitentia impedit meriti Chriſti efficaciam.

LIB. I. CAP. XXXIV.

aut certo certius morieris, nec panacea meriti mei quicquam tibi proderit, cum illam impedias, quo minus in te vires ſuas virtutemque ſanativam exſerere poſſit.

Cur pœnitentia ante omnia prædicanda?

7. Atque ob hanc ipſam cauſſam Apoſtolis ſuis præcepit Chriſtus *pœnitentiam* ante omnia prædicare, *Luc.* XXIV, 47. Et ipſe peccatores ad pœnitentiam vocavit *Matth.* IX, 13; quia impœnitens cor meritorum Chriſti haud quaquam particeps eſſe poteſt.

Hanc ergo de pœnitentia concionem cum audiverimus, puta a peccatis abſiſtendum, aut æternum pereundum, ſane abeſſe non poteſt, quin in ſe ipſum deſcendat homo, & paulo altius vitam ſuam conſideret, convictus & verbo & conſcientia de pœnitentiæ neceſſitate. Eſt enim vero verius, Deum omnibus peccatorum remiſſionem gratis promiſiſſe; ſed hac lege & conditione, ſi ad Deum ſe converterint; juxta illud *Ezech.* XVIII, 21. XXXIII, 14, 15: *Si impius egerit pœnitentiam a peccato ſuo, vita vivet & non morietur. Omnia peccata, quæ fecit, non imputabuntur ei.* Ubi ſane *pœnitentia* & *peccatorum remiſſio* conjunguntur.

Vera fides.

8. Nec alio ſenſu Filius Dei *vitam æternam promittit his, qui credunt in illum* Jo. III, 16. nam *Fides* veteri homini quotidie ſe opponit, domat carnem, illamque ſubjicit ſpiritui, *h. e.* convertit hominem, reprimit & extinguit peccati impetum, ipſumque cor, omnis mali fontem, mundat expurgatque. Scilicet hæc vera fides eſt! Illa inquam, quæ ſe *avertit a mundo*, a peccato & a Diabolo *ad Chriſtum*, & adverſus horrendum peccatorum debitum, cui homo ſolvendo non eſt, ſolatium animæque quietem in ſolo Chriſti ſanguine, morte ac merito citra cujuſcunque

hominis

hominis opera unice uniceque quærit. Qui vero vane animum inducit credere, condonari ſibi a Deo peccata, quamvis a peccatis non deſiſtat, hic certe falſam fidem habet, nunquam vitam æternam, niſi prius ſincera pœnitentia acta, conſecuturam.

9. Intuemini quæſo exemplum publicani *Zachæi* Luc. XIX, 8. qui doctrinam de *Fide* & *Converſione* ſano ſenſu intelligebat; eam veram fidem tantum agnoſcens, per quam a peccatis ad Deum homo converteretur; adeoque eum qui a Chriſto remiſſionem peccatorum ſperet, illiuſque merito frui velit, a peccatis deſiſtere, & firma fiducia gratiæ divinæ in Chriſto, adhærere oportere. Et hic verus & ſanus ſenſus eſt verborum Chriſti *Marc.* I, 15: *Agite pœnitentiam & credite Evangelio*; hoc eſt, *abſiſtite a peccatis, acquieſcite in meo merito, & remiſſionem peccatorum a me tantum exſpectate.* Quocirca ad Chriſtum accedens *Zachæus*, veram pœnitentiæ indolem ita exprimit: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & ſi quid aliquem fraudavi, reddo quadruplum.* Quibus verbis non opera ſua commendat; ſed gratiam extollit, qua de vera ratione pœnitentiam agendi edoctus erat. Itaque hunc ſenſum habet illius oratio: *O Domine, adeo male me habet, quod proximum circumveni, ut quadrupulam illi reſtituam, & mediam partem mearum facultatum in pauperes erogem. Et cum peccata mea jam agnoſcam, ab illis deſiſtere firmiter cum animo meo habeam conſtitutum & in te credam, oro te, ut me gratia tua veniaque digneris.* Quem converſionis legitimum ordinem medicus cœleſtis acceptans, reſpondit: *Hodie ſalus huic domui facta eſt. Venit enim filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat.*

Agnitio peccatorum in fide impetrat gratiam.

10.

LIB. I. CAP. XXXIV.

10. Atque hæc vera pœnitentia & conversio eſt per fidem, quam Deus operatur. Deus itaque ſalutis noſtræ initium, medium & finis eſt, omnia in nobis operaturus, ſi divinæ ejus voluntati reſignati, Spiritui ſancto non obſtinate reſiſtamus, more contumacium Judæorum, de quibus *Act.* VII, 51. XIII, 46. legimus, quos proinde Paulus ſic compellat: *Vobis oportebat primum exponi verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æterna vita; ecce convertimur ad gentes.* Noſtrum ergo eſt, ægrorum inſtar medici conſiliis & præceptis morem gerere. Sicut autem ille initio morbum, quo conflictatur æger, ſignificat; ita Deus nobis peccata noſtra patefacit: Sicut ille quæ fugienda ſint ægro, ut medicina vires ſuas poſſit exerere, amice monet; ita Deus quæ declinanda nobis ſint & evitanda, indicat, ne medicina pretioſiſſimi ſanguinis ſui in vanum & ſine fructu adhibeatur.

Proceſſus ſanationis ſpiritualis.

Homo ex ſe nihil boni cogitare aut facere poteſt.

11. Porro ſtatim atque homo per Spiritus ſancti gratiam a peccatis deſiſtit, hinc vero gratia divina nova etiam in illo operatur dona, qui prius & citra hunc procedendi modum non ſufficiens erat, aliquid boni ex ſe cogitare, nedum facere. Exinde vero bonum, quod in nobis fit, non noſtrum eſt, ſed gratiæ divinæ in totum acceptum ferendum, (juxta illud Pauli 1 *Cor.* XV, 10: *Gratia Dei ſum id quod ſum: conf.* Rom. XIII, 3.) nobis autem ex gratia cum toto merito & obedientia Chriſti ut proprium *imputatur*; ea tamen conditione, ut pœnitentiam agamus.

Imputatio ad quos pertineat?

12. Neque enim, ne erremus, ad impios verbique Dei contemtores *Imputatio* ullo modo pertinet; nec Chriſtus niſi in ſolis pœnitentibus operatur. Sicut autem pædagogus,

ſi

ſi puero litteras pingere diſcenti manum ducat, & re bene geſta pueri ſcripturam laudet; ita Deus, quæ in nobis operatur ipſe, coronat etiam & commendat. *Sine me*, inquit Chriſtus, *nihil poteſtis facere*, Jo. XV, 5. utique quod bonum eſt; nam malum ſine illo naturali propenſione ultro facimus, & hoc ſolum nobis proprium eſt: bonum autem ſi quod facimus, unice ex Deo promanat, ne habeat *caro quicquam unde glorietur*: Jeſ. X, 15. Rom. III, 24. Eph. II, 9. LIB I. CAP. XXXIV.

13. Beatos ergo vos, O mortales! Si peccatis ſerio renunciando, voluntatem veſtram Deo offeratis, eadem ſinceritate qui ingenua puella aliqua ambienti ſponſo dat fidem. Et Chriſtus quidem animarum noſtrarum ſponſus, ut velimus & conſentiamus, ipſe in nobis operari allaborat, compellando nos adeo blande cum in verbo, tum in conſcientiis noſtris; quærendo inquam nos, alliciendo, ſollicitando & ambiendo nos nihil tale cogitantes. Quæ autem unice eo tendunt, ut ſerio peccata linquamus, ne pretioſus Chriſti ſanguis in caſſum pro nobis ſit fuſus. *Chriſtus operatur in nobis voluntatem.*

CAP.

CAPUT XXXV.

Sine Vita ſancta & Chriſtiana vanam eſſe omnem ſapientiam, omnes artes & ſcientias, ipſamque adeo totius Scripturæ cognitionem & Theologiam.

Matth. VII, 21: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt.*

CHARITAS quam Paulus 1 *Cor.* XIII, deſcribit, omnia chriſtiani hominis officia exprimit. Omnia enim quæ ad vitam vere chriſtianam pertinent, AMORE comprehenduntur; Chriſti etiam ipſius vita quanta quanta eſt, nihil quam ſincera pura & omni fuco vacua Charitas fuit.

Sinceræ charitatis proprietas.

2. Eſt autem veræ charitatis proprium, Deum ſolum in omnibus ſpectare, nec minimam proprii commodi, mercedis, opinionis, quæſtus, honoris gloriæque rationem habere, ſed omnia libere ſine ullo mercenario reſpectu facere, ea ſaltem cauſſa, quod Deus ſummum & omnium præſtantiſſimum Bonum eſt.

Hypocrita quis ſit?

3. Hanc charitatem quiſquis non habet, hic vero hypocrita eſt. Et cum in omnibus ſuis operibus tantum ſeipſum, non autem ſolum Deum reſpiciat, patet, *falſum* amorem eſſe quem jactat. Itaque ſi vel totam ſacram Scripturam ad unguem calleat talis, & linguis Angelorum loquatur, nihil tamen ipſi proderunt hæc omnia, ſed erit *quaſi æs ſonans aut cymbalum tinniens.* Etenim ſicut alimenta quæcunque corpori nihil proſunt, niſi in ſuccum

Sine charitate nihil proſunt omnia.

&

& ſanguinem convertantur; ita verbum Dei & ſacramenta nullam utilitatem afferunt, niſi ſanctam progignant vitam, vel hominem novum, converſum, ſanctum & charitati deditum producant.

Fidei & ſacramentorum verus fructus.

4. Idcirco Paulus ait 1 *Cor.* XIII, 2: *Si habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Hoc eſt: Si proprio honori donis hiſce inſervirem, nec pure Dei honorem proximique ædificationem reſpicerem; tum vero dona omnia ut tot abominationes rejiceret Deus.

Cur dona Deus non reſpiciat.

5. Unde dicent olim falſi prophetæ *Matth.* VII, 22: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus; & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebitur illis, nunquam novi vos, diſcedite a me, qui operamini iniquitatem,* & non ſincere me, ſed voſmet ipſos ſpectaviſtis.

6. Hac mente etiam Paulus pronunciat: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Sed eheu bone Paule! Numquis in pauperes bona ſua erogare poterit, ipſe charitatis expers? Ita omnino omnes illi faciunt, qui non *pure* propter Deum, ſed vanæ gloriæ & commodi proprii aucupium charitatis actus exercent. Hujus naturæ Phariſæorum charitas erat, qui varia inſtituebant ſacrificia, alioſque inducebant, ut facultatibus ſuis templa dotarent & ſumptus in victimas impenderent. Quæ ambitionis mancipia, obliviſcebantur interim pauperum, quorum rationem ex ſola miſericordia habere debuiſſent. Quam præpoſteram charitatem illis opprobrabat Chriſtus *Matth.* XXIII, 14: *Væ vobis*

Eleemoſynæ ambitioſorum damnatæ.

ſcribæ

ſcribæ & phariſæi hypocritæ; quia comeditis domus viduarum, orantes longas orationes, vel interceſſionis pollicitationes prætexentes. In qua perverſa religione imitatores habent haud paucos nunc homines, qui omnes ſuas facultates templis & monaſteriis legant, ut viciſſim monachi & clerici pro ipſis longas orationes & ſacrificia perſolvant. Qui profecto falſus amor eſt, ſeipſum quærens, & ſi accuratius expendas, non divino honori, ſed proprio inſerviens.

7. Tu vero cum ſcias, *juſtum ex fide vivere* Hab. II, 4. pœnitentiam potius agas, & mortificando crucifigendoque carnem tuam, te ipſum in *Sacrificium* Deo offeras, ac charitatis quæ facis opera, non ex amore proprio, aut honoris commodive cujuſcunque cauſſa peragas; ſed ex ſolo ſinceroque ac puro amore Dei præſtare annitaris; certus, ſi aliter feceris, nec hilum omnia illa tibi profutura. Itaque etſi corpus tuum comburendum tradideris, deſtituaris autem pura illa ac illibata charitate, quæ ſoli Deo & illius honori inſervit, nihil ages. Quid enim proficiunt, qui corpus ſuum flagellant & urunt, *humiliando & affligendo animam ſuam*, ut loquitur Ieſaias *cap.* LVIII, 3? Quid aliud quam ſe ipſos quærunt, *Zach.* VII, 5, 6? Nimirum opinionem ſingularis ſanctitatis honoremque proprium eo ipſo aucupantes, & voluntario hoc vel ex propria voluntate profecto cultu non Deum reſpicientes, ſed auram & exiſtimationem popularem captantes. Unde nonnulli tam cœco mentis impetu abripiuntur, ut ſponte comburendos ſe tradant, Chriſti martyrio ſeipſos macantes; cum tamen toto hoc conatu non Chriſtum, ſed ſemetipſos quærant, proprioſque errores alte animo infixos

fixos eo ipſo firmare ſatagant. Hinc eſt quod Paulus *de efficacia erroris*, 2 Theſſ. II, 9, 11, loquatur. Tales certe expendere deberent, quod non *pœna* martyrem faciat, ſed *cauſſa*.

8. Hujuſmodi martyres Diabolus etiam inter *ethnicos* habuit, quorum nonnullos eouſque infatuavit, ut pro aris & idolis ſuis mortem ultro oppetierint, cultum inde diabolicum ſtabilientes. Quid mirum, ſub ſpecie fidei chriſtianæ idem hodieque fieri? Multa fecerunt ethnici, vitam etiam fundentes, ut nomen ſuum immortalitati conſecrarent; ſed anne & noſtra ætate monachos alioſque idem amor proprius & famæ cupiditas ſeduxit, ut catholicæ, quam appellant, Religionis propagandæ cauſſa Reges principeſque trucidare non ſint veriti, utcumque certi, ſimiliter eſſe ſibi ipſis moriendum? Quorum inſania eo manifeſtior eſt, quod ſe Chriſti cauſſam agere, illiuſque martyres ſe fieri crediderint; cum contra Romani pontificis, privatique honoris & nominis martyres ſint effecti. Atque hæc de Charitate fucata & a falſo lumine faſcinata & dementata.

9. Maneat ergo, abſque ſincera Dei & proximi charitate, vitaque ſancta & chriſtiana, nihil prodeſſe omnes artes, ſcientias, ſtudia; nihil ſapientiam, ſi vel Salomonis, exuperet ſapientiam; nihil totius Scripturæ cognitionem & Theologiam univerſam; nihil denique opera quæcunque & vitæ ipſius ſanguiniſque profuſionem. Immo voluntatem & verbum Dei ſcire, nec ex ipſius præſcripto vivere, id vero auget reatum æternæ damnationis, juxta illud *Jo.* XV, 22: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.*

CAP.

LIB. I. CAP. XXXVI.

CAPUT XXXVI.

Eum qui in Chriſto non vivit, ſed cor ſuum mundo habet affixum, externam tantum Scripturæ litteram poſſidere; interiorem autem verbi vim & manna abſconditum non guſtare.

Apoc. II, 17: *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.*

Qui ſint apti ad guſtandum cœleſtem dulcedinem.

HAC ſententia docemur, neminem internam dulcedinem gaudii & ſolatii cœleſtis in verbo Dei abſconditi deguſtare, qui non vincat carnem ſuam, mundumque cum omnibus ſuis vanitatibus & concupiſcentiis, & ipſum denique Diabolum. Nimirum qui carnem ſuam quotidie per ſeriam contritionem & pœnitentiam cum omnibus deſideriis & concupiſcentiis crucifigunt, qui mundo & ſibi ipſis aſſidue moriuntur, quibus denique vita univerſa mera crux eſt; iſti, inquam, divinitus cibantur cœleſti & interno manna, potanturque nectare paradiſi. Contra qui nullam aliam voluptatem quam mundanam conſectantur, non poſſunt guſtare manna hoc abſconditum. Similia enim cum non niſi ſimilibus uniantur, contraria autem ſe invicem non recipiant; mirum non eſt, ſi corda mundana verbo Dei quod *ſpirituale* eſt, non afficiantur. Sicut anima nullas vires ex alimento conſequitur, quod ſtomachus non concoxit; ita anima verbi divini ſive mannæ hujus vi-

Contraria ſe non compatiuntur.

res

res non percipit, niſi illud in ſe, hoc eſt, in vitam, convertat.

Quibus non ſapiat verbum Dei.

2. Immo ſicut febri correptis omnia amara videntur; ita qui febri mundana laborant, hoc eſt, amore mundi, avaritia, ſuperbia & libidine, verbum Dei nauſeabundi ut amarum, averſantur. Contra vero qui ſpiritum Dei habent, inveniunt in illo manna abſconditum, nunquam ab illis guſtandum, qui ſpiritu mundi aguntur. Cum contraria ſe invicem non recipiant.

3. Quæ cauſſa eſt, quod multi ex ipſo Evangelio ſi vel quotidie id audiant, nulla fere ſpiritualia deſideria, nullum fere Spiritus gaudium percipiant. Ratio eſt, quia ſpiritu Dei non aguntur, nec cœleſtes animos habent, ſed terreſtres. Qui autem vult plene & ſapide verbum Dei intelligere, ipſius potentiam interno guſtu haurire, & Angelorum cibo veſci, totam ſuam vitam verbo huic ipſique Chriſto conformem reddere ſtudeat. Et hoc facto cibat humiles gratia ſua Dominus, manſuetos conſolatur, & *jugum ſuum ſuaue onuſque leve illis efficit*, Matth. XI, 30. Non enim poteſt ſuavitas mannæ cœleſtis deguſtari niſi ſub jugo Chriſti; juxta illud: *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes*, Luc. I, 53.

4. *Verba, quæ ego locutus ſum*, inquit Chriſtus, *Jo.* VI, 63. *ſpiritus & vita ſunt.* Unde conſequitur, cor *carnale* & carnis deſideriis delinitum, vanitatique immerſum, omnique ſpirituali ſenſu deſtitutum, percipere illa non poſſe. In ſpiritu namque, in quiete, in ſilentio, cum magna humilitate & deſiderio ſancto & ardenti ſuſcipiendum eſt verbum Dei, inque vitam ipſam convertendum. Et hoc niſi fiat, nihil de verbo poſſidet homo, quam

LIB. I. CAP. XXXVI.

externam literam ſonumque evanidum, auribus illabentem. Sicut qui citharæ ſtrepitum audit tantum, nec rem ipſam intelligit, nullam inde percipit voluptatem; ita virtutis in verbo divino reconditæ, conſcius nemo eſt, niſi qui illud in vitam ipſam convertit, vel vita exprimere ſatagit.

5. Atque hoc eſt, quod dicit Joannes loco ſupra citato *Apoc.* II, 17: *Dabo illi calculum candidum, & in calculo novum nomen ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Et hoc eſt teſtimonium ſpiritus abſconditi, quod dat ipſe verbo Dei; & viciſſim *ſpiritus* verbi *dat teſtimonium ſpiritui noſtro*, Rom. VIII, 16. Unde ſuaviter ambo conſpirant ſibique invicem uniti, unus ſpiritus ſunt; quod eſt illud *novum nomen* ignotum niſi accipienti. Sicut enim dulcedinem mellis nemo ſcit, niſi qui illud deguſtat; ita nomen teſtimonii divini in cordibus, nemo novit, niſi expertus. Hic ergo ſolus novit conſolationes & viſitationes divinas, quia eaſdem percipit. Hujus nomen etiam *novum* dicitur, quia opus & fructus eſt novæ nativitatis, quæ e ſupernis deſcendit.

Novum nomen.

6. Beatus homo, cui ſe ad hunc modum guſtandum in corde propinat Deus! Beati prophetæ, quos jam inde ab initio mundi pane ſuo cœleſti per alloquium verbi ſui æterni cibavit Deus! Quod quia ad ipſos factum fuit, idcirco ex *ſenſu* & experientia locuti de illo ſunt, & *Scripturam ſacram* compoſuerunt.

7. Et ſane in hunc uſque diem non ceſſat Dominus cum omnibus hominibus loqui illoſque verbo ſuo interius in anima paſcere. Sed plerique omnes obſurduerunt ad vocem illius, maluntque mundum audire in ſe loquentem, quam Deum ipſum, & a ſuis concupiſcentiis, quam a Spiritu Dei impelli. Hinc vero

Verbum vivum eſt animæ cibus.

vero ſit, ut mannam abſconditam guſtare nequeant, e contrario autem *vetitæ arboris* fructus manducantes & carnis deſideriis indulgentes, *mortem* ſibi conſciſcant, contempta arbore vitæ.

Arbor mortis.

8. Qui ſane homines non mediocriter inſaniunt, dum intelligere nolunt, majorem in Deo voluptatem ac dulcedinem, quam mundo inveniri. Certe qui ſemel Dei bonitatem deguſtavit, ei mundus cum omnibus carnis illecebris ſummopere amareſcit. Jam cum ſciamus, primos noſtros parentes a mundo faſcinatos, vetiti fructus eſu in mortem incidiſſe; adeo tamen cœcutientes inſanimus adhuc, ut in ſempiternam mortem carnalium voluptatum paſtu ultro ruamus, *Rom.* VIII, 13.

Homini ſpirituali mundus eſt amariſſimus.

9. *Si quis ex me manducaverit*, inquit Chriſtus vera arbor & verus vitæ panis, *vivet in æternum*, Joh. VI, 51. Quid eſt autem *ex illo manducare*, niſi in illum *credere*, in illo gaudere & exultare, in illo denique unice acquieſcere, *Sir.* XXIV, 29? Magna eſt ergo, O mortales, mentis cœcitas, mundo pro minutis, vanis & cito in nihilum abituris tanto cum affectu ardoreque ſervire; Deo autem idem præſtare nolle, qui magnis longeque nobilioribus immo æternum duraturis bonis cultum & ſervitium ſui remuneratur! Quis enim Deo diviniſque fidem, obedientiam & ſolicitudinem talem tantamque præſtat, quantam vulgo mammonæ & mundo videmus præſtari? Exigua pecuniæ ſumma pedes mortalibus addit, ut ingentia ſæpe conficiant itinera, perque ſaxa & ignes currant; & cœli cauſſa loco pedem movere nos piget.

Cæcitas carnalis.

10. Hinc ſancti prophetæ exprobrant *Tyro* & *Sidoni*, celebribus & divitiis affluentibus emporiis, maritima vaſtiſſimaque itinera, quæ

LIB. I. CAP. XXXVI.

ut facultates terrenas importarent, ſuſcipiebant; cum interim propter ſummum Bonum loco pedem movere dedignarentur: *Jeſ.* XXIII, 1. *Jer.* XLVII, 4. *Ezech.* XXVII, 13.

Filii mundi.

11. Ac noſtro quidem tempore, omnes ordinum ac ſtatuum quorumcumque homines mundum Deo præponere, res eſt manifeſta. Inde adeo videmus multos doctores dies noctesque incumbere literarum ſtudiis, ut nominis celebritatem acquirant; æternis vix tantum temporis impendentes, quantum orationi dominicæ recitandæ ſatis eſt, ſi vel tantillo æternos honores & dignitates capeſſere liceret. Alios conſpicies nullum in bello laborem ſubterfugere, ut famæ & nobilitatis dignitatem indipiſcantur; cum tamen nec cum unica corruptæ carnis propenſione bellum gerere velint, quo æternæ gloriæ dignitate potiantur. Ita multi multarum gentium vaſtorumque regnorum domini ſunt & victores; ſe ipſos autem vincere non curant. Quot denique ſunt, qui ut caduca & fragilia bona conſequantur, animæ & æternæ ſalutis jacturam facere non dubitant? Atque hi omnes mannam abſconditam verbi divini non guſtarunt, ideoque mundum non vincunt, ſed vincuntur a mundo. Hunc vero quiſquis propter Deum abnegat & contemnit, dulciſſimas Spiritus ſancti viſitationes & conſolationes experietur, quas nemo novit, niſi qui illas percipit.

Vera victoria.

Divina dulcedo guſtatur ſpreta mundana.

12. Hoc ergo agendum eſt: Arbor vitæ in nobis primum plantetur, ſi illius fructibus veſci velimus. Et cor noſtrum, quod cœleſtibus conſolationibus recreari optat, ante a mundo ad Deum convertatur. Verum nos, dum voluptate mundana inebriati ſumus & faſcinati

faſcinati, non credimus, gaudia cœleſtia & Dei potiora eſſe, quam quæ mundus univerſus ſuppeditat. Etſi vero verius ſit, quod quodcunque Deus facit, nobilius ſemper ſit & præſtantius eo, quod faciunt creaturæ. Quocirca doctrina, quæ deorſum venit per divini Spiritus inſpirationem, haud paullo excellentior eſt illa altera, quam intellectus humanus magno labore operoſe congerit. Sicut enim pomum aut lilium a natura productum, longe nobilius eſt & melius eo, quod artifex ex auro, utcunque puriſſimo, conficit; ita unica ſcintilla conſolationis divinæ & quædam guttula multis infinitiſque partibus melior eſt & nobilior toto oceano gaudiorum mundanorum.

Vera conſolatio & ſapientia ex Deo.

Vanitas gaudii mundani.

13. Hæc itaque abneganda tibi ſunt, ſi divinas conſolationes exoptes. *Quod ſi quis me audire cupit, aures mihi præbeat; ſi quis me intelligere vult, animum mihi advertat; ſi denique videre vult, oculos in me defigat oportet.* Totum igitur cor omneſque ſenſus ad Deum converte, tunc vero illum videbis, audies, intelliges, guſtabis & experieris, juxta illud *Jer.* XXIX, 13: *Cum quæſieritis me in toto corde veſtro, inveniar a vobis.*

Deus quomodo ſentiatur & guſtetur?

14. Plerique hodie admirabundi dicunt: *O hominem doctum! opulentum, magnificum, ſapientem!* At quam idem manſuetus, humilis, patiens & devotus ſit, nemo attendit. Cujus perverſi judicii alia cauſſa non eſt, quam quod homines nunc *Externa* tantum ſuſpiciunt, *Interiora* vero quæ ſolum æſtimari digna & externis longe præſtantiora, prætereunt. Alii dicunt: Hic vir *multas urbes & longe diſſitas regiones luſtravit*; non conſiderantes, annon ſatius foret, Deum ipſum vidiſſe. Alii dicunt: *Hic vir Imperatores, Reges, Principes, Magnates*

Falſa laus.

LIB. I. CAP. XXXVI.

Magnates audivit ipſiſque ſervitia præſtitit: At vero ſi audiviſſet Deum intus loquentem ipſique ex animo ſerviiſſet, audiviſſet digniora & ſerviiſſet eminentiori. Multi mundi amore dementati, dicunt: *Noſtrum hoc ſeculum doctum eſt & eruditum ſeculum*: neſcientes, artem artium eſſe amorem Dei, omni ſcientia auguſtiorem, (*Eph.* III, 19.) ut ut una cum fide penitus fere extinctum; ita, ut pauci jam ſuperſint *divinitus edocti*, & qui a Chriſto humilem manſuetamque vitam didicerint, *Matth.* XI, 29. *Jeſ.* LIV, 13. Immo, ut dicamus quod res eſt, ſæpe doctiſſimi quique divinæ vitæ quam maxime expertes ſunt, ac plane ignorant in Chriſto eſſe *VERITATEM*, Eph. IV, 18, 21. Tales ſunt qui vane ſibi perſuadent, verborum phaleras & ornatum dicendi modum, ad eruditionem ſufficere; cum tamen vera & ſolida *eruditio*, non in verbis conſiſtat, ſed in rebus & in æterna veraque ſapientia. De quo uberius in Tractatu *de Philoſophia antiqua*. Quod ſi quis vero hodiernum ſeculum *impium* dicat, is rei ipſi & verbo divino magis conſentanea pronunciaverit.

Cæcum judicium.

15. Æque ridiculi ſunt, qui dicunt: *Hic ſplendide & opipare vivit*; neſcientes, veras chriſtianorum delicias verbum Dei eſſe & mannam illius abſconditam, panemque cœlorum vivum ac incorruptibilem. Hæc cui ſapiunt, is demum lauta perfruitur menſa, a *Domino ipſo parata*, Pſ. XXIII, 5. Jo. VI, 35.

Ex Deo ſolidum gaudium.

16. Nimirum cui Deus & ipſius verbum ſapit, ei omnia dulceſcunt. Qui vero illud nauſeabundus averſatur, ecquod tandem gaudium habebit? Ipſe enim Deus gaudium eſt omnia creata gaudia ſuperans. Æterna eſt lux, omnem lucem creatam excedens. Qui utinam tandem aliquando abſcondita ſua voluptate

luptate corda noſtra perfundat, & ſpiritum noſtrum omneſque animæ potentias purget, illuminet, exhilaret, clarificet, vivificetque! Eheu! Quando appropinquaverit tempus, quo ſummus Deus ſua præſentia omnibuſque illis quæ ipſe eſt, nos expleverit. *Ieſ.* LV, 1?

17. Cujus voti niſi compotes reddamur, nec ſolidum in nobis gaudium exiſtet. Dum autem in via verſamur, ſimus contenti ſi micis de Domini menſa cadentibus, frui ſubinde liceat; donec ad æternæ tandem vitæ gaudia transferamur.

18. Verba ſunt Servatoris noſtri *Apoc.* III, 20: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Audin' O homo! Chriſtus ad te venturus eſt conviva! Quantum autem eſt dedecus, hunc talem tantumque convivam, qui more principum, ad pauperem amicum comeſſatum venientium, omnia ſercula totumque cœnæ apparatum ſecum adducit; panem nempe cœleſtem mannamque abſconditam, foris & ad oſtium exſpectare, nec protinus intromitti? Ille te reficiet, non tu illum. Quæ itaque hæc incivilitas eſt, non amicum aliquem, ſed Deum ipſum non confeſtim obviis ulnis velle excipere?

Chriſtus convivam noſter.

19. Ait Dominus: *audi vocem meam, & aperi.* Sed ſicut in domo clamoribus & ſtrepitu impetuoſo plena, muſica, quantumvis ſuaviſſima, non poteſt exaudiri; ita cœleſtis convivæ vox in mundano corde, in quo omnia clamoſo ſeculi tumultu reſonant, non percipitur. Cum enim oſtium non aperiatur, nec Dominus intromittatur, proinde cœleſtis ejus manna guſtari nequit. Quod ſi ergo mundani tumultus & ſtrepitus in corde ceſſent &

Mundana expelli oportet, ut intrent divina.

Cor quietum requiri ad colloquium Dei.

LIB. I. CAP. XXXVI.

conquieſcant, quis dubitet, Dominum pulſantem clamantemque iri exauditum, ut illi cum *Samuele* poſſis reſpondere: *Loquere Domine, audit ſervus tuus*, 1 Sam. III, 10.

Fructus veræ illuminationis.

20. Porro de hac interna, ſpirituali & cœleſti cœna loquitur epiſtola ad Ebræos *cap.* VI, 4: *Qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti: guſtaverunt nihilo minus bonum Dei verbum virtuteſque ſeculi venturi.* His enim docemur, quod Spiritus ſanctus, ſi non impediatur, animam in qua reſidet, quotidie paſcat manna abſcondita ſuaviſſimi mellitiſſimique verbi divini, quod ex Dei ore procedit, & ex quo vivimus.

Dei bonitas nectar eſt & ambroſia.

21. Id quod regius propheta *David* per Spiritum ſanctum experimentali guſtu in corde ſuo eſt expertus, dicens, *Pſ.* XVI, 11: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua uſque in finem.* Pſ. XXXIV, 9: *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus; beatus vir, qui ſperat in eo.* Pſ. XXIII, 5: *Paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus eos, qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum; & calix meus inebrians quam præclarus eſt?* Pſ. LXIII, 4: *Quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus? Filii hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Pſ. LXX, 6: *Exſultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum. Ego vero egenus & pauper ſum, Deus adjuva me. Adjutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris.*

Quos Deus cibet verbo interno?

Quibus præter alia etiam inſinuatur, quinam illi ſint, qui interius verbo Dei cibentur; puta

ta pauperes ſpiritu, & ex divino ſolamine unice pendentes. Iſti, inquam, digni ſunt, qui guſtent dona cœleſtia, de quibus *David* integro *Pſ.* LXXXIV, 1. loquitur: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exſultaverunt in Deum vivum.* Unde intelligere licet, minimum vitæ æternæ ac purioris voluptatis guſtum, omnia gaudia hujus mundi longiſſimo ſpatio poſt ſe relinquere: & longe præſtabilius eſſe, unum diem illic verſari, quam hic per mille dies ſeculi gaudio affluere. Hæc qui experientia ipſa edoctus eſt, ei nauſeam affert hic mundus, & tanquam melioribus aſſueto, ultro amareſcit.

22. Huc pertinet effatum æternæ Sapientiæ *Sir.* XXIV, 28: *Spiritus meus ſuper mel dulcis; & hæreditas mea ſuper mel & favum. Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Et hæc eſt *ſancta* illa fames & ſitis, quam nulla creatura, ſed ſolus Deus Charitate ſua explere poteſt. Unde tandem ſancti *inebriantur*, juxta Cantic. *cap.* V, 1: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* *Animam ſolus Deus explet.*

23. Atque hæ ſunt deliciæ, quibus amicos ſuos ſubinde exhilarat Deus, ut hac velut divina eſca deliniti, mundanorum memoriam penitus deponant. Quod ſi vero in hac vita tantam nobis afferunt voluptatem minutæ quædam micæ mannæ abſconditæ, & aliquot nectaris & vitis cœleſtis guttulæ; quanto uberiora majoraque erunt quæ in altera vita, ubi ad ipſum perennem gaudii fontem pervenerimus, conſequemur? *Typus vitæ æternæ.*

LIB. I. CAP. XXXVI.

Sitis Chriſti.

24. Atque hanc rerum cæleſtium *ſitim* ut in nobis Servator excitaret, ipſum in cruce *ſitire* oportebat; *Jo.* XIX, 18. Sicut enim ille ſolus famem ſitimque noſtram explere poteſt; ita nos viciſſim illius flagrantiſſimam cupiditatem qua in nos fertur, reſtinguere poſſumus. Immo ipſe longe vehementius nos ſitit, quam ipſum nos, juxta illud *Jo.* IV, 34: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.* Quæ eſt autem voluntas Dei, niſi ut æternam beatitudinem conſequamur? Quod ſi nos æque illum ſitiremus atque ille nos ſitit, non dubium, quin Spiritu ſuo adeo liberaliter ſuaviterque nos potaret Dominus, ut *e corpore noſtro promanarent flumina aquæ vivæ*, Jo. VII, 38. hoc eſt, nihil in nobis foret, quod non ſpiritualem quandam auram, ſuavem & cœleſtem ſpiraret: Immo, quin gaudio divino ut quodam quaſi torrente bonitatis & conſolationis ita nos perfunderet, ut corpore ac anima omnibuſque facultatibus animæ in Deo exultaremus. Nihil enim tantæ eſt capacitatis ac Anima noſtra, libertati ſuæ reſtituta ac corruptæ voluntatis vinculis expedita. Deum enim, cœlum & terram ambitu ſuo concipit. Nihil etiam eadem eſt minus, cum ſe coram Deo humilians, infra omnes creaturas abjicit.

Fructus ſitis ſpiritualis.

Animæ humanæ magnitudo & humilitas.

CAP.

CAPUT XXXVII.

Qui Chriſtum in vita ſancta non ſequuntur, non poſſunt a cordis ſui cœcitate liberari; ſed manent in perpetuis tenebris: Adhæc, non poſſunt vere Chriſtum cognoſcere vel ejus participes fieri, nec ſeriam pœnitentiam agere.

1 Jo. I, 5, 6, 7. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ: ſi dixerimus, communionem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, communionem habemus ad invicem.*

UT *lucis* & *tenebrarum* naturam recte intelligamus, operæ pretium eſt, lucis definitionem inquirere.

2. *Deus*, inquit *Joannes*, *lux eſt*. Quid autem Deus? Ens ſpirituale, æternum, infinitum, omnipotens, miſericors, clemens, juſtum, ſanctum, verax, omniſcium, charitatis denique & fidei ineffabilis; Deus Pater, Filius & Spiritus ſanctus, unus in eſſentia, trinus in perſonis, ſummum & omne Bonum *eſſentialiter*. Atque hæc eſt vera æternaque lux. Hinc quiſquis a Deo illiuſque charitate, miſericordia, juſtitia & veritate ſe avertit, eum palam eſt, a luce in tenebras prolabi, cum extra Deum nil niſi æternæ tenebræ ſint. Si autem Deus lux eſt, ſequitur contra, Diabolum eſſe ipſas tenebras: Si ille charitas eſt, hunc nil niſi iram, inimicitiam, odium, invidiam, peccatum & flagitium eſſe oportet. *Vera lux & veræ tenebræ.*

Quiſquis

LIB. I. CAP. XXXVII.

Quiſquis itaque ad peccata ſe convertit, ad tenebras & Diabolum ipſum ſe convertit; nec ab illis liberari poteſt, niſi iterum ſemet a tenebris ad lucem, a peccatis ad juſtitiam, a vitiis ad virtutem, a Diabolo denique ad Deum converterit, *Act.* XXVI, 18. Id quod ſolius fidei opus eſt, *per quam purificantur corda noſtra*, Act. XV, 9. Quiſquis enim in Chriſtum credit, quotidie pœnitentiam agit, ſeque a peccatis, hoc eſt, a Diabolo, ad Chriſtum convertit. Nam ſicut Adam per peccatum a Deo ad Diabolum ſe convertebat; ita per veram pœnitentiam & peccatorum abnegationem, a Diabolo ad Deum nobis eſt redeundum.

3. Hinc vero porro ſequitur, hominem ſine reditu & converſione ad Deum *illuminari* non poſſe. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ communio lucis cum tenebris*, 2 Cor. VI, 14. Tenebræ iſtæ ſunt impœnitens animi ſtatus, quo cum vera lux cognitionis Chriſti nullam communionem habet. Hinc a Spiritu & lumine æternæ veritatis colluſtrari nullo modo poſſunt, qui in impœnitentis cordis tenebris vivunt. Quo pertinet Pauli effatum de Judæis, 2 *Cor.* III, 16: *Cum converſi fuerint ad Dominum, auferetur velamen*; hoc eſt, tenebræ, cœcitas & ignorantia ceſſabunt, & illuminabit illos Chriſtus.

Vera Chriſti cognitio.

4. Maxima omnino cœcitas & denſiſſima caligo quæ animis hominum poteſt offundi, ipſe eſt *Fidei defectus*, vel incredulum cor cum ſuis fructibus, puta ſuperbia, avaritia, ira, carnis libidine, &c. Hæc ſi dominentur in homine, Chriſtum veriſſimam lucem agnoſcere nequit, multo minus in illum credere, illi confidere, & per illum ſalvari. Quomodo enim *humile* Chriſti cor agnoſcet ille, qui

qui in ſuperbiæ inquinamentis putreſcit? Quomodo ille *manſuetum* Chriſti cor rite agnoſcet, qui quantus quantus eſt, totus ira, invidia & iracundia æſtuat? Quomodo is ſtupendam Chriſti intelliget *patientiam*, qui vindictæ cupidine & impetuoſa animi ferocia huc atque illuc rapitur?

5. Quiſquis vero Chriſti manſuetudinem, humilitatem & patientiam non cognoſcit, nec Chriſtum ipſum in fide digne cognovit. Ut autem recte Chriſtum cognoſcas, per fidem cor & ſenſum Chriſti induas, illiuſque manſuetudinem, patientiam & humilitatem intus & in corde deguſtes. Sicut enim fructus vel herbæ virtus ex guſtu & odore cognoſcitur; ita Chriſtus, qui eſt arbor vitæ, guſtando & experiendo intelligitur. Si fide illius manſuetudinem, humilitatem & patientiam deguſtes, tunc de illius comedis fructibus, & animæ requiem & tranquillitatem invenis, capax divinæ gratiæ & conſolationis. Hæc autem gratia in pectus fide vacuum & Chriſti humilitate manſuetudineque deſtitutum influere nequit; cum non niſi *humilibus gratiam largiatur Deus*, 1 Pet. V, 5.

6. Quæ cum ita ſint, quid quæſo prodeſt homini Chriſtus, qui ejus communionem rejicit? Hoc vero cum omnes illi faciant qui in peccatorum tenebris agunt, conſequitur ſane, ſocios lucis, *h. e.* Chriſti, ipſos eſſe non poſſe; indeque Chriſtum nihil ipſis prodeſſe. Ita enim ait *Joannes*, 1 Ep. I, *v.* 6: *Si dixerimus, quod communionem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, communionem habemus ad invicem.* Quæ capite II, 8. declarans, addit: *Tenebræ tranſierunt, & verum lumen jam lucet.*

Qui

LIB. I. CAP. XXXVII.

Qui dicit, ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt. Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat: quia tenebræ occœcarunt oculos ejus.

7. Quamdiu autem homo manet in terribili illa peccatorum caligine, a Chriſto, qui vera lux eſt, illuminari, & ad veram Dei cognitionem pervenire non poteſt. Vera enim Dei & Chriſti cognitio in eo conſiſtit, ut ſciamus, Deum meram gratiam & charitatem eſſe. Nemo vero quid amor ſit, novit, niſi qui amorem ipſe habet & exercet. Adeo omnis *Cognitio* ex ſenſu, *Experientia*, & ipſis veritatis operibus ſcaturiat. Hinc autem ultro ſequitur, illum qui charitatem non exercet, utcumque multa de illa verba faciat, veræ tamen charitatis indolem & naturam non habere perſpectam.

Veræ Chriſti cognitio.

8. Chriſtus mera eſt charitas, humilitas, manſuetudo, patientia & virtus. Hæc itaque qui non habet, is Chriſtum ignorat, quamquam plurima de illo garriat oreque nomen ipſius jactet. Eodem modo verbum Dei nil niſi *ſpiritus* eſt. Unde qui in ſpiritu non vivunt ac ambulant, hi certe quid verbum Dei ſit, neſciunt, etſi longos de illo nectant diſcurſus. Quomodo ergo de charitate judicaverit ille, qui nulla charitatis præſtitit opera? Omnis enim (ſicut modo dictum,) cognitio ex *ſenſu* & *experientia* promanet. Quomodo de luce fermocinabitur ille, qui per omnem ætatem ſubterraneo carceri inhærens, nunquam ex tenebrarum hac regione pedem extulit? Quid eſt autem in homine *lux*, niſi fides & charitas chriſtiana? juxta dictum Chriſti *Matth.* V, 16: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus*

Cognitio oritur ex experientia.

hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.

9. Maneat itaque, sanctam Christi vitam nihil nisi meram esse *CHARITATEM.* Quod si itaque fide in ipsum intuentes, charitatem illius addiscamus, humilitatem, mansuetudinem, & patientiam, prout in mandatis dedit nobis; tum vero in illius imaginem eo ipso transformamur, & divina claritate, hoc est, Christo ipso, qui est æterna veraque lux, collustramur, secundum illud *Eph.* V, 14: *Excitare qui dormis & exsurge a mortuis; & illucescet tibi Christus.* Unde sane consequitur, quotquot somnum mundi quo obruti jacent, hoc est, concupiscentiam oculorum, carnis, & superbiam vitæ excutere recusant, a Christo vere illuminari non posse.

10. Contra vero qui Christi vitam assumunt, & in fide illum sequuntur, hi vere illuminantur, ipso hoc Christo asseverante, *Jo.* VIII, 12: *Ego sum lux mundi, qui me sequitur,* in fide, charitate, spe, patientia, mansuetudine, humilitate, timore Dei & oratione, *non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Quasi dicat: *soli mei imitatores habent lumen vitæ, veramque illuminationem & cognitionem mei.* Propter eandem fidem & vitam christianam Paulus, *Eph.* V, 8. christianos vera fide pollentes *lucem* appellat. *Eratis,* inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et 1 Thess. V, 5, 8: *Omnes vos filii lucis estis & filii diei; non sumus noctis neque tenebrarum; induti loricam fidei & charitatis, & galeam salutis.*

Soli imitatores Christi illuminantur.

11. Hujus etiam loci est, quod in libro *Sapientiæ* dicitur *cap.* I, 5. VII, 27: *Spiritum sanctum fugere impios, illabi autem animabus sanctis, & ex his facere prophetas & amicos Dei.* Quod

si

LIB. I. CAP. XXXVII.

si vero impios fugit, quomodo ab illo illuminari poterunt? Immo Dominus ipse negat Jo. XIV, 17. *mundum*, hoc est, animos carnales & nullo pœnitentiæ sensu imbutos, *posse Spiritum sanctum accipere.*

12. Ceterum ut extaret inter homines perfectum absolutumque omnium virtutum exemplum & specimen; idcirco Filius Dei homo, perque vitam suam sanctissimam *MUNDI LUX* factus est, ut illum omnes sequerentur, in illum crederent & hoc ordine ab illo illuminarentur. Jam cum ne ipsi quidem pseudochristiani nesciant, Christum nihil quam perfectissimam absolutissimamque virtutem fuisse, eundem autem sequi renuant, patet, ethnicos, utpote virtutis amatores rigidissimos, longissimo spatio christianos post se relinquere. Horum sapientissimi quique, ut *Plato*, *Aristoteles*, *Cicero*, *Seneca*, statuerunt: *Si virtus corporis oculis conspici posset, lucifero clariorem futuram.* Qui autem Christum fidei oculis iunt intuiti, illi sane præfulgidum hunc luciferum conspexerunt, immo ipsum *viderunt & contrectaverunt verbum vitæ*, 1 Jo. I, 1. Quod si vero ethnici virtutem tanti fecerunt, illamque videre exoptarunt, quanto magis christianos decet virtutis amore capi? Cum Christus mera sit virtus, mera charitas, mera mansuetudo, immo ipse Deus.

Fides in Christum illuminat cor.

13. Unde merito Paulus charitatem Christi omnibus scientiis anteferendam censet, *Eph.* III, 19. Qui ergo Christum amat, illius etiam mansuetudinem & humilitatem ex puro ac sincero erga Christum affectu, amet vitaque exprimat. Unde porro divina in illis lux suborietur & ipsi in *imaginem Christi transformabuntur a claritate in claritatem* 2 Cor. III, 18.

Christum amare est Christi virtutes amare.

LIB. I. CAP. XXXVII.

Lux & gratia datur per humilitatem.

18. *Humilibus Deus dat gratiam*, inquit *Petrus* 1 *epist.* V, 5. Et *Bernardus: Flumina gratiæ deorsum non sursum fluunt.* Quomodo ergo gratiam lucis & cognitionis divinæ communicaverit homini Deus, qui non sanctum vitæ Christi tramitem sequitur, sed per superbam Luciferi viam incedit? Fides enim fideique fructus *nequaquam vacuos nos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione* 2 Pet. I, 8. Jam cum in homine humili ipse Christus habitet, (in tali enim homine residet Christus in quo vita & lux Christi est;) idcirco juxta vaticinium *Jesaiæ* cap. XI, 2. super talem non aliter quam super ipsum Christum requiescunt etiam dona Spiritus sancti; puta *spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ, pietatis & timoris Domini.* Et ex eadem causa *Petrus* Act. II, 38. judæos ita alloquitur: *Pœnitentiam agite & accipietis donum Spiritus sancti.* Quasi dicat: *Dei Spiritus, cujus vos expertes estis, & qui cordium est illuminator, non demittit se in alios animos quam credentes & pœnitentes.*

13. Agite ergo, O mortales! Si quis a cordis cœcitate, a tenebris æternis, & denique ab ipso Diabolo liberari velit, Christum in fide sequatur inque vera conversione vitæque emendatione assidua. Quo Christo quis propior, eo æternæ luci est vicinior: Quo propior autem incredulitati, eo conjunctior Diabolo ipsisque tenebris. Sicut enim fides, Christus & virtutes universæ indissolubili nexu cohærent; ita vicissim incredulitas, Diabolus omniaque peccata alia, sunt concatenata.

14. Apostolos intuemini. Hi Christum in fide sequentes, contemnentes mundum, abnegantes seipsos, abrenunciantes omnibus possessionibus, & viventes in communione sancta,

LIB. I. CAP. XXXVII.

cœlitus tandem illuminabantur, Spiritumque ſanctum recipiebant, *Act.* II, 1. Hanc vitæ rationem recuſabat juvenis ille terrenis opibus affluens, *Luc.* XVIII, 23, & idcirco tenebris mundi immerſus manebat, nec ad vitam æternam illuminabatur: *Qui enim adhuc mundum diligit, in hoc charitas Patris non eſt*, 1 Jo. II, 15.

15. Inde porro idem Joannes 1 *Epiſt.* II, 11. diſerte profitetur: *Qui non amat, manet in tenebris & neſcit quo eat; quia tenebræ occæcarunt oculos ejus.* Quibus conſentanea inculcat *Taulerus*, (a) qui in omnibus ſuis concionibus paſſim oſtendit, ſine ſerio *fidei exercitio* ſine *mortificatione* & *abnegatione ſui ipſius*, *ſine introverſione in ſeipſum*, & denique ſine *interno animæ ſabbatho*, neminem divinam lucem recipere aut in ſe ſentire poſſe.

16. Summa: Quantum opera tenebrarum per Spiritum Dei in homine deſtruuntur, tantum idem illuminatur: Quantoque efficacius e contrario natura corrupta, puta caro & mundus cum oculorum concupiſcentia vitæque ſuperbia in homine dominantur, tanto minus gratiæ, lucis, ſpiritus, Dei & Chriſti in illo ſupereſt. Unde ſane conſequitur, ſine quotidiana & aſſidua pœnitentia illuminari neminem poſſe.

(a) Jo. Taulerus, *Monachus Dominicanus*, Coloniæ *primum & poſtea* Argentorati *docuit; ubi & anno* 1379 *mortuus eſt. Vir ob vitæ ſanctimoniam & ſubactam in ſpiritualibus experientiam, magni ſemper tam a Proteſtantibus quam Papiſtis habitus. Opera ejus* (*quæ inter* Sermonum *liber præcipuum occupat locum*) *per* Surium *e Germanico in Latinum idioma verſa fuerunt & aliquoties impreſſa.* Vita *ejus & converſio*, (*quæ & Anglice* 1660 *prodiit*) *multa ſingularia divinæ Providentiæ veſtigia exhibet.*

17.

17. Qui uni alicui vitio indulgens, illud in se enecare renuit, is certe innumera alia accersit. Nascuntur peccata ex se invicem feliciore proventu quam lolium ipsum. Sicut autem tenebræ tanto densiores fiunt, quanto sol longius a nobis recedit; sic quo longius a divina Christi vita abalienamur, eo majora in nobis incrementa capit peccatum, & eo crassiores existunt tenebræ, in æternam tandem ruentes noctem. Contra autem, qui per Dei gratiam virtutum curriculum, magno animo & bona spe plenus ingreditur, hic non potest non in illis assidue proficere, altera alteram more annulorum in catena aurea consequente. Quam connexionem *Petrus* 2 Epist. I, 5. seqq. delineavit, scribens: *Vos autem curam omnem afferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobis adsint & abundent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione.* Hoc est: qui se harum virtutum studio & exercitio non totum addixerit, Christum prorsus ignorat. Qui autem in illis per fidem proficit, crescit in Christo: ceteris omnibus, puta superbis, iracundis, avaris & impatientibus, non in Christo, sed in Diabolo proficientibus.

LIB. I. CAP. XXXVII.

Quanto longius a vita Christi, tanto longius a vera luce.

Christi cognitio in vera fide & illius fructibus.

18. Ac nobis quidem christianis præceptum est, ut sicut puer paullatim & ætate fit procerior; ita nos in fide & virtutum studio crescamus *in viros perfectos in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, Eph. IV, 13. *Cui autem non præsto sunt hæc*, inquit *Petrus*, 2 Epist. I, 9. *cæcus est, & manu tentans, oblivionem accipiens*

Crescere in Christo & perfici.

LIB. I. CAP. XXXVII.

purgationis veterum ſuorum delictorum. Hoc eſt: certa quidem res eſt, Chriſtum morte & ſanguine ſuo omnia peccata noſtra ſuſtuliſſe; at nobis interim cavendum eſt, ne porro in peccatis vivamus; ſed potius, mortis Chriſti virtute in nobis operante, mundo moriamur, & in Chriſto vivamus. Hoc quiſquis facere non curat, huic palam eſt, purgationem veterum ſuorum delictorum nihil prodeſſe. Unde & porro ſequitur, ſi nobis vitæ anteactæ peccata remitti & condonari velimus, deſiſtendum eſſe a peccatis, agendam pœnitentiam & credendum in Chriſtum. Quod ſi vero vel uni alicui peccato patrocinemur, tum vero & reliqua omnia nobis adhærere, luendaque illa eſſe in omnem æternitatem, nulla ſpe expiationis. Adeo vel propter ſolam iram homo damnari poteſt. Quam ſi idem chriſtiana manſuetudine correxiſſet, tum ſane omnium ceterorum peccatorum veniam propter Jeſum reportaſſet. Quod quia facere neglexit, idcirco juxta verba Petri, *cæcus eſt, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum.*

Fructus mortis Chriſti in nobis.

Pœnitentiæ neceſſitas.

19. Ex quo ſane datur intelligere ſumma *Pœnitentiæ neceſſitas* vitæque reformationis indefeſſæ. Quamquam enim Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus ſit, ac incomparabili ſanguinis ſui pretio ſatisfecerit pro illis; nos tamen meritum iſtud digne & cum fructu participare non poſſumus, niſi *pœnitentiam agamus.* Et utcunque ſingulis propter meritum Chriſti omnium ſuorum delictorum venia ſit promiſſa, ea tamen ad incredulos & impœnitentes nihil pertinet, ſed ad illos duntaxat qui vitæ renovationi ſedulo incumbunt. Cum æquiſſimum ſit, ea peccata non remitti, quæ fugere in animum non inducimus, ſed

Sine emendatione non remitti peccata.

ea

ea duntaxat, quæ commisisse aliquando, ex intimis sensibus dolemus. Atque huc referendum, quod *Matth.* XI, 5. dicitur: *Pauperes evangelizantur*, hoc est, remissionem peccatorum consequuntur. LIB. I. CAP. XXXVII.

20. Ponamus exempli ergo aliquem qui per multos annos vile avaritiæ fuit mancipium, ut *Zachæus*, vel libidinis, ut *Maria Magdalena*; vel iræ & vindictæ cupidinis, ut *Esau*; atque hunc talem, (statim atque audivit, fugienda esse illa delicta, aut mortem & sanguinem Christi nihil ipsi profuturum,) Deo supplicem fieri, a peccatis desistere, gratiam veniamque a Deo petere, & credere in Christum. Tum vero certum est, remitti illi omnia priora delicta ex mera gratia nulloque merito, sed propter mortem & sanguinem Christi pro hominibus fusum. Quicunque vero non constituit penes se firmo & inconcusso proposito, avaritiam, iram, usuras, superbiam & libidines detestari, hic, quia fide repurgante corda destituitur, frustra peccatorum suorum remissionem sperat, luiturus illa æternis cruciatibus, nec unquam satisfacturus. Unde *Paulus* diserte monet, *Gal.* V, 21: *Quod qui talia agunt, regnum Dei non sint possessuri.* Itaque aut damnatio æterna subeunda est, aut vitæ ratio in melius commutanda.

21. Hoc si per *fidem* & veram ad Deum conversionem fiat, tum vero præsto est peccatorum venia & gratia divina, immo ipse Christus, extra quem gratia nulla est. Si Christus præsto est, tunc meritum ipsius pretiosissimum, & pro peccatis satisfactio adest. Hæc si adest, sequitur justitia, hanc vero pax & læta in Domino conscientia. Et hunc illud *Ps.* LXXXV, 11. *justitia & pax osculantur se, in sacra* anima degustatur. Serena hæc conscientia si

Fidem Christi meritum apprehendentem comitantur omnia ad salutem necessaria.

LIB. I. CAP. XXXVII.

adeſt, adeſt etiam Spiritus ſanctus. Si Spiritus ſanctus adeſt, adeſt etiam gaudium, quia gaudii Spiritus eſt: Ubi vero gaudium eſt, ibi ipſa eſt vita æterna, quæ nihil niſi ſempiternum gaudium eſt.

22. Atque hæc eſt illa lux vitæ æternæ, qua colluſtrati ſunt, quotquot in Chriſto & quotidiana pœnitentia vivunt, cujus exordium & baſis ipſa mors Chriſti eſt. Contra ubi nulla pœnitentia, ibi nec peccati remiſſio. Ubi nullus de peccatis mœror, ibi & gratia exulat: Exulante autem gratia, nec Chriſtus adeſt; quo abſente, meritum ipſius non participatur, nec quæ ex illo pendet pro peccatis ſatisfactio. Hæc ubi deficit, ibi nec juſtitia eſt. Ubi nulla juſtitia, ibi nec pax nec læta conſcientia. Ubi nulla conſciantia læta, ibi nec conſolatio. Ubi nulla conſolatio, ibi nec Spiritus ſanctus. Ubi Spiritus ſanctus non eſt, ibi nec cordis & conſcientiæ gaudium. Ubi nullum gaudium, ibi nec vita æterna, ſed mors, ſed infernus, ſed condemnatio & tenebræ ſempiternæ.

Impœnitentia impedit totum regnum Dei & æternam ſalutem.

23. Unde patet, quod initio dicebamus, eos, qui per veram pœnitentiam Chriſto in vita ſequi renuunt, a cœcitate cordis ſui ipſiſque adeo æternis tenebris, liberari non poſſe.

CAPUT

CAPUT XXXVIII.

Vitam Antichristianam esse causſam falsæ & hæreticæ doctrinæ, indurationis & occœcationis. Ubi & quædam de prædestinatione inseruntur.

Jo. XII, 35. *Adhuc parvo tempore lux vobiscum est. Ambulate dum lucem habetis, ut ne tenebræ vos deprehendant.*

CUM certum sit, Christum una cum fide per *Vitam Antichristianam* abnegari & fere penitus extirpari, quorsum nobis illius doctrina? Hæc enim una cum verbo ejus & sacramentis eo fine nobis data est, ut converteretur in succum, sanguinem & vitam nostram. Et sicut ex bono semine bonus fructus nascitur, ita ex verbo & sacramentis oriretur homo novus, sanctus & spiritualis, & ut verbo dicam: *christianus*, ex Spiritu, verbo & sacramentis, vel Christo denique ipso regeneratus, & proinde in Christum credens in illoque vivens. Nam sicut infans ex matre, ita christianus ex Deo & Christo per fidem nascitur. *Finis verbi & sacramentorum.*

2. Quod si vero doctrinam Christi in vitam nostram commutare detrectemus, immo vita nostra moribusque doctrinæ adversemur, quid quæso proderit nobis doctrina Christi, cum vita nos ipsa convincat, ex Deo nos natos non esse? Quid lucem Christi jactamus, si in tenebris ambulare velimus & lucem sequi renuamus? Hinc vero evenit, ut tandem a nobis recedat Lux: Hac autem sublata, tenebræ ingruant, falsæ doctrinæ omnisque generis seductiones. Quæ ut caveamus, monuit nos Servator noster, dicens: *Filioli, dum lucem*

LIB. I. CAP. XXXVIII

habetis, ambulate in illa, ne tenebræ vos deprehendant. Hoc est: tenebræ errorum, seductionum, præstigiarum, occœcationis, & indurationis. Quales tenebræ deprehenderunt *Pharaonem*, *Judæos* & *Julianum*, qui tandem sub pœna in quam ruebat, a conscientia propria convictus, Christum adhuc vivere & verum Deum esse palam professus est, exclamans: *Vicisti tandem Galilæe, vicisti!* cum satius fuisset dicere: *Miserere mei!* At id quidem ille non poterat propter occœcationem cordis & gratiam Christi a se abnegatam & explosam.

Indurationis unde?

3. Atque talis induratio, caligo & tenebræ illæ terribiles sunt, quæ eos tandem apprehendent, qui in luce ambulare nolunt; & ut justa pœna infligentur illis, qui veritatem blasphemant. Cujus exemplum *Pharao* est, *Exod.* V, 2: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel? Nescio Dominum.* Itaque necesse erat, ut Deus ipsi per potentiam suam se manifestando ejusque insolentiam prosternendo, coram toto mundo divinæ suæ potentiæ exemplum in illo statueret, ut vel inde appareat, quid valeat homo cum Deo congredi vano animo præsumens.

4. Similiter cum *Judæi* Deo nollent auscultare, percussi sunt occœcatione & obstinatione. Id quod futurum Moyses illis prædixit, *Deut.* XXVIII, 28. XXXII, 22: *Percutiat te Dominus amentia & cœcitate ac furore mentis.* Quod & factum esse, testis est *Jesaias*, cap. VI, 9. Unde patet, istiusmodi *obstinationem*, justissimam pœnam esse incredulitatis, & contemtus Dei veritatisque cœlestis; juxta illud Pauli 2 *Thess.* II, 10: *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio; ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed*

Occœcatio est pœna justissima contemtus divini.

consen-

consenserunt iniquitati. Ex quibus causam colligere datur, cur Deus istiusmodi occœcationem & indurationem soleat permittere.

Quibus Deus gratiam suam subtrahat.

5. Et quidem cui oblatam gratiam tandem subtrahit Deus, hic jam satis miser est & percussus, nec redire in viam valet, exemplo *Pharaonis* & *Juliani*. Cui gratiosam Deus subducit lucem, in tenebrarum potestate permaneat, necesse est. Nemini autem suam subtrahit lucem, nisi illis, qui in luce ambulare nolunt; nec gratiam adimit nisi his, qui ipsam repudiant.

Caussa excæcationis.

6. Quo sensu Paulus *Rom.* IX, 18. illud oraculum Dei ex Moyse adducit: *Cujus vult miseretur; & quem vult, indurat.* At ille miseretur omnium, qui misericordiam suam admittunt: induratque contra hos, qui oblatam gratiam repudiant & conculcant. Id quod diserte Paulus judæis exprobat, *Act.* XIII, 46, 48: *Vobis oportebat primum exponi verbum Dei; sed quoniam repellitis illud & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Audientes autem gentes gavisæ sunt, & glorificarunt verbum Domini; & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Hoc est: quotquot verbum gratiæ, ceu medium fidei, non repudiarunt. Cujus contemtus quia rei erant judæi, idcirco credere non potuerunt. Neminem enim Deus ad vitam æternam præordinavit, qui verbum ipsius fastidiose & cum contemptu repellit.

Prædestinationis ordo.

7. Itaque *Prædestinatio* sive præordinatio ad vitam æternam in Christo facta est; sic, ut Deus Gratiam suam omnibus offerat per Evangelium. Hoc qui recipiunt, hi vero *præordinati sunt ad vitam æternam*; qui autem illud repudiant repelluntque, hi vero *indignos semet judicant vitæ æternæ*, ut loquitur Paulus *l. c.* hoc est, sua culpa indigni sunt beatitudine

ne, eximentes iemet ipsos e gratia universali, delentesque ex libro vitæ, qui est Christus, nomen suum, propria contumacia verbo Dei obluctante. Unde & *fideles* fieri non possunt.

Christi verbum & gratiam quinam a se repellant?

8. Ne vero erremus, observandum: Non illos tantum verbum Dei repudiare & repellere, qui doctrinam de Christo nolunt admittere, quales sunt *Judæi* & *Turcæ*; sed illos insuper, qui vestigiis Christi insistere recusantes, illius vitam assumere, inque luce ambulare nolunt. Unde deinceps cum tenebras luci præferant, ipse etiam Deus verbi & sanæ doctrinæ lumen ab ipsis removet. *Ego*, inquit Christus, *Jo.* VIII, 12. *sum lux mundi, qui me sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

Prudentissimi hujus mundi vel maxime obnoxii seductionibus.

9. Ex quibus ultro consequitur, quod, quisquis vitam Christi imitari sua vita nolit, eundem in tenebris obambulare, *h. e.* in errores incidere, in quasvis seductiones, occœcationem & indurationem. Intuere quæso superbissimos quosque, eminentissimos, summos, doctissimos, potentissimosque hujus mundi viros, & errorum in quos prolapsi sunt *Originem* paulo altius considera. Quænam est ratio tantæ occœcationis mentes illorum fascinare solitæ? Certe aliunde non est, quam quia in Christo non vivunt, nec illius vitam imitantur; unde nec lumen vitæ habere possunt.

Hæreses unde?

10. Hinc etiam tot existunt seductiones & hæreses, quas Paulus appellat, *operationes errorum* & mendacia satanica, 2 *Thess.* II, 9. Quæ magis magisque ingruent, cum totus jam mundus a divino vitæ Christi tramite deviet. *Quæ enim communio lucis cum tenebris? & quæ conventio Christi ad Belial*, 2 Cor. VI, 15? Quasi dicat: puritas doctrinæ & cognitionis divinæ non potest manere apud illos, qui in

Diabolo

Diabolo vivunt, in tenebris, in superbia, avaritia & voluptate. Quomodo enim pura doctrina divinaque penes illum residere poterit, cujus vita impura est & Antichristiana? Nulla concordia est vitam inter impuram doctrinamque puram, nec inter se convenire possunt.

11. Quocirca si *doctrinam* retinere velimus puram, alia progrediendum est via, vitaque antichristiana reformanda est inque melius mutanda. Christi sequamur vestigia peccatique somnum excutiamus, ut collustret nos Christus lumine veræ fidei; *Eph.* V, 14. Quisquis enim vestigiis Christi, hoc est, illius charitati, humilitati, mansuetudini, patientiæ & timori divino non insistit, in seductionem ruat necesse est; cum non ambulet via, qua itur ad veritatem. *Christi vestigia non observans a via aberrat.*

12. Quod si e contrario omnes in Christo viveremus, si ambularemus in charitate & humilitate, omnia nostra studia & Theologiam universam eo dirigentes, ut carne mortificata in Christo viveremus, ut vetus in nobis moreretur Adam, Christus autem in nobis viveret, ut nosmetipsos vincentes de mundo etiam ac Diabolo ipso triumpharemus; tum vero minus rixarum circa dogmata esset, & *hæreses* sua sponte collaberentur omnes.

13. Ejus rei exemplum nobis exhibet *Achabus*. Quæ enim ratio erat, quod quadringentorum Pseudoprophetarum suggestionibus succumbens, bellum illorum instinctu susciperet? Certe non alia, quam vita ipsius impia & tyrannica. Impiam hanc vitam falsa lux merito sequebatur, ut mendaciis fidem habendo, jam proprium acceleraret interitum. Hinc Prophetam *Micham* vera quæque & futuram in bello mortem prædicentem, contemnebat,

nebat, falsis autem dextra quæque vaticinantibus credendo, merito dementiæ suæ pœnam reportabat proprio fuso sanguine, quem lambebant canes, 1 *Reg.* XXII, 8. seqq.

14. Et vero hoc illud est, quod ait Paulus 2 *Cor.* IV, 4: *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii*: Itemque quod Deus per Iesaiam, cap. XXIX, 13, 14. minatur omnibus hypocritis, Christum illiusque doctrinam crepantibus ore, vita autem abnegantibus, nimirum ut permittantur illusioni pseudo-prophetarum sicut *Achabus*: *Eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis honorificat me, cor autem ejus longe est a me, ideo peribit sapientia a sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abscondetur, claudet Dominus oculos illis, prophetas & principes illorum, qui vident visiones, operiet, eritque verbum Domini sicut liber signatus, & velut nescienti literas.* Cui similia sunt, quæ Paulus, 2 *Cor.* III, 16. de judæis commemorat, esse nimirum illis *velamen positum super cor*, ut Messiam in ipsis prophetis suis legentes, nec videant nec inveniant: *Quod velamen Deus ab illis sit ablaturus, si ad illum fuerint conversi.*

Excæcatio & seductio pœna justissima.

Excæcatio judæorum ex impœnitentia.

CAP.

CAPUT XXXIX.

Puritatem Doctrinæ & verbi divini, non modo *disputando* (*b*) & multos libros conscribendo; sed vera insuper pœnitentia, vitaque sancta obtineri & servari.

2 Tim. I, 13, 14. *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide & in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.*

PURITAS doctrinæ & veritas sanctæ christianæ fidei necessario contra sectas & hæreses est defendenda. Exemplo prophetarum, qui contra falsos & idololatras prophetas in veteri Testamento acerrime sunt concionati. Exemplo Filii Dei, qui contra Pharisæos & scribas Hierosolymitanos vehementer disputavit; exemplo Joannis Evangelistæ, qui suum Evangelium contra *Ebionem* & *Cerinthum*; Apocalypsin autem contra falsam Ecclesiam *Nicolaitarum* & alios, consignavit. *Disputationum necessitas.*

2. Idem testatur exemplum *Pauli*, qui dogmata de *justificatione per fidem*, Rom. III, 21, seqq. de *bonis operibus*, 2 Cor. IX, 8. de *resurrectione mortuorum*, 1 Cor. XV; deque *libertate christiana*, Gal. V. & similibus, adversus pseudo-apostolos gravissime defendit. Horum exemplum sancti Episcopi & patres Ecclesiæ primitivæ sunt secuti, adversus paga-

(*b*) De *Theologiæ Polemicæ* abusu vide Autoris mentem uberius expositam in Præfatione *Theologiæ Germanicæ* olim præfixa, & hujus libri calci adjecta.

nas

nas ſuperſtitiones & hæreticos multa ſolidiſſime conſcribentes. Eundem in finem magna concilia, ab Imperatoribus chriſtianis contra hæreticorum illos principes *Arium*, *Macedonium*, *Neſtorium* & *Eutychem*, fuerunt convocata. Quantum denique damnum incomparabilis *Martini Lutheri* ſcriptis polemicis papatui & aliis ſectis noſtris temporibus fuerit illatum, univerſo mundo notum eſt.

3. Perſtet ergo, contra hæreticos & ſectarios ſcribendum, concionandum & diſputandum eſſe, ut conſtet doctrinæ puritas & veritas religioni, juxta Apoſtolum, qui *Tit.* I, 9. *Epiſcopum* vult *eſſe potentem exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Quæ utcunque laudabilis procedendi ratio, vitio ſecuſſi in accerrimas degeneravit contentiones, inque tot enormes abuſus, ut inter diſputationum concionumque polemicarum ſtrepitum, & ſcribendi reſcribendique præpoſteram malamque conſuetudinem, vitæ chriſtianæ, veræ pœnitentiæ, pietatis & charitatis memoria & praxis pene interierit. Haud aliter quam ſi ſumma religionis chriſtianæ in diſputando & libros polemicos compilando, non autem in ipſa viva Evangelii applicatione & experimentali dogmatum Chriſti praxi, conſiſteret.

Abuſus Theologiæ polemicæ.

4. Etenim ſi exempla ſanctorum Prophetarum & Apoſtolorum, ipſiuſque adeo Filii Dei intueamur, patet, illos non tantum adverſus pſeudo-prophetas ac pſeudo-apoſtolos, tum & contra gentilium ſuperſtitiones acerrime diſputaſſe; ſed etiam non minore ardore pœnitentiam vitamque chriſtianam inculcaſſe. Adhæc concionibus divinam gravitatem ſpirantibus, potenter demonſtraſſe, per impœnitentiam vitamque impiam, religionem & cultum

Impietas deſtruit cultum Dei & veram religionem.

& cultum divinum corruere, Eccleſiam vaſtari, Regna & populos fame, bello, ac peſte affligi. Quæ omnia eventus, ut veriſſime dicta, comprobavit. Quanto fervore ſpiritus Iesaias propheta verba fundebat. *cap.* V, 6. populo judaico denuncians, *quia vinea Domini non fecerit uvas, ſed labruſcas, idcirco decreviſſe Deum deſolationi exponere eam.* Ex qua comminatione ſatis ſuperque patet, *Impietatem* cauſſam eſſe, cur Deus verbum ſuum a nobis removeat, Et nonne eodem redit quod Salvator ipſe inculcavit, *Jo.* XII, 35: *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos deprehendant?* Quid enim aliud eſt *in luce ambulare*, quam Chriſti vitam ſeria imitatione exprimere? Aut quid eſt a *tenebris deprehendi*, quam puritatem Evangelii amittere? Unde jam apparet, neminem ſine vera pœnitentia vitaque ſancta, veritatis luce poſſe colluſtrari. *Spiritus enim ſanctus, qui verus eſt cordium illuminator, homines impios fugit, nec niſi animas ſanctas eligit, ex quibus prophetas & amicos Dei conſtituat*; ut ſcriptum eſt *Sap.* VII, 27. Et cum *Timor Domini initium ſit ſapientiæ*, ut eſt *Pſ.* CXI, 10; quis dubitet, *Impietatem* viciſſim ſtultitiæ, inſcitiæ, cœcitatiſque eſſe originem?

Sine vera pœnitentia nemo illuminatur.

5. Adhæc vera Chriſti & puræ doctrinæ cognitio atque profeſſio, non tantum in verbis; ſed in opere & vita ſancta conſiſtit. juxta illud *Tit.* I, 16: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cum ſint abominandi & increduli, & ad omne opus bonum reprobi.* Et 2 *Tim.* III, 5: *Habent ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegant.* Unde ſane colligere datur, Chriſtum illiuſque verbum æque *vita impia* atque verbis abnegari; nec veram Chriſti cognitionem eſſe, quæ nunquam in

Chriſti cognitio non conſiſtit in verbis;

Manca eſt ſine vita ſancta.

LI B. I. CAP. XXXIX.

in actum fuerit deducta. Certe qui Chriſti humilitatem, manſuetudinem, patientiam & charitatem intus & in corde nunquam ſenſit aut deguſtavit, ille vera ac viva Chriſti cognitione prorſus deſtituitur. Hæc vero ſi deſit, quomodo quæſo requirente ita neceſſitate, confiteri ipſum poterit? Nam Chriſti doctrinam tantum, nec etiam illius vitam profiteri & prædicare, id vero eſt Chriſtum *dividere*, & mutilum mancumque profiteri & prædicare. Ac de *Doctrina* quidem librorum abunde habemus, de *Vita* fere nihil. Et utcunque polemica ſcripta doctrinæ forte aliquam præſtiterint utilitatem, certe ad veram pœnitentiam vitæque chriſtianæ emendationem vix aliquid contulerint. Quid eſt enim doctrina ſine vita aliud, quam arbor ſine fructibus? Aut quomodo Chriſti doctrinam ſequetur, qui vitam ipſius non imitatur? Caput quippe doctrinæ chriſtianæ eſt: *Charitas de corde puro, & conſcientia bona & fide non ficta*, 1 Tim. 1, 5. Inde vero eſt, quod magnus ſit numerus illorum, quos, ſi audias adeo acute & acroamatice de religionis chriſtianæ dogmatibus diſputare, putes homines eſſe quantivis pretii; ſed ſi coſdem penitius aſpexeris, deprehendes facile, eſſe ipſos intus & in corde plenos ſuperbia, invidia & avaritia; ut vix ullus baſiliſcus exiſtat illis peſtilentior. Contra quos proinde obſervari expedit, quod Paulus 2 *Tim.* 1, 13. non temere *charitatem* & *fidem* conjungat. Ut nempe doceat, conſpirare conſentireque inter ſe hæc duo debere.

Non verba, ſed vita facit chriſtianum.

6. Etſi vero nequaquam noſtris viribus & pietati tantum arrogemus, ut beatitudinis pretium illam conſtituamus, ſcientes cum *Petro* 1 Epiſt. 1, 5. *in virtute Dei [nos] cuſtodiri per fidem*

fidem in ſalutem; illud tamen ſatis patet, per vitam Antichriſtianam Spiritum ſanctum cum omnibus ſuis donis, inter quæ non minima ſunt *fides*, *cognitio*, *intellectus* & *ſapientia*, expelli. Nonne vero hinc iterum ſequitur, ſine vita ſancta puritatem doctrinæ conſervari non poſſe? Pariter impios, *h. e.* Chriſtum imitari nolentes, vero lumine non colluſtrari? E contrario apparet, illos qui in luce ambulant, *h. e.* qui Chriſti veſtigiis inſiſtunt, vero lumine, quod eſt Chriſtus ipſe, perfundi, & ab omni errore divinitus præſervari. Itaque vera omnino ſunt quæ vir ſanctus & Spiritu Dei plenus, *Taulerus*, jamdudum docuit: *Statim atque homo ſe Deo dedicet & permittat, ſuamque voluntatem & carnem abneget, Spiritum ſanctum facere initium ipſum illuminandi & vera ſolidaque cognitione dotandi. Quia nimirum hic talis verum cordis ſabbathum & ferias celebret, & a pravis ſuis concupiſcentiis, voluntate operibuſque conquieſcat.* Id quod accipiendum eſt de *ſtatu poſt converſionem*, & de quotidiana illuminatione, incrementoque donorum ſpiritualium.

LIB. I. CAP. XXXIX.

Impii non illuminantur.

Sabbatum internum.

7. Jam neque illud ſine ratione dictum, quod Chriſtus, *Jo.* XIV, 6. pronunciat: *Ego ſum via, veritas & vita*: Appellans ſe *Viam*, quia hanc nobis demonſtret, non tantum doctrina, ſed & vita ſua ſanctiſſima. Quæ vita nihil aliud eſt, quam fides viva & per charitatem operans, amor, ſpes, manſuetudo, patientia, humilitas, oratio, timor Domini, & ut verbo abſolvam: *vera pœnitentia & converſio ad Deum*, qua ad veritatem vitamque deducimur, in qua totus chriſtianiſmus conſiſtit, & epitome omnium librorum & præceptorum eſt. Hæc eſt illa vera & regia via ad vitam & veritatem, & eſt ipſe Chriſtus, liber

Chriſtus quomodo ſit noſtra via?

LIB. I. CAP. XXXIX.

vitæ noſtræ, in quo evolvendo & ediſcendo omnem omnino ætatem ſedulo inſumamus. Hæc, inquam, eſt *via illa arcta & porta anguſta*, (Matth. VII, 14.) quam pauci inveniunt: Hic unicus liber vitæ, quem fere nemo legit, utcunque in illo omnia contineantur ſcitu chriſtiano neceſſaria, ſic, ut aliis libris; ad ſalutem æternam obtinendam prorſus non indigeat. Quæ etiam ratio eſt, cur Scriptura ſacra paucis nobis exhibita ſit libris, ut nimirum vel hinc conſtet, chriſtianiſmum non in infinita commentariorum & magnorum voluminum multitudine; ſed in viva fide & imitatione Chriſti conſiſtere. Quo pertinet illud *Coh.* XII, 12, 13: *Faciendi plures libros nullus eſt finis, frequenſque meditatio carnis afflictio eſt. Summam rei omnes audiamus: Deum time, & mandata ejus obſerva.*

Chriſtus liber noſter.

Brevitas ſcripturæ unde?

8. Adhæc, nonne eodem tendit quod *Matth.* XIII, 25. dicitur: *dormientibus hominibus Diabolum lolium tritico ſuperſeminaviſſe?* Id quidem palam eſt alio non ſpectare, quam ut intelligatur, quod, dum homines neglecto pœnitentiæ exercitio ſecure peccatorum ſomno indulgent, & amore hujus mundi inebriati, majorem terrenorum quam immortalium bonorum curam habent; tum vero paullatim Diabolum falſæ doctrinæ ſemen diſſeminare. Ager ejuſmodi ſeminis capax, ipſa eſt *ſuperbia* vitæ, quam multarum ſectarum, ſchiſmatum & diviſionum ſemine conſpergit Diabolus. Per ſuperbiam enim cum Angeli, tum homines veram lucem amiſerunt, *Jeſ.* XIV, 12; erroreſque omnino omnes ex ſuperbia pullularunt. Si *Satan* & *Adam* in humili vita Chriſti perſtitiſſent, vacuus foret mundus omni errore & ſeductione quo jam abundat. Unde non immerito Paulus *Eph.* V, 14. inquit: *Surge*

Superbia eſt ager hæreſeon.

Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus; eo ipſo docens, neminem divinitus poſſe illuminari, niſi ſomno peccatorum excuſſo, *h. e.* carnis ſecuritate impietateque profligata. Hinc etiam *Act.* II, 38. dicitur: *Agite pœnitentiam & accipietis donum Spiritus ſancti.* Et *Jo.* XIV, 17: *Mundus Spiritum ſanctum accipere non poteſt.* Quid autem eſt mundus aliud, quam vita impia & carni immerſa?

9. Similiter cum Chriſtus dicit *Matth.* VII, 20: *Ex fructibus cognoſcetis illos*, ecquid aliud ſignificat, quam non clamorem illum *Domine, Domine!* ſed *vitæ fructus* ſignum eſſe & *ſymbolum* veri ac falſi chriſtiani? Puræ enim ac orthodoxæ doctrinæ jactantiam, falſi quique chriſtiani impiæ vitæ ut *pellem* quandam *ovinam* prætexunt, ut aliquo modo nitidiuſculi in cute appareant, cum intus nihil minus ſint, quam veri chriſtiani. Quamquam autem vita corrupta nequaquam in argumentum falſæ & pravæ doctrinæ debeat trahi; id quod hodie *Papiſtæ* faciunt & *Anabaptiſtæ*, dogmata noſtra ex publica vitæ turpitudine æſtimantes; (hæc enim arguendi ratio ſi valeret, jam non ipſius Chriſti aut Apoſtolorum doctrina ſana fuiſſet, quia jam tum multi pſeudo-chriſtiani inveniebantur;) at eſt tamen & erit ſpecimen & ſignum ſi non *doctrinæ*, attamen *perſonæ*, nimirum an verus ſit an falſus chriſtianus, qui aliter docet ac vivit? Et an ille recte credat, qui fidem ſuam vita antichriſtiana, ut ebur atramento, inficit? In quo ſtatu quotquot ſunt, eos Chriſtus appellat falſos chriſtianos, *arbores infrugiferas*, ad nihil utiles, niſi ut ardeant, *Matth.* VII, 19.

Omnia ex fructibus ſuis cognoſci.

Vita eſt ſignum hominum.

10. Denique ea ſolum *vera* & chriſtiana fides eſt, quæ *operatur per charitatem*, Gal. V, 6. Per quam homo fit *nova creatura*; Gal. VI, 15.

Vera fides

15. Per quam regeneratur, per quam cum Deo unitur; per *quam Chriſtus in nobis vivit*, Eph. III, 17. habitat & operatur. Per quam Regnum Dei in nobis ſtabilitur, & demum per quam Spiritus ſanctus corda noſtra repurgat & illuminat, *Eph.* IV, 23. Quo ſpectant plurima aurea Scripturæ oracula; quale eſt illud 1 *Cor.* VI, 17: *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Quid eſt autem *Spiritum Chriſti habere*, quam eundem ſenſum animumque qui in Chriſto eſt, induere? Quæ ſuavis utrinque conſpiratio novam omnino, ſanctam, divinam, cæleſtem & ipſam heroicam Chriſti vitam in nobis producit. Et illud 2 *Cor.* V, 17: *In Chriſto eſt nova creatura*, vocans *in Chriſto eſſe*, non tantum in illum credere, ſed & vivere in ipſo. Sic & *Hoſ.* II, 19: *Sponſabo te mihi in ſempiternum, ſponſabo te mihi in fide.* Ecquid aliud hoc indigitat, quam hominem cum Chriſto penitus & *ſpiritualiter* eſſe uniendum; ſic, ut ubi fides eſt, illic Chriſtus; ubi Chriſtus, illic vita ejus ſancta in homine ſit; ubi vita Chriſti, illic charitas vigeat; ubi charitas viget, illic ipſe Deus (nam *Deus eſt charitas*, 1 Jo. IV, 16.) & Spiritus ſanctus præſto ſit? Omnia enim hic connexa ſunt & concatenata; nec aliter cohærent, quam caput cum membris, & cauſſa cum effectis. Quam connexionem *fidei* & *vitæ* Petrus 2 Epiſt. I, 5, ſeqq. repræſentans ſcribit: *Vos autem curam omnem afferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim ſi vobis adſint, & abundent, non vacuos nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione.*

Deſponſatio Chriſti & illius fructus.

Virtutum catena.

Cui

Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum. Quo loco Apoſtolus diſerte pronunciat, in quo iſta *fidei* & *vitæ* conſpiratio non ſit, eum Chriſtum ignorare, excidiſſe fide, ambulareque in tenebris. Veræ enim fidei eſt, hominem penitus immutare, renovare, in Chriſto vivificare, ſic, ut ipſe in Chriſto vivat & maneat, & Chriſtus viciſſim in ipſo. *Vera fides.*

CAPUT XL.

Regulæ quædam perutiles ad vitam chriſtiane & devote agendam.

1 Tim. IV, 8. *Exerce te ipſum ad pietatem; pietas enim ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt & futuræ.*

HOC monitum exhibet brevem vitæ chriſtianæ deſcriptionem, docetque, in quo vitam ſuam occupatam tenere debeat chriſtianus; in ſtudio, nempe pietatis quæ omnium virtutum chriſtianarum complexus eſt. Et *duo* quidem ad hoc incitamenta ſuggerit Apoſtolus: Quorum *primum* eſt, quia *ad omnia utilis ſit* Pietas. Pietas ſi omnibus noſtris verbis & actionibus, vitæque ipſi præſens adſit, omnia bona reddit Deoque accepta. *Secundum* vero, quia *illam Deus cum in hac vita*, (ut patet exemplo *Joſephi*, *Danielis* & aliorum) *tum in altera ſit remuneraturus*, ubi laborum noſtrorum meſſem faciemus ſempiternam; *Gal.* VI. 9.

LIB. I. CAP. XL.

2. REGULA I. *Etsi adeo perfecte vivere non possis, prout verbum Dei præcipit & spiritus tuus cupit; nunquam tamen non illud unice ardentissimeque optare debes.* Nam ejusmodi *sancta desideria* Deo accepta sunt; qui etiam rata illa habet, utpote qui cordium, non operum spectator est. Illud interim unum omni cura age, ut crucifigas carnem tuam, nec dominari illam patiaris.

Deus bonam voluntatem habet pro facto.

Concupiscentia carnis ostium diaboli.

3. REG. II. *In omnibus, quæ cogitas aut facis, stude cordis puritatem conservare, ne inquineris superbis cogitationibus, verbis & operibus; non denique iræ & similibus carnalibus ac diabolicis actionibus.* Hoc enim modo cor tuum panditur Diabolo, occluditur autem Deo.

Animæ libertas.

4. REG. III. *Illud omni nisu contende, ne forte libertatis animæ tuæ per pravas concupiscentias rerumque terrenarum desideria facias jacturam, teque fragili creaturæ ac cito perituræ in servitutem tradas ac mancipium.* Cum enim anima tua mundo universo sit nobilior, nonne indignum fuerit, rebus nullius momenti, vilibus & caducis subdere illam & vendere, tuumque cor fragilibus & frivolis mundi crepundiis addicere?

5. REG. IV. *Tristitiam hujus seculi evita; quippe quæ mortem operatur, & ex avaritia, invidia & anxia hujus vitæ cura, adhæc ex incredulitate & impatientia generatur. Amplectere vero e contrario tristitiam divinam, quæ ex peccatorum & pœnarum inferni meditatione oritur, & idcirco salutem stabilem reddit, nec non pacem & gaudium in Deo parit;* 2 Cor. VII, 10. Sane hominem nullius terrenæ rei jacturam tam acerbe dolere oportet, quam sua peccata.

6.

6. REG. V. *Si crucem tuam cum gaudio, sicut par est, tollere non potes, saltem cum pœnitentia & humilitate illam susci*pe, *acquiescens divino arbitrio & Numinis supremi voluntati.* Hæc enim semper bona est, nec aliud spectat aut intendit, quam utilitatem & salutem nostram. Itaque quodcunque Deus de te statuet; hilarem vel tristem, pauperem spiritu vel opulentum, excelsum vel humilem, vilem vel splendidum te faciendo; illud semper fac cogites: *Sic Deo visum esse, & tibi expedire.* Quod ergo illi placuit, id ne tibi displiceat. Quin potius gaude, si ex suo arbitrio & ad salutem tuam omnia gerantur. *Omnia opera Dei bona sunt,* Sir. XXXIX, 21. Et *Ps.* CXLV, 17; *Justus Dominus in omnibus viis suis; & sanctus in omnibus operibus suis.* Unde semper melius est, ut Dei voluntatem *in te & cum te animo resignato patiaris* potius, (quippe quæ bono tuo jugiter intenta est) quam propriam exequaris ad mala semper propensam.

Crux quomodo bajulanda.

Voluntas Dei semper bona, hominis autem mala.

7. REG. VI. *Consolationes & visitationes cœlestes cum humili agnitione accepta. Contra, si illæ tibi non obtingant, scias, carnis mortificationem, gaudio spiritus utiliorem tibi esse.* Homini enim in peccata propenso, dolor longe conducibilior est, quam gaudium & delectatio. Nam multi ob ubertatem spiritualium consolationum incidunt in superbiam spiritualem. Dominus autem novit, quos per viam amœnam ac jugi consolatione & luce irriguam, in vitam æternam ducere expediat. Quos item per semitam asperam, tristem, horridam, sentibus ac lapidibus obrutam. Tibi vero semper conducere existima, ut ad vitam pervenias eo modo, quem divina sapientia elegit, utcunque a propria tua voluntate & beneplacito dissentiat. *Eccl.* VII, 4: *Melior est dolor*

Tristitia & ariditas spiritualis quomodo toleranda?

LIB. I. CAP. XL.

cor risu, quia per tristitiam animus corrigitur delinquentis. Cor sapientum est ubi tristitia est, & cor stultorum ubi lætitia.

Deus bonam voluntatem acceptat pro facto.

8. REG. VII. *Si Deo majores victimas devotionis, orationis & gratiarum cædere non potes, offer illi quod habes & potes; commendando & exornando tenue tuum sacrificium* bona voluntate *sanctisque desideriis, ut illi tua religio & devotio fiat accepta.* Quippe pia illa vota vel habere, vel habere velle, non exigua gratia est, & hostia Deo gratissima. Quia quantam nos serio optamus præstare illi posse devotionem, orationem, laudem & affectum cœlestium, tanta coram illo sunt. Nihil enim a te exigit, præterquam quod ipsius in te operatur gratia; nec tu majora acceptis restituere potes. Hoc interim humilibus precibus a Christo Jesu contende, ut tuas hostias suo sacrificio perfectissimo supplere velit; quia ipse nostra est perfectio, cum omnia propria quæ habemus mutila sint & manca. Proinde dic: *Mi Deus & Pater, sit tibi quæso accepta mea devotio, mea fides, mea oratio, mea gratiarum actio, in Filio tuo dilectissimo; illaque non suo pretio, sed in Christo æstima, ut dignitate ex illo hausta, tibi ut perfectissima opera placeant. Ipse enim, ipse copiose supplebit, quod mihi deest.* Atque hac ratione nostra pietas, oratio & gratiarum actio, utcunque in se imperfecta sit, obscura & infirma, maximum tamen gloriæ & dignitatis pondus ex merito Christi adsciscit. Sicut nudus & Sordibus pollutus infantulus nauseam parit, idem vero, si candida induatur stola, omnibus allubescit: ita omnia tua opera ex se & sua natura nullius sunt pretii; quæ tamen si Christi perfectione exornentur, Deo fiunt acceptissima. Immo sicut poma alias non magni valoris, si in

Perfectio nostra in Christo.

In fide & Christo omnia nostra sunt perfecta.

scutella

ſcutella aurea afferantur, ſeipſis fiunt præſtantiora & pulchriora; ita noſtra oratio, pietas & gratiarum actio in Chriſto dignior, pretioſior & auguſtior redditur, juxta illud *Eph.* I, 6: *Acceptos nos reddidit in dilecto.*

9. REG. VIII. *Peccata tua & multiplices imperfectiones contriſtari te faciant, deſperare non faciant.* Si multa fuerint, cogites, *apud Dominum miſericordiam eſſe majorem & redemptionem abundantiorem*, Pſ. CXXX, 7. Si magna etiam fuerint, memineris, Chriſti meritum longe eſſe majus, & ingemiſce ex *Pſal.* LI, 2: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Et ſi per Dei gratiam te peccatorum pœniteat, & in fide Chriſtum contuearis; tum viciſſim Deum pœnæ pœnitere crede; *Heſek.* XXXIII, 2. Et hanc divinam ſalutaremque contritionem ſequitur peccatorum venia, ſtatim & quotieſcunque ſeriis ad Deum ſuſpiriis contendit peccator. Sicut enim leproſus in momento ſanabatur, cum dixiſſet ad Chriſtum: *Domine ſi vis, potes me mundare*, & ipſe reſpondiſſet, *volo, mundare*, Matth. VIII, 2, 3: ita ſummus Deus intus & in ſpiritu te emundat, dicens: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, Matth. IX, 2. Quæ externa purificatio ut imaginem & ſpeculum interioris purificationis peccatique remiſſionis exhibet; ita caveamus, ne immenſa hæc Dei miſericordia in mundando nos & condonando peccata in occaſionem tranſeat, amplius delinquendi, ſed Deum magis magiſque glorificandi. Unde dicas: *Lauda anima mea Dominum*, Pſ. CIII, 1.

Chriſtianus triſtetur, ſed non deſperet.

Repentina animæ ſanitas ex Deo.

10. REG. IX. *Externæ injuriæ, contumeliæ & convicia cave ad iram, indignationem aut ultionem te provocent. Potius cogita, eſſe illa quadam cordis tui experimenta, per quæ Deus manifeſtare*

Injuriæ quomodo tolerandæ?

LIB. I. CAP. XL.

festare velit, quid intus & in corde tuo delitescat, mansuetudo, inquam, & humilitas; an superbia & iracundia. Qualis enim quisque apud se latet, illata contumelia probat. Itaque si humilitas in te resideat & mansuetudo, omnem facile contemtum toleraveris: immo quicquid hujus generis tibi accidet, ut *castigationem divinitus immissam* promptus suscipies, exemplo *Davidis*, ad convicia a Simei ingesta nihil aliud reponentis, quam *Dominus præcepit ei, ut malediceret David*, 2 Sam. XVI, 10. Deinde cogites: contemtum nostri esse magnam partem contumeliæ Christi, quam viva veraque illius membra cum capite Christo pariter participent. Ita docetur, *Ebr.* XIII, 13: *Exeamus ad eum, probrum ejus portantes.* Quem proinde non perfunctorie aspiciendo, sed mansuetudinem ejus altius contemplando, in eandem transformemur naturam, & per ipsum nostras injurias animo æquissimo ferre discamus. Absit ergo ut dicas: *Egone hæc patiar ab illo?* Nam propter immensam illam mansuetudinem & patientiam ex Christi pectore relucentem, hæc omnia tibi perferenda sunt. Taceo, tantam Dei benignitatem esse, ut unicam contumeliam innocenti illatam, paratus sit, pluribus honoribus & donis compensare. Id quod *David* non ignorans, convicium Simei ut pignus aliquod honoris mox secuturi accipiebat, dicens: *Dimitte eum, ut maledicat juxta præceptum Domini. Forte respiciet Dominus afflictionem meam, & reddet mihi bonum pro maledictione hac die hodierna.* Quocirca ne perturbent te fabulosa de te hominum commenta, sed potius gaude, cum *gloria spiritus super viles & contemtos requiescat*, 1 Pet. IV, 14.

11. REG. X. *Inimicos & obtrectatores tuos beneficiis & bonitate vincere placareque ſtude, non ira, non vindicta, non recriminando.* Neminem enim hoc pacto tibi reconciliaveris, *cum victoria in virtute ſit, non in vitio.* Sicut Diabolus alterum non expellit, ita nec vindicta tua & retaliandi libidine calumniatores ſuperabis, ſed exacues. Ponamus hominem ulceribus & æſtuante dolore undiquaque obſitum: Hunccine, jam ſatis miſerum, verberibus & fuſtigatione ſanandum credideris? Ita res ſe habet cum homine qui ſpiritus aſperitate & animo maligno laborat. Non ſane is alia aſperitate aggrediendus eſt, ſed lenitate tractandus eſt, & quaſi demulcendus. Ipſum Deum intuere, modumque juxta quem cum hominibus agit, conſidera. Annon vero is bonitate ſua noſtram vincit malitiam, noſtramque iracundiam ſua placat charitate? Et annon benignitate ad pœnitentiam nos invitat *Rom.* II. 4? Et hæc eſt methodus, quam ipſe commendavit Apoſtolus, *Rom.* XII, 21: *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.* Hæc enim eſt victoria noſtra.

LIB. I. CAP. XL.

Victoria conſiſtit in patientia.

12. REG. XI. *Si in proximo tuo donum obſervas, quo illum præ te & ceteris exornavit Deus, cave hoc illi invideas; gaude vero de illo, & Deo gratias age.* Nam cum omnes electi & fideles unum corpus ſint, ſequitur, ſingulorum membrorum decus totum corpus nobilitare. E contrario: *Si quam miſeriam in proximo tuo conſpicis, illam ceu propriam deplora.* Communis enim eſt omnium conditio & miſeria, cui omnis caro eſt ſubjecta. Qui autem compati & condolere neſcit, hic nec membrum Chriſti eſt. Annon noſtram miſeriam ut propriam portavit Chriſtus, ut a noſtra miſeria nos liberaret? Quo ſpectat illud Pauli *Gal.* VI,

Aliis bona non invidere oportet.

Condolendum pectatis proximi.

LIB. I. CAP. XL.

1: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

Vitia non hominem oderis.

13. REG. XII. *Vitia & peccata proximi tamquam opera Diaboli odio ſane ſunt proſequenda. Vide autem, ne idcirco ipſi homini ſias iniquior; ſed potius ipſius ſortem doleas, quod iſtiuſmodi peccatis ſit ſubditus, & Deo illius cauſſam commendes, ſicut Chriſtus in cruce pro ſuis hoſtibus orabat*, Luc. XXIII, 24: *Pater ignoſce illis!* Quiſquis autem proximum odit, hic Deo placere non poteſt; cum *ipſe velit, omnes homines ſalvos fieri*, 1 Tim. II, 4. Quod ſi itaque hominis ullius perniciem quæras, tum vero contra Deum agis ejuſque voluntatem. Nemo igitur Deo placere poteſt, qui alteri machinatur exitium. *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare*; Luc. IX, 56.

Chriſtianus ſe peccatorum maximum exiſtimat.

14. REG. XIII. *Omnes licet homines recte fragiles eſſe putes, te tamen coram Deo omnium maxime fragilem peccatoremque maximum eſſe exiſtima.* Nam coram Deo omnium æqua conditio & condemnatio eſt. Quia *omnes peccavimus, nec habemus unde apud Deum gloriari poſſimus*, Rom. III, 23. Deinde, utcunque magnus peccator ſit proximus tuus, cave credas, te idcirco apud Deum eſſe meliorem. *Qui ſtat*, inquit Apoſtolus, *videat ne cadat*; 1 Cor. X, 12. Si vero te infra omnes homines demiſeris, tunc Dei te gratia ſervabit. Accedit, quod non minus tu, quam quivis vel maximus peccator, gratia & miſericordia indiges. Hæc vero tanto major eſt, quanto humilitas amplior. Et propterea Paulus *peccatorum primum* ſe conſtituit, 1 *Tim.* I, 15, 16; & idcirco *ſe miſericordiam dicit conſecutum ac Chriſtum ſuam in ipſo oſtendiſſe patientiam.* Cui ſimile eſt quod 2 *Cor.* XII, 9. dicit: *Pro me nihil gloriabor, niſi in infirmitatibus meis.*

15,

15. REG. XIV. *Veram illuminationem sequitur contemtus mundanorum.* Sicut enim filii hujus mundi suam hæreditatem in terris habent, puta temporalem honorem, opes caducas, splendorem terrenum, quæ ut magni valoris thesauros amant & admirantur; ita filiorum Dei thesauri sunt egestas in hoc mundo, contemtus, persecutio, contumelia, crux, mors, martyrium & pœna. Unde Moyses contumeliam Christi *majores divitias ducebat quam Ægyptiorum thesauros*, Ebr. XI, 25. Et hæc est vera illuminatio. *Contemtus mundi ex vera illuminatione.*

16. REG. XV. *Verum nomen christianorum cœlo inscriptum, est cognitio Christi vera in fide, per quam in Christum transplantati, imo inscripti illi sumus, quasi libro vitæ. Hinc vivæ illæ virtutes promanant, quas Deus in futuro die honorifico testimonio ornabit*, Matth. XXV, 34, *proferens omnes thesauros, quos in cœlo congregavimus*, 1 Tim. VI, 19. *& omne opus, quod in Deo factum fuit, producens in lucem*, Jo. III, 21. Nemo unquam e sanctis fuit, quin *peculiari* aliqua virtute inclaruerit. Et hanc nulla capiet oblivio, *Ps.* CXII, 6. Atque hæc virtus illius, puta fides, charitas, misericordia, patientia & similes, sunt illud nomen cœlo inscriptum *Apoc.* II, 17, III, 12; & verum sancti symbolum, æternique nominis character. De quo pluribus agetur *libro* II. *Nomen christianorum.*

CAPUT

CAPUT XLI.

In quo habetur Recapitulatio totius Libri. Totam Religionem Christianam consistere in imaginis divinæ in homine instauratione, & imaginis Satanæ destructione.

2 Cor. III, 18. *Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu.*

Vita æterna in quo consistat.

IN *vera cognitione Christi*, illiusque personæ, officii, beneficiorum & donorum cœlestium, consistit vita æterna; quam Spiritus sanctus quasi novum aliquod lumen in nobis accendit, quod seipso in dies clarius eluceſcit, ceu corpus aliquod metallicum sive speculum poliendo tersius redditur & nitidius. Vel sicut infans quotidie statura augetur & crescit. Nam simulac homini per fidem Christi justitia donatur, tum vero ille incipit in conversione sua regenerari, & quotidie ad imaginem Dei renovari. Neque enim confestim *in virum perfectum evadit*, Eph. IV, 13; sed infans est, spiritus divini virtute magis magisque enutriendus ac Christo Jesu de die in diem magis conformandus.

Christianismus quid?

2. Tota enim hominis christiani vita in his terris nihil aliud est, *quam instauratio imaginis Dei*, adeo ut in nova nativitate constanter vivat, & veterem contra quotidie mortificet homo fidei particeps factus, *Rom.* VI, 4. Quæ vitæ ratio in hoc mundo *inchoetur*, ut in altero deinde *perficiatur*. In quocunque vero ante extremi

extremi judicii diem atque adeo obitus ſui, Reſtaurationis negotium non fuerit inchoatum, in hoc imago Dei in omnem æternitatem non reparabitur. Quocirca operæ pretium duxi, ſub libri calcem denuo repetere, quid *Imago Dei* ſit, quid item *Imago Satanæ*. In harum enim notitia totius chriſtianæ Religionis cardo verſatur, & complura alia dogmata; ut: de *peccato originis*, de *libero arbitrio*, de *pœnitentia*, de *fide*, de *Juſtificatione*, de *oratione*, de *regeneratione*, *renovatione*, *ſanctificatione*, deque *nova vita & obedientia* lucem hinc haud exiguam fœnerantur. Qua de re ſequentia ſunt notanda:

Anima hominis ſpeculum Dei.

3. Eſt *Anima* hominis ſpiritus immortalis, excellentibus potentiis & facultatibus a Deo dotatus; puta intellectu, voluntate, memoria, aliiſque motibus & animi affectionibus. Atque hanc Deo obverte, in illaque imaginem Dei efformare ſtude; adeo, ut ſicuti in ſpeculo, Deus in illa manifeſtus & conſpicuus appareat. Quo ſenſu pronunciat Paulus 2 *Cor.* III, 18: *Gloriam Dei in ipſa imagine Dei jam renovata ceu in ſpeculo relucere.*

Animæ noſtræ conformitas cum Deo in ſtatu innocentiæ.

4. Porro ſicut Deus Ens bonum ſanctumque eſt; ita animæ ſubſtantia & eſſentia initio & a ſua origine bona fuit ſanctaque. Et ſicut in Deo nihil mali eſt; ita anima hominis omnis mali expers fuit ab initio. Sicut in Deo nil niſi bonum eſt, *Deut.* XXXII, 4, *Pſ.* XCII, 16; ita in anima nihil non bonum fuit. Sicut Deus omnificius & ſapiens eſt; ita anima humana plena fuit cognitionis divinæ & ſpiritualis, cœleſtis, æternæque ſapientiæ. Sicut divina ſapientia *omnia in numero, pondere & menſura diſpoſuit*, (Sap. XI, 22,) univerſarum que creaturarum qua cœleſtium qua terreſtrium vires novit; ita & animus hominis eadem fuit colluſtratus luce.

5. Nec

LIB. I. CAP. XLI.

5. Nec inferior *Intellectu* fuit *Voluntas*, puta, æque ſancta & voluntati divinæ in omnibus conformis. Itaque ut Deus, ita hominis anima juſta fuit, benigna, miſericors, longanimis, patiens, comis, manſueta, verax & caſta. De hac humanæ voluntatis cum divina conformitate, omnes etiam *Affectus*, appetitus, cupiditates motuſque cordis participabant, divinæ mentis motibus & affectionibus perfectiſſime conformati. Sicut Deus *charitas* eſt; ita omnes hominis affectus motuſque nil niſi meram ſpirabant charitatem. Sicut Deus Pater, Filius & Spiritus ſanctus ineffabili æternoque amoris vinculo uniuntur, *Jo.* X, 30, XVII, 11; ita omnes affectus, motus & cupiditates animæ humanæ puriſſimo, perfectiſſimo ardentiſſimoque amore ex intimis ſenſibus æſtuabant, ex *TOTO* animo & ex *TOTIS* viribus adhærentes Deo, *Deut.* VI, 5. Unde homo Deum illiuſque honorem ſeipſo omnino impenſius diligebat.

Corpus hominis eſt templum Dei.

6. Quemadmodum vero Dei Imago ex anima relucebat; ita animæ Imago ex corpore iterum effulſit. Hoc proinde omnibus ſuis facultatibus ſanctum, caſtum, nullis fœdis concupiſcentiis & motibus obnoxium, formoſum, elegans, venuſtum, ſanitatis inculpatæ, immortale, moleſtia, tædio, paſſione, dolore, ærumna & ſenio vacuum fuit. Verbo: totus homo anima & corpore perfectus fuit, ſanctus, juſtus & Deo undiquaque acceptus. Nam ut homo imago Dei ſit, neceſſe eſt, ipſum etiam *corpus* ſanctum & Deo conforme exiſtere, ut Paulus jubet *corpus, ſpiritum & animam ſimul ſanctificari* 1 Theſſ. V, 23. Etenim cum homo ex *anima* & *corpore* conſtet, ac *corporales* & *ſpirituales* functiones obeat; neceſſe eſt, animam ſanctam juſtamque per corpus

corpus & in corpore opera sua perfecturam, instrumentum habere obsequens & æque sanctum ac ipsa est.

7. Sicut ergo anima purissimo Dei amore flagrabat; ita pariter omnes corporis vires & potentiæ charitate Dei & proximi gestiebant. Sicut anima tota *misericors* erat; ita corpus cum omnibus suis potentiis in clementiam ferebatur. Sicut ex anima divina *castitas* relucebat; ita corpus universum cum omnibus internis externisque sensibus viribusque perfectam puritatem castitatemque exhibebat. Summa: perfectiones virtutum non minus in corpore, quam in anima refulgebant; ita ut corpus *Organon* animæ esset sanctum animæque cooperans. Unde jam facile erat homini in *statu innocentiæ* Deum amare ex *toto corde, tota anima & omnibus viribus*; *proximum vero sicut seipsum*, Deut. VI, 5. Matth. XXII, 37. Hinc vero est, quod, quando Deus *COR* hominis exigit, totus homo quoad corpus, animam viresque universas, intelligatur. Quo sensu nomen *cordis* in Scriptura passim usurpatur, sic, ut illo veniant omnes animæ vires & velut nervi, intellectus, voluntas, memoria, affectus & cupiditates. Nec alia ratio est, cum *Animam* Deus exigit, requirens illius appellatione totum hominem quantus quantus est cum omnibus potentiis & facultatibus. Qui sane conformandus Deo & in Christo totus renovandus est. Et ita in nova spiritus vita inque *spiritu ipso ambulare* debet homo, *Gal.* V, 16. *Eph.* IV, 23.

Cor in scriptura quid significet?

8. Ceterum hanc sanctitatis, justitiæ & charitatis in homine perfectionem comitabatur *perfectum in Deo gaudium*, qua animæ pariter corporisque facultates exultabant. Ubicunque enim divina residet sanctitas, ibi & divinum

Justitia, charitas & gaudium cohærent.

LI B. I. CAP. XLI.

vinum præsto sit gaudium. Duo hæc æterno cohærent nexu, & ipsam imaginem Dei constituunt. Nos autem cum in hac vita imperfectam saltem *inchoatamque* Dei justitiam & sanctitatem possideamus, hinc primitias tantum illius gaudii cœlestis deguſtamus. Cum tamen justitia Christi in omnibus sincere credentibus *vere* inchoetur, ipsa etiam divini gaudii primordia *vere* incipiunt, & a Christianis experientia spirituali imbutis, subinde percipiuntur. Quantum ergo quilibet in charitate Dei proficit, tantum divini gaudii in se experitur. Quæ sancta divinaque charitas cum in altero seculo ad ipsam assurrexerit *consummationem*, gaudium etiam erit ex omni parte *perfectum*, teste Christo *Jo.* XVI, 22. Charitas enim sola vita est & gaudium. Ubi vero charitas non est, illic nec gaudium est nec vita, sed ipsa mors, æternum omnium Diabolorum hominumque impiorum ac obduratorum receptaculum.

Ubi charitas abest, ibi nec gaudium est.

9. Unde patri est gaudium? Ex amore erga liberos suos. Unde sponso? Ex sponsa, *Jes.* LXII, 6. Quanto vero suavius erit gaudium quod ex amore Creatoris percipitur, quippe qui blandissime nos *ore suo*, hoc est in Christo, *osculatus fuit*, Cant. I, 1; & in ipso per Spiritus sancti amorem ad nos venit, *mansionem apud nos faciens*, Jo. XIV, 23? Cave autem de hac *Imagine Dei*, quæ in conformitate cum Deo consistit, cogites, ac si homo usquequaque in sanctitate Deo *æqualis* fuisset factus: Deus enim incomprehensibilis est, immensus & infinitus quoad essentiam, virtutes & proprietates: adeoque imaginem tantum Dei gerebat homo, prout *capite* I. hujus libri fuit declaratum.

Gaudium ingens ex amore Dei.

Deus & imago Dei differunt.

10. Quæ

LIB. I. CAP. XLI.

10. Quæ de *Imagine Dei* docuimus, certa omnino ſunt & extra dubitationem poſita. Neque enim negari poteſt, Deum creaviſſe hominem, ut ipſius ſpeculum eſſet nitidiſſimum; adeo ut ſi Dei naturam cognoſcendi cupidus fuiſſet homo, in ſeipſum intuens, Deum in ſe tanquam in ſpeculo conſpexiſſet, imo Dei imaginem in proprio pectore percipere potuiſſet.

Artes Diaboli in imagine Dei abolendæ

11. Hæc *Imago* vita erat & beatitudo hominis. Sed hanc Dei in homine imaginem iniquis oculis ferens Diabolus, nullum non movebat lapidem, nullas non verſutus inimicus inſidias ſtruebat & machinationes, quo Dei in homine deſtrueret imaginem, per inobedientiam & hoſtilem contra Deum animum, *Gen.* III, 4. Id quod ille tanto aſtu & calliditate effectum dabat, quanto nulla unquam res confecta fuit aut conficietur. Neque enim illum latebat, ſi homo in eo ſtatu maneret, Diaboli dominum fore hominem; ſin eodem excideret, ſe hominis tyrannum evaſurum. Itaque cum omnibus ſuæ aſtutiæ ac exquiſitæ malitiæ viribus exploratis, nihil aptius ad perficiendum cogitata ſua inveniret eo peccato, per quod ipſemet faſcinatus, a Deo deſciverat; cœpit ipſam divinæ Majeſtatis affectationem in ipſam matris noſtræ *Imaginationem* oratione blanda & melliflua, per ſerpentem tanti ſceleris pararium ſpecioſiſſimum & venuſtiſſimum, inſinuare. Quid enim divinius videtur ac ſublimius, quam ut *DEUS quis fiat?* Hac tamen methodo divinæ imaginis jacturam fecit homo, Satanæ vero abominandam imaginem induit, quæ in *divinæ Majeſtatis affectatione* conſiſtit.

Superbia origo omnis peccati.

LIB. I. CAP. XLI.

Lapsus Adami.

12. Concepta vero hac alpirandi cogitatione & ſuperbiſſima hac elatione ſemel admiſſa, illico confecuta eſt *APOSTASIA* hominis, inobedientia & tranſgreſſio præcepti de arbore non tangenda. Hinc vero jam imago Dei fuit extincta, Spiritus ſanctus ab homine aufugit, & Diabolus ſuam ipſi imaginem viciſſim impreſſit. Hinc jam quot homines, tot deplorandæ Satanæ mancipia. Diabolus vero ſuo imperio hominem ſubjiciendo, crudeliſſime illi inſultat; & ut gigas quidam immanis & effrænatus debilem ſibi ſubjugat infantulum, ita in hominis anima furere cœpit & æſtuare. Hinc porro *Intellectus* obtenebratus eſt & occœcatus; *Voluntas* per in obedientiam a Deo averſa & omnes cordis vires contra Deum ita fuerunt concitatæ, ut ſatanica intoxicatæ malitia effrontem in modum Deo repugnent. Verbo: Tota Dei imago in homine jam trucidata jacet, Diaboli autem Imago in illo plantata, totumque humanum genus indole ſatanica ut contagioſo quodam *Semine* ita fuit impræg̃natum, ut homines gemini Satanæ filii facti, ex ipſo Diaboli ſemine diabolicam hauſerint imaginem omni vitiorum genere & adverſos Deum inimicitia, ut veneno quodam, coinquinatam. Ita æterna morte mortuus eſt homo! Sicut enim Dei Imago hominis vita erat ac beatitas: Ita Imaginis hujus defectus ipſa *æterna Mors* eſt & condemnatio, *Eph.* II, 1. *Col.* II, 13.

Mors ſpiritualis & æterna ex lapſu Adami.

Tentationes ſpirituales.

13. Hanc *Mortem* illi optime intelligunt, qui in graviſſimas ſpirituales tentationes conjecti, Diaboli rabiem tyrannidemque qua miſeras illorum animas ultra conſuetam peccati poteſtatem infeſtat, experiuntur. Niſi ſub hac cruce Spiritus ſanctus animæ affulgeat, & vivo ſubinde ſolatio reficiat eam; tum vero Diabolus hac morte hominem confodit, & tormentis

mentis anguſtiiſque infernalibus animam ex- LIB. I.
cruciat. Hinc omnes corporis vires concidunt, CAP.
cor arefcit ipſaque hominis medulla abſumitur, XLI.
ut *Pſ.* VI, 6, 8. XXXVIII, 7, 8. habetur. Ipſum verbum Dei exanime illi videtur, emortuum, & omni devotione vitaque ſpirituali vacuum. Et hæc eſt *Mors illa ſpiritualis* in quam anima eſt prolapſa. Anceps hic hæret omnium hominum ſanctitas, juſtitia, dignitas, robur, potentia, gloria, honor, artes & ſapientia; homine hoc dubio procul perituro, niſi gratia divina eaque ſola ſuccurrat. *Mors ſpiritualis.*

14. Diſce proinde, O homo, abominandam *peccati originalis* fœditatem ut omnium terribilium terribiliſſimum digne introſpicere. Per hoc enim hæreditaria Dei juſtitia amiſſa fuit, & hæreditaria injuſtitia a Diabolo hominibus implantata. Propter hoc peccator a Deo abjectus fuit & æternæ morti adjudicatus, eandem etiam citra controverſiam ſubiturus, niſi remiſſionem peccatorum propter Chriſtum per fidem conſequatur. *Quid ſit peccatum originale?*

15. Ut autem altius hanc animæ corporiſque corruptionem inſpicias, paulo uberius eandem hic explicandam cenſui; per Deum & ipſam tuam æternam beatitudinem obſecrans te ac monens, ut hunc de *originali pravitate* articulum iterum iterumque animo revolvas ac mediteris quotidie: quo naturalem tuam miſeriam & connatam malignitatem in te ipſo ut externam faciem in ſpeculo intuearis, & quod inde ſequitur, conſtanter lugeas & deplores.

16. Nihil enim aliud totus eſt *chriſtianiſmus*, quam aſſidua ſpiritus ducta cum *peccato originali*, ejuſdemque continua per Spiritum ſanctum ſeriamque pœnitentiam expurgatio. Quantum enim quiſque hanc naturalem ad malum propenſionem mortificat, tantum indies ad *Quid ſit chriſtianiſmus?*

LIB. I. CAP. XLI.

imaginem Dei renovatur. Et quotquot intus per Spiritum ſanctum non mortificantur, hypocritæ ſunt, utut externo ſanctitatis velamine ſat ſplendidam pietatis figuram exhibeant. Quicquid enim in ſeipſo mortuum non eſt, nec per Spiritum ſanctum ad imaginem Dei renovatum, id omne ad regnum cœlorum ineptum eſt.

Hypocritæ.

Neceſſitas Regenerationis.

17. Hinc vero jam relucet Regenerationis vel Renovationis ſumma neceſſitas. Quæ autem adhuc plenius pateſcet, ſi Diaboli Imaginem ſecundum legis normam conſideraveris. Sicut enim Diabolus Deum non modo *non amat*, ſed ex toto inſuper corde *odit*; ita humanam animam eodem contagio infecit, hoſtilemque ſuum animum adverſus Deum in illam tranſfudit; ita ut Deum jam non amet, non honoret, non invocet, ipſi non fidat, ſed plena contra illum inimicitiæ, ab ipſo aufugiat. Sicut Diabolus cœco mentis impetu abreptus, *ſine Deo* in diem vivit, parum ſollicitus de voluntate divina; ita pariter anima hominis ab eodem faſcinata, immemor Dei & illius voluntatis vitam agit. Quæ caligo & terribilis humanæ mentis nox horrendam prorſus deſtructionem lucis & imaginis divinæ inducit, & peccatum illud abominandum parit, quo homo ſibi relictus dicit: *Non eſt Deus*, Pſ. XIV, 1. Atque ob hanc cœcitatem totum genus humanum abominatio eſt coram Deo & Anathema in omnibus viis ſuis.

Homo naturaliter Deum odit.

Scintilla luminis naturalis in homine reliqua.

18. Quamquam autem ſcintilla quædam lucis naturalis remanſerit in intellectu, qua ſciat *eſſe Deum* aliquem *Rom.* I, 19. nec non *juſtum* illum eſſe, ut omnes docent ethnici philoſophi. Attamen *vita ipſa ſpiritualis* ſecundum Deum, & illius juſtitiam penitus in homine fuit extincta. Nam *Conſcientia*, quæ eſt lex Dei omnium

um hominum cordibus inſcripta in creatione, quemlibet docet quid bonum ſit. Si *incaſtum* conſideres, nemo adeo iſi carnis voluptatibus obrutuit, quin ſubinde ſecum cogitet: Deum eſſe, nec illum ſuis eſſe moribus præditum, ſed ſumme caſtum; proindeque fieri non poſſe, quin pollutionem quamlibet odio habeat, adeoque & ſibi *caſte* eſſe vivendum. Verum bona hæc cogitatio luciſque ſcintilla a fœdis corporis concupiſcentiis, haud aliter quam affuſa aqua igniculus, extinguitur, & ab æſtuante corruptæ carnis pruritu abſorbetur.

19. Ad eundem modum *calumniator* & *homicida* ſecum non nunquam ita ratiocinantur: Eſt certe Deus, qui verax eſt, hominesque *non occidi* vult ſed ſervari. Sed tenuis hæc melioris convictionis ſcintilla momentum ſaltem durat & a diabolica ira vindictæque dulcedine cito ſubvertitur. Ex quibus ſatis patet, vitam ſpiritualem, in *charitate* & *veritate* conſtentem, in homine carnali interiiſſe penitus & emortuam eſſe. Ita ethnicorum ſapientiores, utcunque ex lumine naturæ *Deum eſſe*, & eundem *humana negotia gubernare* ſubinde aſſerant, mox tamen tenebris cordis ſui abrepti, providentiam ſemel aſſertam dubiis iterum involvunt & ambiguitatibus; ut ipſorum libri teſtantur. Ex hac hæreditaria mentis cœcitate & connata nobis caligine *incredulitas* oritur, incertitudo animique fluctuatio; in qua cum omnes homines naturaliter verſentur, abominatio coram Deo ſunt; non enim in fide vivunt, nec in filiali erga Deum fiducia. Spiritualis hujus vitæ operumque ipſius penitus ignarus eſt homo naturalis. Hinc vero profanus, Deum non invocat, ſed ſuæ ſapientiæ, potentiæ & fortitudini confidit. Quæ maxima eſt mentis *cæcitas* & caligo.

Vita ſpiritualis in homine penitus mortua.

Cæcitas hominis naturalis.

LIB. I. CAP. XLI.

Semen Diaboli in homine.

20. Ex hac cæcitate oritur *contemtus Dei* carnalisque securitas. Sicut enim Diabolus se non humiliat coram Deo, sed in *superbia* obstinatus, Deo insultat; ita hominis animam iisdem vitiis, contemtu Dei, securitate & insolentia infecit. Unde ille coram Deo se non humiliat, sed ferox & insolens omnia ex sua sententia & animi arbitratu in se ipso gerit, timoris divini plane securus. Sicut Diabolus, *suis viribus suaque sapientia* fretus, seipsum regit; ita hominis anima Diaboli contagio infecta, sibimet ipsi sapit, consulit, præest. Sicut Diabolus *suum honorem* tantum quærit; sic homo divini honoris nullam, at proprii honoris unicam habet rationem. Sicut Diabolus adversus Deum *sævit* & bacchatur; ita hominis animam inquieto impatientiæ semine quo in Deum furit, imprægnavit.

21. Sicut Diabolus Dei nomen *blasphemat*, & erga creatorem suum extreme ingratus est. Sicut idem immisericors est iracundus & vindictæ cupidus; ita hominis animam eadem malignitate ut quodam pestilenti veneno contaminavit. Sicut Diabolus *dominari* in homines gestit, & sibi ipsi *vano honore* blandiri; ita homo eadem malitia tinctus insolenter se supra proximum effert, illum ut hominem nihili decipuit, ut stolidum ridet, & ut maximis peccatis flagitiisque pollutum abhorret. Sicut Diabolus *homicida* est; ita animam ad eandem humani sanguinis sitim extimulat. Denique illud etiam atque etiam in sublimi hoc negotio tibi persuadeas velim, Deum non *externa membra, sed COR sed ANIMAM semper accusare*. Cor enim & anima homicida est & mendax, non manus, non os. Itaque cum Deus homini præcipit, ut ipsum in necessitate invocet, *Ps.* L, 15; animæ hoc præcipit, non ori. Hoc qui non observat, hic vero in Scriptura tal-

Deus animam semper accusat.

pa

pa cæcior manet, nec naturam *peccati originalis, pœnitentiæ, regenerationis*, non denique ullum unquam christianæ Religionis articulum rite apprehendet.

22. Versatur quotidie nobis ob oculos hominum extrema malitia, horrenda superbia, immane odium, & belluina qua in se invicem grassantur invidia; adeo ut maligno infanæ mentis impetu correpti, suæ vitæ jactura alienæ insidiari non dubitent, & proximum penitus extinctum & perditum de terra cupiant. Quæ inhumana & detestanda invidia, ira & animorum virulentia, quid aliud est quam ipsum *Semen* Diaboli per hominem sparsum, & *Imago* ejus animæ insculpta. Et ita Diabolus seipsum in homine effigiavit!

Sanctum conjugium in statu innocentiæ.

23. Implantaverat homini Deus purum, castum, honestumque *affectum conjugalem*, ut liberos generaret ad imaginem Dei. Sanctior certe voluptas aut amor non extitisset illa, qua homo imaginem Dei genusque humanum ad gloriam Creatoris hominisque salutem propagasset. Imo si homo in statu innocentiæ infinitos liberos generare potuisset, & Dei honorem ac imaginem infinitis vicibus propagare, nihil gratius, nihil jucundius, nihilque prius illo habuisset. Omnia enim hæc ex puro erga Deum hominesque (ut tot Dei Imagines) amore, promanassent. Sicut enim Deus ex creatione hominis sanctam percipiebat voluptatem, illumq; ut imaginem suam in deliciis habebat; ita & homo purissimam voluptatem ex procreatione sui similis, & imaginis divinæ propagatione percepisset. Quæ autem hodierna conjugiorum sit ratio; & quomodo Satan purissimam hanc & castissimam conjugalis amoris flammam fœditatibus suis & sordibus inquinaverit, id quidem luce meridiana est clarius. Haud aliter enim quam belluæ commiscentur, & cæco furioso; ardore sui similes jam progenerant homines, *Gen.* v. 3. Vide

Abusus matrimonii.

ut

LIBRI I. CAP. XLI.

ut sanctum matrimonii fœdus ab impuro spiritu vitiis maculisque devastatum est & pollutum!

24. Porro sicut Diabolus *injustus* est *fur* & *praedo*; ita animam hominis eadem *indole furtiva* & *rapaci* imprægnavit. Sicut Diabolus *calumniator* est, sophista, sycophanta, & Dei hominumque subsannator, facta dictaque cujusque depravans & ad sensum falsum subdola interpretatione detorquens; (cujus artificii egregium specimen dedit, cum primos nostros parentes seduceret, *Gen.* III, 1.) ita anima hominis pestilenti Diaboli contagio corrupta, naturam ex illo hausit perversam, *mendacem*, & calumniandi carpendique artificem. Quæ diabolica indoles animæque corruptela tam horrenda est & *multifaria*, ut technas has & varias astus diabolici texturas verbis exprimere non videatur possibile: Vid. *Ps.* V, 10. *Rom.* III, 13, & *Jac.* III, 3, 5, 6. ubi lernam malorum, quam mendax hominis lingua producit, depingit, digito tamen semper intento ad ipsum *internum* Diaboli *venenum* quod in anima serpit. Deus enim ut supra monitum, non os tantum, linguas, manus & pedes, sed totum hominem in lege sua accusat, immo *cor* & *animam* ipsam, ut caussam omniumque malorum fontem; prout patet ex duobus ultimis decalogi præceptis de *fugiendis concupiscentiis*, Exod. XX, 17, 18. Quod probe & accurate est observandum.

Imago Diaboli.

25. Atque hæc est illa *Imago Diaboli* animæ humanæ tam alte insculpta, qua peccandi libidinem, calumniandi & obtrectandi puritum gaudium ducit homo. Quam multi qui in Principiis Christianismi satbene fundatos se credunt, quavis occasiones proximum suum traducendi captant, virusque suum in illum evomendi; quo deinde præstito sibi ipsi applaudentes dicunt: *Hui dudum anima meditabar; nunc sa-*

habeo

habeo; magno onere liberatus sum; quasi in vitam rediisse mihi videor, postquam morem animo meo gerens, tam egregium huic homini fucum feci. Eheu commiserandum hominem! Quanta tua cœcitas est, ut non videas, quis in talem te transformaverit calumniatorem & *Diabolum*? Et cujus hæc sit Imago quam circumfers? Videsne hanc ipsam esse Diaboli *indolem*, Diaboli *semen*, Diaboli *proprietatem*? Quam ille animæ nostræ implantavit, ut felici proventu vitiis omnis generis luxuriet, puta superbia, avaritia, libidine & calumniis; ut ipsa quidem quotidiana experientia satis superque testatur.

26. Ecce, O homo! Hæc est satanicæ imaginis sive *peccati originalis* corruptela fœda! horribilis! profunda! Hanc iterum iterumque intuere & in te ipsum descendens, disce, Diaboli Imaginem ac perversam indolem per animam tuam esse diffusam, adeoque hanc abominandum in modum eousque vastatam esse, ut profundam humani cordis malignitatem perscrutari nemo valeat. Imo tuipse non satis perspicere potes nec verbis exprimere detestandum illud virus quod in præcordiis serpit. Obsecro itaque & obtestor quemlibet ut ea quæ de humani cordis pravitate scripsi, ita secum revolvat, recolat cogitetque, ac si millies millieſque ingesta fuissent & inculcata. Tam magna enim hæc virulentia est, tam pestifera, tam alte inhærens, ut nulla creatura, sive Angelus sit, sive homo, delere illam valeat, extirpare & expurgare ex hominis natura. Omnes omnino hominum vires peccati hac energia longe sunt inferiores. Quomodo enim aliquis salutem suam operari poterit ex propriis viribus, quæ non nisi depravatæ sunt & ad *spiritualia* emortuæ? Æternum itaque miser sit homo, æternumque his pollutionibus immersus

Nulla creatura potest peccatum extirpare.

LIB. I. CAP. XLII.

mersus jaceat necesse est, nisi peccati vindex & extirpator in auxilium veniat, præpotensque mali ac mortis Dominus adsit, cujus divina virtute renovetur, transformetur & purificetur inquinata hominis natura.

Vires hominis naturales.

27. Ex his jam pateſcet, *justificationem* non esse opus aliquod humanum. Similiter Regenerationem summe necessariam esse collapsæ hominis naturæ. Anima enim secundum internum pravitatis principium & connatam malignitatis indolem *impie* etiam vivat, & omnia supremi Numinis præcepta (*prima* præcipue tabulæ, utpote ex cujus transgressione *inimicitia contra Deum* eo altius relucet) audaci transgressione violet necesse est, *Intellectu* & *Voluntate* adeo corruptis & emortuis, ut Deum timere, amare, invocare, honorare, laudare, colere, illi fidere & ad illum se convertere secundum naturalem suam propensionem nullo modo possint. Quod vero *secundam* tabulam attinet, agnosco sane in anima residuam aliquam liberi *arbitrii* scintillam utcunque debilem tenuemque remansisse: Ea tamen *externa* saltem regit opera & pravas concupiscentias intus æstuantes coercet, ne in ipsos erumpant actus; (in quam rem extant *Ethnicorum* virtute illustrium exempla;) cor autem immutare, ad Deum convertere, a pravis concupiscentiis repurgare, majus opus est & tantum virium divinarum. Nam intimæ mali radices ac fibræ inhærent penitissime, sic, ut universus ille conatus hoc tantum præstare videatur, ne incendium flammis undique effusis omnia consumat; aut intus sub favillarum tegmine candescat ignis totusque vivus permaneat.

Liberi arbitrii vera explicatio.

28. Nisi *Libero huic arbitrio* vita naturalis & externa rerum humanarum gubernatio aliquo

liquo modo ſubeſſet, vel ſponte corrueret genus humanum. Licet enim ſummam crudelitatem in homine exercuerit Diabolus, non paſſus tamen eſt Deus, ut omnes omnino vires naturales & affectiones ex hominis anima evelleret. Remanſit utique *Lex naturæ* & amor ille naturalis conjugum, parentumque & liberorum reciproca charitas, ſine quibus humanum genus non poſſet ſubſiſtere. Qui enim omnia, ad quæ prono corruptæ naturæ impetu rapitur exequi velit, hunc ſane ſocietatem humanam peſſundare & in vindicem ſecularis poteſtatis gladium ruere, neceſſe eſt. Deinde ſingulari Dei conſilio factum cenſeri debet, quod naturalis illa amoris flammula non fuerit penitus extincta, ut ſcilicet hac mediante ad ipſum divinum amorem ex omni parte perfectum, ſed triſti *Adæ* apoſtaſia amiſſum, aſpiraremus iterum, & hujus dignitatem ex illius ſenſu aliquantulum metiremur. Quod autem bona ſpiritualia, beatitudinem & regnum Dei concernentia attinet, vero certe verius eſt illud *Pauli* 1 Cor. II, 14: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere*: hoc eſt, ne ſcintillam quidem luminis ſpiritualis habet homo, ſed prorſus cæcus in illis quæ ad vitam cœleſtem divina ſunt, faciunt. Cum tamen creatus ſit homo eum in finem, ut lumine ſpirituali colluſtratus, internis animæ oculis Dei præſentiam illiuſque ſinceriſſimam erga ſe charitatem jugiter contemplaretur, cum illo viveret, & ab illius nutu & imperio per vitam univerſam penderet.

LIB. I. CAP. XII.

Amor naturalis cur in homine reliquus?

Homo natus ad vitam ſpiritualem.

29. Atque hujus ſpiritualis lucis in regno Dei fulgentis homo naturalis ne ſcintillam quidem habet, inque hæreditaria hac & connata

LIB. I. CAP. XLI.

Cæcitas naturalis.

nata cæcitate manere omnes illos oportet, qui divinitus non illuminantur. Ad quam utinam se non adjungeret *cæcitas naturalis*, peccatique ingravescens energia! quæ tanta sæpe est, ut etiam exiguum illud tenuemque lumen naturæ, quod subinde in anima scintillat virtutemque moralem & externam vitæ honestatem regit, extinguatur. Quod ubi sit, tum vero anima tota cæcitate est percita tenebrisque involuta, æternumque in hoc statu mansura nisi a Christo illuminetur.

Homo nihil est extra Christum.

30. Quid es igitur, O homo, nisi te Christus per Spiritum suum regeneret, novam te creaturam reddat, & ad Dei imaginem renovet? Id quod tamen in hoc mundo *inchoatur* saltem sub variis infirmitatibus. Nam si teipsum, qui per Spiritum sanctum nova creatura es, altius paulo inspexeris, nonne

Magna infirmitas est etiam in filiis Dei.

patefecit imaginem Dei leviter tantum in te esse delineatam? *Fidemque, spem, charitatem* & *timorem Dei* intra exordia tantum consistere? *Humilitatem* exiguam, at vero diffidentiam, superbiam & impatientiam multo altiores in pectore egisse radices. Nonne deprehendis *orationem* debilem esse tepidamque & *charitatem proximi* infirmam? Adhæc *castitatis* spiritualis quam tenuis scintilla in corde resideat, & quam flagrans est carnalis voluptatis impetus, qui intus ardet? Quam magna est philautia, commodi & honoris proprii studium, malarumque concupiscentiarum æstus per præcordia diffusus? Unde consequitur, ad

Luctæ interna.

ultimum usque vitæ halitum, assidue & sine intermissione, cum vetere *Adamo* & Diaboli in nobis imagine per Dei Spiritum luctandum esse certandumque. Hic nihil magis curæ cordique nobis sit, quam orare, gemere, suspirare, petere, quærere, pulsare, ut detur nobis

nobis Spiritus ſanctus, qui imaginem Diaboli quotidie in nobis aboleat, & viciſſim ad Dei imaginem nos renovet. LIB. I. CAP. XLI.

31. Ex quo intelligere poteris, non tibi ipſi, ſed divinæ ſolum Gratiæ unice adhærendum eſſe fidendumque, ut hæc nimirum omnia in te operetur. Quærenda, petenda & impetranda a Chriſto & ex Chriſto per fidem ſunt omnia. Divina cognitio & ſapientia contra tuam cæcitatem. Chriſti juſtitia contra peccata tua univerſa. Chriſti ſanctificatio contra tuam impuritatem. Chriſti redemptio, virtus, victoria & fortitudo adverſus mortem, infernum & Diabolum; veniaque omnium delictorum adverſus totum peccatorum Satanæque regnum. Æterna denique beatitudo contra omnes ſpirituales & corporales ærumnas ac miſerias. Et hoc modo in ſolo Chriſto vita æterna obtinenda eſt. De quo *LIB.* II prolixius. *Uſus doctrinæ hujus capitis.*

CAPUT XLII.

Ratio *ORDINIS* Primi Libri. Vitanda ſpiritualis ſuperbia. Nulla vera & cœleſtia dona abſque oratione obtineri poſſunt.

1 Cor. IV, 7. *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

PRiuſquam huic libro *finem* imponam, de uno vel altero capite monendum lectorem duxi.

2. *Primum* eſt, quod per totum hunc librum *pœnitentiam cum ſuis fructibus*, puta *renovatione in Chriſto, mortificatione carnis, continua abnegatione ſui ipſius, contemtu mundi, exercitio Charitatis,*

LIB. I. CAP. XLII.

Charitatis, &c. adeo diversimode & copiose descripserim, ut quot hujus libri extant capita, tot fere *pœnitentiæ fructus* proponantur lectori. Id quod sine prægnantibus caussis a me factum non est. Est enim in primis *POENITENTIA* exordium & fundamentum veri christianismi vitæque sanctæ, & ipsius beatitudinis nostræ primordium per fidem. Deinde veræ solidæque consolationis potentia in hominis animo degustari nequit, nisi primum *peccati originalis*, (heu! mali hujus nunquam satis deplorandi!) mali inquam hujus horribilis pestiferi, lethalis, infernalis & diabolici naturam fructusque altius perspexerit. Quod nisi fiat, & homo ante omnia suam miseriam, adeoque *peccati originalis* terribilem corruptelam probe cognoverit, in vanum sunt omnes libri si evangelicis consolationibus vel maxime abundent. Quod studio observandum, ne corruptæ naturæ fallacia decipiamur, quippe quæ cum delicatula sit & sibi ipsi blande palpari gestiat, neglecta hac originalis mali cognitione in intempestiva solamina ruit, veteremque Adamum variis blanditiis demulcere satagit.

Pœnitentia est initium christianismi.

Consolatio intempestiva.

3. Hæc autem agendi ratio perversa est & toti salutis œconomiæ in Scriptura exhibitæ, contraria. Hujus enim effatum est, *medicinam non sanis, sed agris tantum esse faciendam*, Matth. IX, 12. Sane Christus, verus alioqui animarum nostrarum Medicus, ejusque meriti panacea, cum omnibus vulgo expetitis consolationibus, nullius usus est, ubi agnitio morbi non antecesserit. Adeo tota vita christiana aliud nihil est, quam *assidua & quotidiana carnis crucifixio*. Et hoc qui faciunt, (inculcandum est hoc iterum iterumque) illi Christi tantum esse possunt, *Gal.* V, 24: Hos vero

Vita christiana.

vero nunquam orphanos & puriſſimi gaudii cœleſtiumque conſolationum expertes prorſus relinquet; cum hæc, de qua ſermo eſt, propriæ miſeriæ, corruptionis & *infirmitatis cognitio* per Spiritum ſanctum & Evangelii meditationem excitata, ex ſe & ſua natura ſolidiſſimas conſolationes pariat, & ad Chriſtum perennis gaudii fontem ducat.

4. Quæ cum ita ſint, monendus es lector, ne fatua & frivola mundanorum hominum judicia moreris: illudque tibi perſuadeas, iſtos *empæstas* quibus jam terrarum orbis abundat, genus hominum cœcum eſſe & commiſerandum. Homines inquam propriæ miſeriæ & naturæ apoſtaſias penitus ignaros, & quid *Adam* & *Chriſtus* ſit, ac quomodo ille in nobis *mori*, hic autem *vivere* debeat, nec per ſomnium quidem intelligentes. Quiſquis autem hanc lectionem faſtidit, eum certum eſt ignorantiæ tenebris animum habere ſuffuſum; nec noſſe, quid *Pœnitentia* ſit, quid *Fides*, quid *Regeneratio*; in quibus tamen totius chriſtianæ Religionis cardo verſatur & potentia. *Fatua judicia de his libris.*

5. *Alterum* eſt, ut contra *ſpiritualem ſuperbiam* probe animum munias, poſtquam Deus per ſuam gratiam dona quædam ſpiritualia, novas virtutes, novamque cognitionem in te operari incepit: Ne quid ſcilicet horum tuis viribus, ſed divinæ gratiæ omnia in ſolidum adſcribas. Vide etiam ne vitæ ſanctæ exordia *juſtitiam* coram Deo interpreteris, utpote quæ ſub multis adhuc imperfectionibus langueſcunt. Deinde Diaboli technas caveas, qui tritico lolium ſuperaddere nunquam ceſſat. Cave donis tibi conceſſis ad propriam gloriolam abutaris. E contrario vero quantum novorum donorum poſſides, in humili timore Dei, in ſummum æternumque illorum *Superbiæ ſpiritualis tres ſpecies.*

LIB. I. CAP. XLII.

Remedia contra ſuperbiam ſpiritualem.

Autorem unice refundas, tibi ipſi eouſque omnia derogando, ut nec in corde quidem cogites: *O magnam fidem meam! Magnam cognitionem! Magna dona quæ habeo.* Nam nihil horum tuum eſt; ſed Dei, abſque cujus illuminatione mortua manes, fœda viliſque moles. Itaque *Dona* illa non magis tua ſunt, quam ciſtulæ gemmæ & lapides pretioſi: in qua ſicut gemmarius theſaurum ſuum deponit; ita in te ſua bona collocat Deus; ſine iſtis autem vacuum vas es & inane. Nonne vero magna ineptia fuerit, capſulam de alieno bono gloriari & ſuperbire? (De quo autem plura *Lib.* II. erunt dicenda.) Sicut enim gemmarius quando & quoties illi libet, theſaurum ex una in aliam ciſtulam transferendi, vel penes ſe geſtandi, plenam habet poteſtatem: Ita Deus ſingulis momentis dona ſua a te auferre poteſt inque alium transfundere. Ne itaque *effertor animo, ſed metue*, Rom. XI, 20.

5. Adhæc cogites, Deum ſeveram rationem de *bonorum uſu* exacturum. Et quantacunque ſint, quæ Pater cœleſtis per Chriſtum apud te depoſuit, credas, initia tantum eſſe & primitias ſolidiorum gratiarum, nec ad metam te jam perveniſſe putes. Deinde tua intereſt ſcire, nullum perfectum donum niſi per *Orationem* a Deo obtineri, *Jac.* 1, 17. Citra hanc quæcunque habes, ea vero umbræ ſaltem ſunt & *ſemina emortua*; adeoque cum maturitatem non attingant inutilia, prorſus fructumque non ferentia. Ut ex *libello* meo *precationum* (c) intelliges, ubi per exempla do-

Nullum donum utile ſine oratione obtinetur.

(c) *Arndii* libellus precum *qui hic citatur*, Hortulus Paradiſaicus *inſcribitur. Ex hoc aliquæ precationes latine reddit.e leguntur in* Enchiridio Precum, *Londini anno* 1707, *impreſſo.*

cetur,

cetur, ſine Oratione nullum cœleſte donum in cor hominis deſcendere. Cujus libelli ut præguſtum aliquem habeas, ſuadeo ut ea legas, quæ in ſequenti *libro de Oratione* dicentur.

6. *Duo* autem præcipue ſunt, in Oratione iterum iterumque obſervanda: Unum eſt *Imaginis diabolicæ in anima deſtructio*; quo nomine venit incredulitas, ſuperbia, avaritia, libido, ira & quæ ſunt hujus generis: Alterum eſt *Imaginis divinæ inſtauratio*; qua continetur fides, ſpes, charitas, humilitas, patientia, manſuetudo, timor Domini. Quæ in *Orationem dominicam* divino artificio breviter ſunt contracta; ut dicere liceat, illam ex parte pro nobis, & ex parte contra nos facere. Nam ſi *Dei Nomen ſanctificandum eſt*, tuum omnino intereat cum tota veteris *Adami* ſuperbia. Si *Regnum Dei ad te debet venire*, diabolicum evertatur. Si *Dei Voluntas exequenda eſt*, tua voluntas abneganda. Atque hæc duo capita ad *libellum precationum*, ut utilis ſit, requiruntur; adumbrata, ſicut dicebam, in *Oratione dominica*, quæ quandam cœleſtium & temporalium donorum ſynopſin exhibet. Quæ, quia dilectus Filius Dei petere præcepit, ea proinde patrem ipſius cœleſtem multo libentiſſime nobis donaturum, certius eſt, quam ut in dubium aut quæſtionem venire debeat. De quo alias ſuo agendum erit loco.

Orationis dominicæ ſumma.

Pro Cognitione Sui-ipsius.

[Ex Enchiridio Precum *Londin.* 1707. *impresso desumpta & summam Lib.* I. *de* Vero Christianism. *exhibens.*]

OMnipotens Deus! *Te supplex obsecro, ut oculos mentis meæ cœlesti Tua luce ita perfundere digneris, ut lapsum meum deplorandum in Adam digne introspiciam! Divinum Tuum verbum aperte pronunciat,* Intellectum *meum esse obtenebratum*; Rationem *rebellem & cœlesti verbi tui dictamini contrariantem*; Voluntatem *purissimæ voluntatis tuæ impulsui oppositam & jugi plane impatientem. Declarat verbum tuum* Mentem *lapsi hominis &* conversationem *esse vanam*; Cor *obduratum*; Vitam *à vita Dei abalienatam*; Conscientiam *peccatorum mole obrutam*; Oculum *internum contra influxum lucis tuæ clausum*; Aurem *obtusam*; Guttur *sepulchrum apertum*; Linguam *ad dolum propensam*; Labia *veneno aspidum infecta, &* Os *diris & amaruleutiæ plenum esse. Non tantum* Passiones *meas & inclinationes in seculi amorem immersus esse & à quieta* Pacis via *longissimè declinare, verbum legis tuæ manifestat, sed &* Corpus & *omnia omnino* Membra *sub duram Peccati servitutem redactu esse, perhibet.*

Eheu Domine! Quam inexhausta est abyssus miseriæ meæ, & impenetrabilis profunditas depravationum naturæ! Largire Benignissime Deus! ne hanc lamentabilem lapsæ naturæ descriptionem tantum, ut in verbo tuo consignatam legam, sed ut ipse vividô exinde sensu perculsus, ex abysso miseriæ meæ abyssum misericordiæ tuæ invocem, & humilis ad Thronum Gratiæ devolutus, purificantis virtutis è Christo, magno collapsæ naturæ instauratore

ſtauratore derivandæ, particeps ſiam, vt malignum ſemen peccati mortificetur, ſemen autem verbi regenerantis reviviſcat! Vt tenebrarum potentia pulsâ, Intellectus divina luce colluſtretur!) Vt ægræ Rationis intemperie ſanata, illa ſub Fidei obſequio placidè conquieſcat, & ſpiritui activitate ſua inſervire diſcat! Vt inquietæ voluntatis impetu ſublato, voluntas mea tuæ voluntati ſubdita fiat! Vt Mens & Converſatio mea, vanitatis jugo excuſſo, veræ quæ in Chriſto eſt Simplicitati *adhæreat! Vt Cor obduratum molleſcat! Vita mea cum Vita Dei ſuaviter conſpiret! Conſcientia abjecto iniquitatis dominiô, ſub influxu divinæ Gratiæ omnes animæ Facultates gubernet! Vt Oculus interior ad recipiendam veritatis lucem aperiatur, auditusque idoneus evadat ad divinas inſpirationes percipiendas!* 2 Cor. 11, 3.

Concede Domine, ne ſuperficiarie & obiter hanc corruptionis naturæ abyſſum introſpiciam, nec peccata ſaltem craſſiora expurgem; ſed ut frequenti ac conſtanter iterato humilitatis exercitio radicem ipſam, fontem ipſum ac ſemen, Amorem *nimirum* Proprium *ex quo univerſa propullulat vitiorum ſeges, agnoſcam, & mortificationis ſecuri ad radicem poſita, ita illam enecem, ut radix, fons & ſemen Gratiæ in Chriſto exhibitæ, eo latius per animæ potentias ſeſe diffundere poſſit ac dilatare.* 2 Tim. 3, 2.

Sed cum ipſe ego in tantum occœcatus ſim, ut proprias mentis tenebras ſine tuo lumine non agnoſcam, & tam deſperato morbo correptus, ut omni fere ſenſu extincto, morbum ipſum non ſentiam, removeas omnia illa impedimenta, quæ ſalutiferam MEI-IPSIUS Cognitionem obſtruunt, ut retecta facie miſeriæ meæ abyſſum ex una parte videam & deplorem; ex altera vero uberrimas miſericordiæ tuæ emanationes ſentiam & deguſtem! Amen!

JO.

ARNDTII

CHRISTIANISMI

LIB. II

PARS PRIOR.

JO. ARNDTII

DE

VERO CHRISTIANISMO

LIB. II

PARS PRIOR.

Auguſt. de Agon. Chriſtian. *cap.* XI.

Erigat ſpem ſuam genus humanum & recognoſcat naturam ſuam & videat quantum locum habeat in operibus Dei.-----O medicinam omnibus conſulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabeſcentia reficientem, omnia ſuperflua reſecantem, omnia neceſſaria cuſtodientem, omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigentem!

MONITUM:

ARNDII Præfationem in *LIB.* II. *Veri Christianismi* Tomo hujus operis posteriori præmissam deprehendet Lector.

LIBRI SECUNDI DE VERO CHRISTIANISMO

CAPUT I.

Chriſtum Jeſum Filium Dei a Patre noſtro cœleſti datum nobis eſſe in medicinam & ſalutis fontem, contra lethale & perniciosſum peccati originalis venenum omneſque hujus fructus, & qua animæ qua corporis ærumnas & afflictiones.

Jeſ. XII, 3. *Hauritis aquas cum gaudio de fontibus ſalutis.*

NAturæ noſtræ depravatio & *peccati originalis* morbus, quia ex ſe immanis eſt, mortalis, exitialis, cunctiſque creaturis immedicabilis; ad hæc ex Diaboli ira, odio invidiaque profectus, (*Gen.* III, 1. *Sap.* II, 24.) medicamen requirit illuſtre, penetrans, generoſum & ex divinæ miſericordiæ fonte hauſtum. Deinde, quia omnes malitiæ ſuæ artes ac verſutiæ nervos intenderat Diabolus, ut genus noſtrum inficeret, perimeret

Ingens morbus ingens requirit medicamen.

LIB. II. CAP. I.

perimeret ac damnaret; ea propter ſimiliter Deo placuit, imperſcrutabilem ſapientiam & profundam miſericordiam per Filium ſuum adhibere, ut ſanaret nos, vivificaret ſalvaretque. Eum in finem divinum Chriſti *Sanguinem* medicinam noſtram ac peccatorum noſtrorum emundationem conſtituit, *carnemque* illius vivificam pro pane vitæ, *vulnera* ſacroſancta pro panacea, *mortem* denique ſanctiſſimam pro mortis, qua temporalis qua ſempiternæ, deſtructione nobis exhibuit, 1 *Jo.* I, 7. *Act.* XX, 28. *Jo.* VI, 39. *Jeſ.* LIII, 5. *cap.* XXV, 8.

Tanta hominis eſt imbecillitas, ut cæleſtem medicinam ſuis viribus ſumere nequeat.

2. Atque hanc talem tantamque medicinam, propter immenſam virium noſtrarum debilitatem, naturamque cœleſti pharmaco repugnantem, nosmet ipſi nequidem *ſumere* valemus. " Quocirca, O benigne, cœleſtis & " ſalutaris Medice, non eſt quod me maneas, " nunquam ad ſanitatem de meipſo perventu- " rum! *Trahe autem me ad te!* Cant. I, 4. immo " me totum mihi ipſi eripe, & in teipſum aſ- " ſume, ut me totum ſanare queas. Sin in " morbo meo me relinquis, de me actum eſt, " perii! *Converte me ergo, O Deus, & con- " vertar: ſana me Domine & ſanabor: ſalvum " me fac, & ſalvus ero; quoniam laus mea tu " es,* Jer. XXXI, 18. XVII, 14. Quoad tu " differs miſericordiam tuam, tantiſper ego in " morbo meo & morte permaneo! Donec tu " me vivificaveris, vincula me mortis cir- " cumdant. Unde clamat *David: Domine, " ad adjuvandum me feſtina! Adjutor meus & " liberator meus es tu; Deus adjuva me!* Pſ. " LXX, 6.

3. " An enim miſericordia tua infirmior eſt, " quam ut me hominem, omnibus modis mife- " rum, erigere poſſit, quia propriis viribus me " erigere non valeo? Non tanta tua eſt huma- " nitas,

" nitas, ut ad me venias, cum ad te venire mea infirmitas mihi non permittat? Memento Domine, quod *dilexeris me, antequam ego te diligerem*, 1 Joh. IV, 19. Recordare misericordiæ tuæ, quæ sua magnitudine te-ipsum vincens, cruci te confixit & morti adjudicavit. Recordare charitatis tuæ, quæ tanta fuit, ut te capere, ligare, crucifigere & occidere valuerit. Illius dico charitatis, *qua dilexisti nos, cum essemus mortui peccatis*, Eph. II, 1, 5; maluistique mortem subire ipse, quam ut nos in morte & inferno æternum maneremus. LIB. II. CAP. I.

4. " Misericordiæ tuæ est, quod totus noster es, quod nobis natus, nobis infans factus, nobis datus, pro nobis victima effectus, & pro omnibus a Deo Patre ceu agnus immolatus, & *medium* constitutus es, per quod omnis generis in nos derivarentur Bona. O donum immensum, bonum gratuitum, bonum nostrum & proprium! In hoc jam, christiane, admirabilem Dei sapientiam animadverte; qui sane seipsum nobis in *proprietatem* tradidit per ipsum æternum suum Bonum; ut & vicissim nos in ipsius transiremus *proprietatem*; 1 Cor. VI, 19, 20. Quisquis enim tale tantumque bonum acceptat, hic eo ipso de se ipse exit & datoris proprius efficitur. Qui vero aliquid ut *proprium* & suum possidet, illo sane utitur ex animi sui sententia ad rem suam ampliandam. Similiter ergo Christus *noster* est effectus, ut illo ad salutem nostram utamur, prout volumus quaqua ratione. Et certe, O christiane, licet tibi illo uti ut salutifero animæ tuæ *Pharmaco* ad te sanandum; ut *cibo* & *potu*, ad te sustentandum; ut *fonte vitæ*, ad animæ sitim extinguendam; ut *luce* ad tibi in tenebris præluçendum,

Varius usus & gustus panis cœlestis.

tendum; ut *gaudio* in luctu; ut *advocato* contra adversarium; ut *sapientia* contra tuam stultitiam; ut *justitia* contra peccata; ut *sanctificatione* contra tuam fœditatem; ut *redemptione* contra tuam captivitatem; ut *propitiatione* contra damnationem; ut *absolutione* contra sententiam peremptoriam; ut *pace* & tranquillitate contra malam conscientiam; ut *victoria* contra omnes inimicos; ut *athleta* contra tuos persecutores; ut *sponso* animæ tuæ; ut *mediatore* contra iram Dei; ut *victima* pro peccatis tuis; ut *robore* contra tuam infirmitatem; ut *via* contra errores; ut *veritate* contra mendacia; ut *vita* contra mortem; ut *consiliario*, cum nullum consilium suppetit; ut *patre* æterno, cum derelictus es; ut *principe pacis*, contra hostes; ut *virtute* contra imbecillitatem; ut *lytro* ad debita tua expungenda; ut *gloriæ corona* contra contemtum; ut magistro, contra tuam ignorantiam; ut *judice* contra tuos adversarios; ut *rege* contra regnum Diaboli; denique ut *summo Sacerdote* æternoque, qui pro te oret ac intercedat.

5. Ecce, O Christiane! Ad hæc Christus datus tibi donatusque est. Modo Deum ora, quo digne ut par est, illo utaris, utque ipse salutare suum officium vivide in te exerat adimpleatque. Nam si ipse tuum sit *Pharmacon*, non potes non convalescere; Si *Panis* tuus, anima tunc tua non esuriet; Si *Fons vitæ*, non sitiet; Si *Lumen* tuum, non manebis in tenebris; si *gaudium* tuum, quis contristaverit te? Si *advocatus* tuus, quis causam contra te dixerit? Si *veritas* tua, quis te seduxerit? Si *via* tua, quis te in avia duxerit? Si *vita*, quis te occiderit? Si *sapientia*, quis te deceperit? Si *justitia* tua, quis te damnaverit? Si *sanctificatio* tua, quis te abjecerit? Si *redemtio* tua, quis te captivum tenuerit? Si tua *pax*,

quis

quis te turbaverit? Si *propitiatio*, quis te judicaverit? Si *absolutio* tua, quis reum te egerit? Si *propugnator* tuus, & in certamine defensor, quis vulneraverit te? Si *sponsus* tuus, quis illi te eripuerit? Si *lytrum* tuum, quis propter debita te carceri commiserit? Si *gloria* corona, quis contumelia te affecerit? Si *doctor* tuus, quis te castigaverit? Si *judex* tuus, quis te offenderit? Si *reconciliatio* tua, quis exosum apud Deum te reddiderit? Si *mediator*, quis te Deo inimicum effecerit? Si *intercessor* tuus, quis accusaverit te? Si *Immanuel* tuus, quis tibi adversatus fuerit? Si *rex* tuus, quis ipsius regno te ejecerit? Si *summus* tuus *pontifex*, quis ipsius victimam & intercessionem repudiaverit? Si denique *Salvator* tuus, quis te infelicem reddiderit? Atque hoc tali tantoque dono ecquod majus excogitari poterit? Est enim majus & pretiosius hominibus universis, immo ipso mundo & totius mundi peccatis, miseria & calamitate. Quippe hic Christus *TOTUS* noster est quoad divinitatem & humanitatem. Nam cum per peccatum, maximum nostrum thesaurum & summum æternumque Bonum, puta Deum ipsum, amisissemus; placuit Deo nobis reddere in *Christo* id, cujus jacturam feceramus in *Adamo*. Qui proinde merito *IMMANUEL* vocatur, *Jes.* VII, 14. ut sciamus, in Christo cum Deum tum fratrem nos habere.

Totus Christus theanthropus cum omnibus suis bonis noster est.

6. Atque hoc est illud *BONUM* immensum, infinitum & inestimabile, a Deo in Christo adversus quasvis ærumnas & calamitates nobis collatum! Hoc si digne intellexeris, nullum infortunium tam magnum erit, nulla calamitas tam gravis quæ inde superari nequeat. Christus enim tibi est *OMNIA* & ex Christo omnia bona ad te redeunt; adeo ut

ipse

ipse totus ad te pertineat, non tantum crucifixus, sed etiam glorificatus Christus, cum Majestate sua universa; juxta illud 1 *Cor.* III, 22: *Omnia vestra sunt; sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura, omnia enim vestra sunt; vos autem Christi, Christus autem Dei.*

7. Eheu nos miseros, abjectos, maledictos & damnatos peccatores! Ecquo tandem modo ad tantum taleque donum pervenimus? Etenim tu, O Domine Jesu, es nobis

JEHOVAH justitia,
Mediator Dei & hominum,
Summus sacerdos,
Unctus Dei,
Agnus immaculatus,
Sacrificium propitiatorium,
Impletio legis,
Desiderium Patriarcharum,
Inspirator Prophetarum,
Magister Apostolorum,
Doctor Evangelistarum,
Lumen confessorum,
Corona martyrum,
Laus sanctorum,
Resurrectio mortuorum,
Primogenitus ex mortuis,
Beatorum gloria,
Angelorum lætitia,
Mœrentium consolator,
Peccatorum justitia,
Afflictorum spes,
Miserorum refugium,
Advenarum custos,
Peregrinantium comes,
Errantium via,
Derelictorum auxilium,
Languentium virtus,

Protector

Protector simplicium,
Fortitudo rectorum,
Merces justorum,
Charitatis incendium,
Auctor fidei,
Ancora spei,
Flos humilitatis,
Rosa mansuetudinis,
Radix virtutum,
Exemplar patientiæ,
Orationis inflammatio,
Arbor sanitatis,
Fons beatitatis,
Panis vitæ,
Caput Ecclesiæ,
Sponsus animæ,
Margarita pretiosa,
Petra salutis,
Lapis vivus,
Hæres omnium,
Rex gloriæ,
Salus mundi,
Triumphator inferni,
Princeps pacis,
Leo fortis,
Pater futuri seculi,
Dux ad patriam,
Sol justitiæ,
Stella matutina,
Cœlestis Jerusalem inextinguibile lumen,
Candor lucis æternæ,
Speculum sine macula,
Splendor divinæ Majestatis,
Imago paternæ bonitatis,
Sapientiæ thesaurus,
Æternitatis abyssus,
Principium sine principio,
Verbum continens omnia,
Latitudo complectens omnia,

Vita

Vita vivificans omnia,
Lux illuminans omnia,
Veritas judicans omnia,
Consilium moderans omnia,
Norma dirigens omnia,
Amor sustentans omnia,
Totumque omnium bonorum compendium.

Et hoc est sublime illud & infinitum donum, quod in miseros mortales divina contulit clementia.

CAPUT II.

Quomodo quilibet Christianus hanc Evangelii consolationem sibi vendicare & applicare debeat.

Luc. XIX, 10. *Venit filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat.*

Promissiones salutis universales.

PRimum fundamentum, quo nititur universalitas remissionis peccatorum & meriti Christi, sunt promissiones *universales*, inter quas non postrema est illa *Luc.* XIX, 10. modo commemorata. Etenim si certum est, Christum venisse, *ut salvos faciat eos, qui perierant*, quis dubitet, illum te quoque esse quæsiturum & salvaturum, si modo de numero *perditorum* fueris? Similiter *Act.* XVII, 30. dicitur: *mandasse Deum, ut omnes agant pœnitentiam, eo quod statuit diem, in quo juste judicaturus est orbem.* Quod argumentum consolatione omnino abundat, & vis ejus & nervus huc redit: Christus judicaturus est orbem terræ, *ideo* jubet Deus omnes pœnitentiam agere, ut tremendum æternæ condemnationis judicium effugiant. Nec aliter *Petrus* 2 Epist. III, 9: *Deus non vult perire aliquos, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Quæ dicta sane evi-

Conclusio plena consolatione.

denter

denter *universalem* Dei gratiam erga te arguunt; qua *Manasses* peccator maximus, fretus, ita orat v. 6, 7: *Tu Domine secundum multitudinem benitatis tuæ promisisti pœnitentiam & remissionem, non iis qui contra te non peccaverunt, sed peccatoribus in salutem.* Quem proinde & tu imitari stude. Nam Deus istiusmodi exemplis voluit testari, se paratum, pœnitentiam pro peccatis acceptare.

2. *Secundum* fundamentum est *juramentum*, quo Deus, ne quis dubitandi locus relinqueretur, *universalem gratiæ suæ promissionem* asseruit. *Ezech.* XXXIII, 11: *Vivo ego, dicit Dominus Deus; nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat:* (Quomodo enim morte impiorum delectetur, qui ipsa est vita?) *Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei.* En! Deus peccatores vult converti! Et dubitas, te, qui peccator es, a Deo ad conversionem impelli? Atque hoc jusjurandum exponens *Paulus* 1 Tim. I, 5 ait: *Fidelis sermo, quod Christus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere.* Quod si salvandorum peccatorum causa Christus in mundum venit, tu sane ex eorum numero es, propter quos venit.

Dei jusjurandum pertinet ad omnes peccatores & impios.

3. Præterea, quod peccatorum memoriam deponere velit Dominus, *eer* pollicetur. Primum *Jes.* XLIII, 25: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Secundo *Jer.* XXXI, 34: *Et hoc erit pactum; quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.* Tertio *Ezech.* XVIII, 22: *Si impius egerit pœnitentiam, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.*

4. Causa vero, quare Deus peccatorum se non recordaturum promittit, est sufficientis-

Cur Deus peccatorum obliviscatur?

sima satisfactio & reconciliatio. Quod enim satis superque solutum est, id oblivione quoque est obliterandum. Deus autem semel & plene reconciliatus & placatus per sanctissimam Christi victimam, nec amplius jam irasci, nec peccatorum perpetuo recordari potest.

5. Porro hoc jusjurandum repetit Deus, *Jes.* XLV, 22, 23: *Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ. In memetipsa juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, & non revertetur.* Quod juramentum declarans epistola ad *Ebr.* cap. VI, 17, 18. ait: *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum; ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut ancoram habemus animæ tutam ac firmam.* Hoc est: per consilium Dei vel promissionem addito jurejurando voluntatem suam gratiosam obsignavit & confirmavit Deus.

6. *Tertium* fundamentum est *æternum gratiæ fœdus*, quod consistit in remissione peccatorum. *Jer.* XXXI, 34: *Hoc erit pactum, peccati eorum non recordabor amplius.* Quod pactum sive Testamentum, quia morte Christi est confirmatum, idcirco sempiternum est; juxta illud *Jes.* LIV, 10: *Fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator tuus Dominus.* Et *cap.* LV, 3: *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David* (id est Christi) *fideles.* Item *Deut.* IV, 31: *Quia Deus misericors Dominus Deus tuus est, non dimittet te, nec omnino delebit, neque oblivisceatur pacti, in quo juravit patribus tuis.* Et Psal. CXI, 5: *Memor erit in seculum testamenti sui.* In quo æterno fœdere te quoque contineri, ut certo confideres,

confideres, voluit illud tecum renovare & ſtabilire per *Baptiſmum*, quem proinde *Petrus* 1 Ep. III, 21. appellat *interrogationem ſive fœdus bonæ conſcientiæ in Deum*; ipſeque adeo Chriſtus in Jordane baptiſari voluit, tecum hoc fœdus paciſcens, *Matth.* III, 13.

LIB. II. CAP. II.

Fœdus gratiæ eſt univerſale. Ideo in baptiſmo renovatur.

7. *Quartum* fundamentum eſt *Mors Chriſti*, per quam ſane Dei Teſtamentum ratum fuit factum. Quod ſi vero quis ex me quærat, pro quonam ille mortem oppetierit? Reſpondet *Paulus* 2 Cor. V, 14: *Unus mortuus eſt pro omnibus.* Et *Joannes* ait 1 Epiſt. II, 2: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis totius mundi.* Similiter Joannes Baptiſta: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Jo. I, 29. Quod Paulus *Rom.* V, 18. explicatius ita exhibet: *Sicut per unius delictum in omnes homines venit condemnatio: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines venit juſtificatio vitæ.* Quo loco Paulus *ADAMUM* & *CHRISTUM* opponit, quaſi dicendo: Cum *Adami* peccatum omnes homines reos conſtituerit, quidni juſtitia *Chriſti* illo longe potentior fuerit & efficacior? Et ſi peccatum abundavit, quidni ſuperabundaverit Gratia in Chriſto patefacta? Idem Apoſtolus, Chriſti meritum *univerſale* eſſe & ad omnes pertinere oſtenſurus, 1 *Tim.* II, 5. ſic argumentatur: *Unus mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Quod ſi hoc verum eſt, ſequitur etiam, *velle Deum omnes homines ſalvari, & ad agnitionem veritatis pervenire.* Quia ſcilicet Chriſtus pro omnibus ſe tradidit. Eodem referendum quod dicitur ad *Col.* I, 20: *Per Chriſtum eſſe reconciliata omnia, ſive quæ in cœlis ſunt, ſive quæ in terris.* Et illud quod extat *Rom.* VIII, 32: *Deus proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* In quorum numero te quo-

Chriſti meritum eſt univerſale.

que computa, quia *Deus non respicit ad personas*, Act. X, 34. Cum itaque Christus pro peccatoribus sit mortuus, tu, qui inter illos nomen tuum profiteris, ejus mortis non potes non esse particeps.

Vocationis universalitas.

8. *Quintum* fundamentum est *universalis vocatio*, promanans ex universali merito Christi; quod sicut pro totius mundi peccatis præstitum est; ita omnibus creaturis annunciari oportuit, *Marc.* XVI, 15. Jam cum Christus *Matth.* IX, 13. profiteatur: *Non veni vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam*, sequitur, te quoque, quia peccator es, esse *vocatum*. Ad quid vero? Ad pœnitentiam. Quare? ut consequaris peccatorum remissionem per fidem; juxta illud *Luc.* XXIV, 47: *Oportebat prædicari in nomine Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes*. Et illud *Col.* I, 23: *Prædicatum est Evangelium in universa creatura, quæ sub cœlo est*. In quem vero finem fuit prædicatum? Sane non alio fine, quam ut *fides* hinc stabiliatur & accendatur; juxta illud *Rom.* X, 14: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audiverunt?* Absit autem, ut credamus, Deum frustra te vocare, aut non serio illum agere. Deus certe hypocrita non est, sed ut in re seria, omni animi nisu eo contendit, ut oblatam vocationem sequaris. Hinc etiam illis graviter irascitur, qui cœnam & convivium illius aspernantur, *Matth.* XXII, 7. *Luc.* XIV, 11. His autem qui per fidem vocationem recipiunt, verbum promissionis divino solamine plenum, de vita nempe æterna hoc ordine obtinenda contulit. *Quisquis enim credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*, Jo. III, 16. Et eandem fidem usque ad finem se conservaturum esse pollicitus est; donec inquam *beatitudo*

titudo, quæ est fidei finis Phil. I, 6. 1 *Pet.* I, 9. fidem ipsam sequatur. LIB. I. CAP. II.

9. *Sextum* fundamentum est *Testimonium Spiritus sancti internum*, in te aspirantis ad justitiam, & cum quo obsignatus es *Rom.* VIII, 16. *Eph.* IV, 30. Hic Spiritus sine intermissione conscientiam tuam commovet, somnolentiam carnalem excutit, de peccatis constanter arguit, eademque ob oculos tibi ponit, ad pœnitentiam te impellit, intus & in corde te vocat, convincens te, nihilque non faciens & satagens, ut e peccatorum tramite ad veræ conversionis viam te revocet. Hæc omnia tam vivide nonnunquam percipiuntur, ut occultare ea non possis, si vel maxime velis. Hic Christi in te testis nunquam conticescit: Et *intus* illum audire cogeris, utcunque aures obturaveris. Quod si animum inducas, te nolle illum intelligere, *pati* tamen & sentire ipsum cogeris. Unde efficitur, internum hoc testimonium omni exceptione esse majus, adeoque, firmum, vivum & efficax, *velle Deum te salvari.* *Deus in conscientia vocat omnes ad pœnitentiam.*

10. *Septimum* fundamentum sunt *exempla peccatorum*, quos Deus ad se conversos in gratiam recepit. Sane *non est inter homines, qui faciat bonum*, Rom. III, 10; neque solus *David, Manasse, Petrus, Paulus, Maria Magdalena* & *Zachæus*; sed nos omnes peccatores sumus; *quia omnes peccavimus, & egemus gloria Dei*, Rom. III, 23; *nemo coram ipso innocens est*, Exod. XXXIV, 7. Qua autem gratia complexus est unum peccatorem, eadem omnes dignatur. Quia *non respicit personas Deus*, Act. X, 34. Non est alter altero melior apud ipsum; adeoque omnes gratis & nullo nostro merito justificamur, indigentes remissione peccatorum, *Ps.* XXXII, 6. *Si enim imputaverit peccatum, quis sustinebit* Ps. CXXX, 3? *Nec coram illo justificatur omnis vi-* *Deus omnes peccatores recipit, nullo personarum respectu.*

vens

LIB. II. CAP. II.

vens, si intret in judicium; ut est *Ps.* CXLIII, 2.

Christi meritum & lytrum est majus omnibus peccatis.

11. *Octavo*: Christi meritum non tantum sufficiens, sed etiam *superabundans* est pro omnium hominum peccatis, quantumvis gravissimis atrocissimisque. Et quæ insscitia fuerit, velle semet numero salvandorum eximere, & lytron illud non æquale modo, sed & majus omnibus totius mundi peccatis, sibi non vendicare? An enim homo non es? An in mundo non vivis, ut illud, *Luc.* IX, 56. ad te non pertineat, *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare?* Itemque illud 2 *Cor.* V, 19: *Deus in Christo mundum reconciliavit sibi.* Et quod dicitur, 1 *Jo.* II, 2: *Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi*, id est, hominum singulorum?

Infinita Christi satisfactio omnium hominum peccata comprehendit.

12. *Nono*: quia Christi meritum est satisfactio *infinita*, æterna, numeri, mensuræ & finis expers, & quidem propter personam patientem, quæ est simul Deus & homo. Quare itaque tu numerum, mensuram finemque tanto merito statueris, temet inde excipiendo, nec peccata tua ejus ambitu contineri existimando? Etenim cum illius meriti tanta sit vis, efficacia & ambitus, ut semper majus sit futurum, etsi singuli homines totius mundi peccata admiserint, & quot homines sunt, tot mundi peccatis obruti extiterint; absit aliquem illud sibi nolle vendicare. Hoc scilicet est illud *profundum maris, in quod Deus projecit peccata nostra*, Mich. VII, 19. Hoc illud est, quod extat *Ps.* CIII, 11: *Quoniam secundum altitudinem cœli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, elongare fecit a nobis iniquitates nostras.* Hæc est illa *æterna Redemptio*, cujus sit mentio *Ebr.* IX, 12. Hoc denique

nique eſt quod ait *Paulus*, Rom. VIII, 33, 34: *Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus Jeſus is eſt qui mortuus eſt; Deus is eſt qui juſtificat.*

13. *Decimo*: perfecta eſt Chriſti obedientia. Quia voluntati patris & legi in omnibus partibus *ſatisfecit* Chriſtus, omnem inobedientiam hominum ſingulorum compenſaturus. Sin unius hominis peccatum & inobedientia ab illo non eſſet expiata, jam certe nec ipſius obedientia perfecta foret, & *Adami inobedientia efficacior fuiſſet in condemnationem, quam Chriſti obedientia in juſtificationem*. Id quod fieri potuiſſe negat diſertis verbis Paulus, *Rom.* V, 18. Quid ergo cauſſæ eſt, cur quiſquam a perfectiſſima Chriſti obedientia ſemet excludere velit, nec illam ſibi aſſerere & vendicare? Illud potius veniat nobis in mentem, Chriſtum eo conſilio & fine ſemet humiliaviſſe, *factumque obedientem uſque ad mortem crucis*, Phil. II, 9. hoc eſt, uſque ad æternam maledictionem, *ut liberaret eos, qui erant ſub maledictione legis*, Gal. III, 13. In quorum numero ſane omnes ſumus. Etenim cum noſtri protoplaſti divinam majeſtatem nefaria ambitione affectaſſent, idcirco oportuit Chriſtum hoc tale tantumque peccatum *profundiſſima humilitate* expiare, adeoque *ipſum anathema fieri, ut ſuper omnes*, qui in *Adam* maledicti eſſent, *veniret benedictio*, Gal. III, 13, 14.

Chriſti obedientia pertinet ad omnes homines.

Chriſti obedientia eſt efficacior in peccatis tollendis, quam Adæ inobedientia in peccato propagando.

Sicut ex Adamo maledictio, ita ex Chriſto benedictio ad omnes pervenit.

14. *Undecimo*: Cum regia Chriſti victoria & triumphus omnem peccatorum multitudinem, enormitatem & gravitatem, adhæc mortis, Diaboli & inferni potentiam longiſſime ſuperet; ecquam cauſſam dices, cur non eadem Chriſti victoria de tuis etiam peccatis triumphet? An exiſtimaveris tua ſolius delicta fortiora eſſe Chriſto Rege omnipotente? Qui *cum omnes inimicos ſcabellum pedum ſuorum poſuerit*,

Chriſti victoria pertinet ad peccata omnium hominum

posuerit, Ps. CX, 1, num eum a tuis unius sceleribus superari credideris? Absit ergo, ut te tantæ victoriæ talisque triumphi participem esse dubitare ausis.

Officium Christi mediatoris neminem excludit.

15. *Duodecimum* fundamentum est *Sacerdotium Christi sempiternum*, Ps. CX, 4. *Ebr.* V, 6. VII, 17. Qui proinde omnibus petentibus veniam peccatorum facit, omnibus efflagitantibus, Spiritum sanctum largitur, nec cuiquam quæ sunt officii sui negare vult aut potest. Est enim Salvator mundi, & *mediator inter Deum ac homines*, 1 Tim. II, 5. Quod si idem homini alicui, officium suum imploranti, non subveniret, jam profecto nec mediator esset. Quod ut faciat tantum abest, ut offerat multo magis omnibus peccatoribus suum sacerdotale mediatoris officium. *Venite*, inquit *Matth.* XI, 28. *ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.* Et iterum: *Vos omnes, qui sitistis, venite ad fontem & aquam vitæ*, Jes. LV, 1. Itaque & ipse per Apostolos suos & Legatos *ad reconciliationem* cum Deo nos invitat, 2 *Cor.* V, 20. mediatoris officium sponte nobis offerens, *amissam ovem* quærens, & filium prodigum in gratiam recipiens, *Ezech.* XXXIV, 16. *Luc.* XV, 20. Caveas ergo qui homo natus es, Christi mediatoris inter nos miseros peccatores & Deum officium recusare, aspernari, & temet ipsum illustri illo sacerdotalis intercessoris munere divino solamine undiquaque abundante, privare.

CAPUT

CAPUT III.

Juſtificationem noſtram coram Deo conſiſtere tantum in perfecta obedientia & merito Chriſti Jeſu, & in remiſſione peccatorum fide apprehenſa.

Rom. V, 19. *Sicut per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.*

SIcut bonus architectus excelſam domum ædificaturus, profundiſſimum ante omnia fundamentum jacit: ita clementiſſimus & miſericordiſſimus Deus regale & æternum palatium ſalutis juſtitiæque noſtræ erecturus, ejus fundamentum in altitudine ſuæ miſericordiæ ſuper perſona & officio Filii ſui chariſſimi Chriſti Jeſu, velut ſuper veriſſima petra ſalutis & rupe immobili ponendum putavit, juxta vaticinium, *Jeſ.* XXVIII, 16: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum; qui crediderit, non feſtinet.* Quam *Petram* Chriſtus indicat *Petro*, dicens: *Super illa ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam*, illamque adeo firmam & immobilem futuram, ut ipſæ *inferorum portæ adverſus illam non ſint prævalituræ*, Matth. XVI, 18. *Fundamentum juſtitiæ & ſalutis noſtræ eſt miſericordia Dei in Chriſto.*

2. Hanc *Petram* prædicaverunt *Petrus* & *Paulus*, 2 *Tim.* I, 9. 1 *Pet.* II, 4. Super hoc mirabili angulari lapide fundatus eſt *Pſalmus* CXVIII, 22. Huic denique fundamento ſuperædificavit Deus noſtram juſtitiam, fidem & beatitudinem. Sicut autem Pater noſter cœleſtis miſericordiſſimus abyſſum ſalutis & juſtitiæ

tiæ noſtræ in abyſſo ſuæ miſericordiæ, in charitate ſua æterna, in Filio ſuo dilecto, & denique in ipſo amabiliſſimo paternique ſui cordis affectu poſuit; ita eandem fundavit in profundo cordis noſtri, inque penitiſſimo & altiſſimo animæ fundo, ut per novam lucem & virtutem divinæ fidei, a Spiritu ſancto in nobis accenſam, ſola Chriſti juſtitia apprehendatur, & gratuito per eandem fidem, abſque ullo reſpectu operum antecedentium vel conſequentium imputetur nobis doneturque.

Quare Deus juſtitiam fidei adſcribat.

3. Ac *Primum* quidem, quo hac ratione hominem ex imis animæ receſſibus juſtificet, quemadmodum idem in penitiſſimis animæ viribus funditus a Satana infectus fuit depravatuſque.

4. *Secundo:* Juſtitiam noſtram ex *ſola* fide proficiſci oportet, quia hanc Deus operatur ipſe, utque adeo juſtitia noſtra ſit ſolius Dei opus, non hominum quædam externa actio vel hypocritica larva, inſtar juſtitiæ phariſaicæ, quæ externa tantum ſpecie turgida erat, cordi autem ipſi non inſita.

5. *Tertio*: Ut cor noſtrum, ſpiritus & anima ab humanis propriiſque viribus, ad quas Diaboli culpa per philautiam, ambitionem & ſuperbiam ſe inclinaverant, averſa, unum Chriſtum illiuſque meritum ac ſatisfactionem unice reſpicerent. Quippe ex quo ſolo omnium noſtrorum peccatorum remiſſio gratis promanat, poſtquam Chriſtus Jeſus pro totius mundi peccatis ſatisfecit, patremque placavit.

Fides avertit hominem a ſeipſo ad Deum.

6. *Quarto*: Ut Chriſti juſtitia per fidem noſtra efficeretur. Hoc ſane conſilio fidem illam in cordibus noſtris, per verbum ſuum Spiritumque accendit, ut per ipſam ineffabilis hujus theſauri redderemur participes. Hæc enim conſolatio ſumma, ineffabilis & imperſcrutabilis

Quare Deus fidem in nobis operetur?

bilis eſt, quod juſtitia noſtra non alicujus magnatis vel Angeli eſt, ſed Chriſti & Dei ipſius. *Deus* enim *eſt, qui juſtificat*, Rom. VIII, 33. Unde, etſi aliquis totius mundi peccata admiſerit, Chriſti tamen juſtitia eſt eritque ſemper infinitis adhuc partibus major & gravior. Nimirum *JEHOVAH juſtitia noſtra* eſt, ut extat *Jer.* XXXIII, 16: Peccatum autem Jehovah potentius eſſe credideris? An enim inſufficiens ſatisfactio eſt, creditori, cui florenum debeas, infinita auri pondo reddere? Tale autem lytrum exolvitur Chriſti ſanguine, quem idcirco *Paulus*, *Act.* XX, 28. appellat *ſanguinem Dei*; tantaque eſt Chriſti juſtitia, quam nobis donat per fidem, ut non jam ſolum *juſtificemur* per Chriſtum, ſed inſuper in illo fiamus *juſtitia* ipſa, 2 *Cor.* V. 21. LIB. II. CAP. III. *Summa ſatisfactio in ſanguine Chriſti.*

7. Quemadmodum enim non ſatis eſt infantulum quendam conſpurcatum laviſſe & a ſordibus repurgaſſe; ſed eundem præterea mundis linteis involvere oportet, *Exech.* XVI, 10: Ita Chriſtus non tantum ſanguine ſuo nos emundavit, ſed adhæc induit nos *veſte ſalutis & tunica juſtitiæ*, Jeſ. LXI, 10. Quæ *utraque de manu Domini accepimus*, Jeſ. XL, 2. Atque hanc veſtem appellat *Iſaias* cap. LXI, 10. *habitum ſacerdotalem*, ſive ſanctum; David Pſ. XXIX. 3. *ornamenta ſancta*; Joannes Apoc. XIX, 8 *byſſum* ſive *ſericum candidum, quod eſt juſtitia ſanctorum*; Amos V, 24. *appellat flumina juſtitiæ*; Paulus Rom. V, 21. *gratiam ſuperabundantem*; Eph. II, 7. *divitias ſupereminentis gratiæ*. Quæ omnia innuunt talem tantamque juſtitiam, quantus ſit Deus ipſe, & quam homo cogitatione ne quidem concipere poſſit. Etſi enim noſtri protoplaſti in ſtatu innocentiæ perfectam juſtitiam habuerunt; attamen *ſuperabundantem* non habuerunt, *Chriſtus non tantum peccata noſtra nobis condonat, ſed etiam ſuam juſtitiam largitur.* *Magnitudo juſtitiæ chriſtianæ*

nec

nec qualem hodie nos in Christo habemus. Hæc quippe justitia & sanctitas, quam ipse nobis per fidem donat, multis partibus major est illa, quam Adam, etsi non peccavisset, nobis erat traditurus. Adhæc *Christi* extrema humilitas & obedientia Deo longe acceptior fuit, quam *Adami* innocentia; adeoque non mille Adami unum Christum æquaverint. Utcunque enim ille in statu innocentiæ persistens hæreditariam justitiam nobis reliquisset, cumque illa nos univisset, longe tamen major est & dignior unio nostra cum Deo in Christo, postquam ille homo factus humanam naturam adeo in se ipso mundavit & exaltavit, ut Adami justitia cum illa in comparationem venire neutiquam possit.

Christi justitia per suum meritum est major innocentia Adami.

8. Etenim sicut Christus cum humana natura, quam semel assumsit, æternum manet unitus; ita in eadem Deo uniti manent omnes fideles, quia Christus totus noster est, quemadmodum etiam nos toti ipsius sumus. Unde sequitur, quam puritatem humana natura in ipsius persona est consecuta, eandem puritatem coram Deo naturam singulorum fidelium habere. Id quod innotesceet in die extremo in metamorphosi corporum nostrorum, quando *clarificato illius corpori apparebunt similia*, Phil. III, 21. In hac autem vita per & propter fidem de nobis dicitur: *Tota pulchra es, amica mea*, Cant. I, 15; & *Eph.* V, 27: *Gloriosa sine ruga & macula*; & *Ps.* XLV, 14: *Gloria ejus ab intus, in fimbriis aureis.* Verbo: justitia nostra in Christo tanta est, quantus ipse Deus, & æque ut hic, imperscrutabilis. Unde omnes creaturas cohorrescere, nihilque quod in homine culpari possit, inveniendo, exclamare præ admiratione oportet: *Quis accusabit aut condemnabit electos*

Christus nos in se æque puros præstat atque ipse est.

Dei

Dei, quorum juſtitia eſt ipſe Filius Dei Rom. VIII, 34? Atque hæc eſt illa *juſtitia fidei*, cui innititur & acquieſcimus ceu petræ immobili, de qua gloriamur in tempore & æternitate, per quam victores & triumphatores ſumus peccati, mortis, Diabolí & inferni, per quam *ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulamus, & conculcamus leonem & draconem*, Pſ. XCI, 13, Luc. X, 19. LIB. II. CAP. III.

9. *Quinto*: Juſtitia noſtra non poteſt fundari ſuper Angelis, ac multo minus ſuper hominibus. Neque enim Angelus pro nobis mortuus eſt; juſtitia autem hominum lubrica eſt & cito corruens peccati ſordibus coinquinatur; adeoq; *ſi vel ſemel averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non commemorabuntur*, Ezech. XVIII, 24, XXXIII, 13. Quocirca oportet juſtitiam noſtram meliore, immo immobili & æterno fundamento niti ſtareque inconcuſſam, *etiamſi montes commoveantur & colles contremiſcant*, Iſ. LIV, 10; juxta illud *Daniel* IX, 29: *adducetur juſtitia ſempiterna*; & *Iſ.* LI, 6: *Salus mea in ſempiternum erit, & juſtitia mea in generationes generationum.* Nec ſane fieri poteſt, quin ſummum, æternum & infinitum bonum ſit, quod perſona ſumma æternaque ſatisfactione immenſa infinitaque nobis acquiſivit. *Noſtra juſtitia eſt fundata in Deo, non in creaturis.* *Summa ſatisfactio neceſſario conciliat ſummum bonum.*

10. *Sexta* cauſſa, quare Deus juſtitiam noſtram per fidem apprehendi voluerit, eſt *Veritas* & promiſſio illius, cui fides innititur & acquieſcit, & per quam Deus *Abrahamo* totique illius fideli ſemini juſtitiam eſt pollicitus. Unde Paulus *Rom.* IV, 16 arguit, *juſtitiam noſtram* debere *ex fide* proficiſci, ut *ſecundum gratiam ſit & firma maneat promiſſio.* Super hac ergo promiſſione Gratiæ, in Chriſto adimpleta, fundavit Deus juſtitiam noſtram & beatitudinem, juxta illud Apoſtoli effatum, *Gal.* III, 6: *Sicut Abraham* *Dei gratia & veritas eſt fundamentum noſtræ juſtitiæ.*

LIB. II. CAP. III.

Omnes fideles sunt benedictionis Abrahamicæ hæredes.

braham credidit Deo & reputatum est illi ad justitiam; cognoscite ergo, quod qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ. Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænunciavit Abrahæ: Benedicentur in te omnes gentes; (Gen. XII, 3:) *igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Atque *hæc gratia & veritas per Jesum Christum facta est*, Jo. I, 17.

11, *Septimo*: Deus Gratiam suam Christique meritum justitiæ nostræ basin esse voluit, ut soli Christo honor suus constaret. *Ex illo enim solo salus nostra est*, Hos. XIII, 9. Ipse justitiæ nostræ & salutis initium, medium ac finis est, *ut omne os obstruatur*, Rom. III, 19. Sive ut *Eph.* II, 8. loquitur Apostolus: *Gratia estis salvati per fidem, non ex operibus, ne quis glorietur.* Quod si justitia nostra ex nobis, nostrisque operibus & meritis promanaret, tum vero Gratia nihil esset, neque nos misericordia aut remissione peccatorum indigeremus, *pro qua tamen orat omnis sanctus*, Ps. XXXII, 6. Adhæc cessaret humilitas, timor Dei, fides & oratio. Non opus haberemus mediatore, redemtore & salvatore. Christus frustra mortuus esset, nobisq; incumberet, ut totam legem externa internaque obedientia impleremus. Essemus sub maledicto; excidissemus gratia, & Christum amisissemus; ut Paulus gravissimè argumentatur *Gal.* III, 4, 5. Adeo nimirum doctrina de *justitia operum* coram Deo fundamentis totius Scripturæ utriusque testamenti & veræ fidei adversatur.

Varia fundamenta justitiæ fidei.

12. Ceterum quod salus & justitia nostra Gratiæ Dei & Christi personæ atq; officio imputatur; quodq; nos in Christo semper justi, probi, sancti, vivi, beati, Deique filii & hæredes simus facti; tum quod Christi justitia nostra est, illius probitas nostra, illius sanctitas nostra,

Summa nostra gloria & consolatio.

ſtra, illius vita noſtra, illius beatitudo noſtra, quod denique Chriſti filiatio & hæreditas noſtra eſt, ipſeque adeo Chriſtus *TOTUS* ſecundum divinitatem & humanitatem noſter eſt, (nam Deus TOTUM CHRISTUM nobis donat in ſalvatorem, ut totus noſter ſit cum ſua perſona, officio, gratia, gloria & beatitudine,) ea vero unica ſummaque noſtra eſt conſolatio, gloria, laus, honor, charitas, gaudium, pax coram Deo cunctiſque Angelis & electis; ſumma ſapientia, fortitudo, virtus, victoria, triumphus de peccatis, morte, Diabolo, inferno, condemnatione, mundo omnibuſque hoſtibus. Pro quo Deo ſit laus in æternum! Amen. LIB. II. CAP. IV.

CAPUT IV.

Fidem ſalvificam in vero chriſtiano operari varios juſtitiæ fructus ex intimo cordis fundo ab omni hypocriſi vacuo provenientes; ipſumque adeo Deum ex eodem fundo omnia externa opera metiri & æſtimare.

Phil. 1, 9. *Hoc oro, ut ſitis ſinceri & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructibus juſtitiæ per Jeſum Chriſtum in gloriam & laudem Dei.*

VERUS chriſtianus *per fidem* in Chriſtum non tantum juſtificatur; ſed etiam templum & habitatio ſit Chriſti ac Spiritus ſancti. 1 *Cor.* VI, 19. *Eph.* III, 17. Ad hoc enim illius cor divinitus per fidem eſt mundatum, (*Act.* XV, 9.) ut Chriſtus in ipſo vivat & regnet

regnet, illius scilicet charitas, humilitas & mansuetudo. Ad hoc item datus est illi a Christo Spiritus sanctus, ut cor in illo novum, ac hilari promptoque agendi principio imbutum efficiat, ad præstanda ea quæ Deo grata sunt & accepta, sponte & ex libertate spiritus *Jer.* XXXI, 31, *Ebr.* X, 16. Quæ nova sanctaque obedientia non ex *lege* vel mandato; sed ex viva *fide* oritur; ut recte dictum sit, *justo non esse legem positam* 2 Tim. I, 9. puta *cogentem* & serviliter coercentem; utcunque præclara alias regula sit vitæ christianæ. Vera enim & viva *Fides* facit omnia sponte & ultro; renovat hominem, repurgat cor, amat proximum cum gaudio, sperat & spectat futura, orat, laudat, confitetur & timet Deum. Pariter patiens est, humilis, misericors, amabilis, mansueta, placabilis, compatiens, pacifica, condonat facile offensas, esurit ac sitit justitiam, apprehendit Deum cum omni sua gratia, & Christum cum toto suo merito & remissione peccatorum.

Vivæ fidei proprietas.

2. Hos Spiritus sancti fructus Christumque per fidem inhabitantem quisquis in se non experitur, Deo ea propter supplex is fiat, precesque illi, lacrymas & gemitus pro eo obtinendo offerat. Atque hæc eo sensu quenquam intelligere nolim, ac si christianus in hac vita perfectam sanctitatem indipisci possit aut debeat: Qui enim & sanctiores sunt, suas adhuc sentiunt infirmitates, ut patet ex psalterio & ipsa ex oratione dominica. Verum sicut Deus idcirco nostram justitiam, per quam ipsi placemus, fide voluit apprehendi, illamque penitissimo cordis fundo, ne fucata & hypocritica esset, jussit inseri: ita omnes fidei & justitiæ fructus ex eodem cordis fundo oriantur;

Vita christiana in quo consistat.

tur; ex quo illos etiam Deus æstimat, & an veri sint, an vero fallaces & efficti, dijudicat. LIB. II. CAP. IV.

3. Hic vero iterum perfectionem vitæ christianæ non asserimus, sed vitam Christiani novam operaque ab omni hypocritico cultu & vano remota volumus. Fieri enim nulla ratione potest, ut, in quo Spiritus sanctus habitat, in eodem sancti justitiæ & Spiritus fructus *Gal.* V, 22. enumerati, non reperiantur, adeoque arbor bona ex fructibus suis non agnoscatur, utcunque illi non perfecti aut angelici, sed multis subinde imperfectionibus contaminati sint & obscurati. Illud tamen vero verius est, hypocrisin prorsus & mendacium hinc proscribendum esse, nec fructus ex ementita quadam pietatis forma debere proficisci. Equidem non negaverim, Christianam Religionem ut quoddam esse nosocomium, domumque tam peccatoribus quam sanctis plenam; quorum etiam plerique more puerorum nondum gradum figere norunt; sed scamnis acclines pedem promovere & gradi pedetentim condiscunt: unde necesse est, *alterum alterius onus portare*, Gal. VI, 2. & debiles christianos temere nequaquam condemnare, *Rom.* XIV, 1; sed Spiritu mansuetudinis tolerare, inque viam reducere, pariterque in proximi infirmitate proprios nostros legere defectus.

4. Illud tamen vicissim maneat oportet, debere Christianos continuis incrementis in Christo proficere & altius indies adolescere; ne intra pueritiæ limites consistant semper, utut caro admodum difficulter mortificetur & vincatur. Adhæc studeant charitati *ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta*, 1 Tim. I, 5. illudque constanter animo infixum gerant: *Deum omnia externa opera ex interno cordis fundo æstimare & judicare.* Itaque cor si fuerit

bonum, omnia quæ facis bona esse credas: Sin idem malum fuerit, immundum & inimicum, tum vero omnia tua opera coram Deo inimica sunt ac mala summa. Qualis intus & in corde es, talis coram Deo judicaris, talisque est tua oratio, templorum visitatio, eleemosynæ, & sacramentorum perceptio.

Experimentum cordis & fidei.

5. Quicunque ergo se fidemque suam exacte probare velit, ei ego auctor sum, ut *Decalogum* sibi ob oculos statuat, & ipse omnia opera sua ex corde æstimare discat. Hoc pacto liquido perspiciet, acceptane an exosa sint Deo quæ facit, & utrum veros fructus internæ justitiæ, quæ est ex fide, proferat? Si itaque dixeris, *externa* te *idololatria* conscientiam non commaculare: Bene certe in eo facis; penitius tamen examinare te velim, an etiam interna quæque idola abhorreas? Vel an intus aliquod idolum circumferas, quod subinde adores? An intus geras, quæ exterius præ te ferre videris? Vel an cor tuum mundo, avaritiæ, superbiæ indulgeat? Quod si ita esse deprehenderis, palam est, externum opus nullius coram Deo esse momenti. Ad eundem modum ais, *Deum te laudare, orare & gratias ipsi agere persolvere*: Vide autem num idem intus & in corde tuo geratur? Sin ore quidem oras, corde autem blasphemas, tum vero nugatoria est & inanis omnis tua oratio & hymnodia. *Sabbathum* dicis te *celebrare*: & recte in eo facis: Internam tamen cordis dispositionem intueri te velim, utrum internum verumque sabbathum ibi celebres? Utrum a pravis cogitationibus & impia voluntate ferieris? Utrum denique cor tuum Deo sit devotum & vacuum a creaturæ strepitu, ut in te operari possit Deus? *Templum* ais *te frequentare*: Bene! Vide tamen ne arrogantiæ &

Idola interna.

Oratio mentis interna.

Sabbatum cordis internum.

vanitatis

vanitatis quendam vermem una templo inferas, qui secretius conscientiam arrodat. *Externam obedientiam praestas*: Vide vero, an interna congruant? An omnia sponte facias? An ex *amoris* vel *timoris* principio agas? Si hoc saltem ad externam aliquam obedientiam adigeris, scias, hypocriticam tuam esse obedientiam. *Interna obedientia.*

6. *Manus sanguine & caede non polluis*, & ab homicidii crimine liberum te esse credis. Cor ipsum intuere. In hoc enim si ira æstuet, exindeque ceu flamma in gestibus emicet, & in convicia ac maledicta erumpat, sic ut dicas fratri tuo *Raca & stulte* Matth. V, 22. tum vero sequitur, te reum esse *judicii*, synedrii & *ignis sempiterni*. Adeoque quid tibi prodest, manum impollutam habere, si cor homicidii te agat reum? Pugno neminem occidere, si gestibus hostilibus & quasi basilisicus, oculis proximum interficias? Gladium non stringere, linguam autem quovis gladio magis acutam in alterius famam vibrare? Intus enim & in corde sedet homicida, adulter, fur, mendax, mala bestia, concupiscentia prava & malorum omnium radix. Qui pestilens cordis vermis nisi per seriam pœnitentiam, contritionem & conversionem, perque fidem & sanguinem Christi interficiatur, tum vero fieri non potest, ut vel unicum aliquod opus præstes Deo acceptum; quippe qui omnia ex corde judicat ac æstimat. *Homicida animus est.*

7. Hujus rei exemplum dat ipse Christus ex quinto præcepto, *Matth.* V, 23. dicens: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo*; aliter enim nec hilum tibi proderit orare, sacrificare, De-

LIB. II. CAP. IV.

um colere & sacramenta sumere: immo hæc omnia in peccata tibi convertentur, quia corda intuetur Deus. Hinc etiam Paulus 1 *Tim.* II, 8. jubet *levare puras manus, sine ira & disceptatione.* Et Petrus 1 *Epist.* III, 7. præcipit *conjugibus ab ira sibi cavere, ne impediantur illorum orationes.* Dulcissimus autem Servator noster ad fraternam reconciliationem tribus gravissimis argumentis quæ hic sequuntur, nos adhortatur.

Verus Dei cultus in puro corde consistit.

8. *Primum* est: *Esto amicus adversario tuo cito, dum es in via cum eo,* hoc est, quoad vitæ usura frueris. Nihil enim aliud est vita nostra, quam assidua ad mortem & sepulchrum migratio. Quisquis autem ira & indignatione plenus moritur, hujus cor in æternum virulentum manet & iracundum. Si in hac vita ab iræ jugo non fueris liberatus, æternum cum ipso unitus manebis, immo cum Diabolo ipso.

Reconciliatio non differenda.

9. *Secundum* argumentum est: *Ne forte tradat te adversarius judici.* Est enim terribile, citari ad judicium Dei, & coram Deo severissimo judice, causam dicere accusante adversario. Quicquid autem in hac vita transigitur, componitur & condonatur, id in vita altera similiter transactum, compositum condonatumque est. Unde intelligere licet, quanti Deus faciat *charitatem proximi,* cum illam a charitate sui divelli non ferat, adeoque sine proximi amore a nobis diligi recuset. Nimirum Deus est ipsa charitas, & hominem diligit ut animam suam.

10. *Tertium* Argumentum est: *Ne in carcerem mittaris, unde non exeas, donec reddas novissimum quadrantem.* Divinæ justitiæ consentaneum est, ita nobiscum agere, prout nos cum proximo egerimus, & *qua mensura aliis mensi fuerimus, eadem nobis metiri,* Luc. VI, 38.

38. Quocirca si proximo tuo condonare renuas, stat judicium Dei pariter nec tibi ullum peccatum esse condonandum. In quam miserrimam conditionem qui propria sua culpa prolabuntur, eos minima maximaque peccata sine ulla secuturæ satisfactionis spe æternis cruciatibus luere oportet.

11. Vides nunc quomodo filius Dei exemplo te docuerit *externa* opera ex *interno* cordis fundo æstimare. Itaque & tu similiter de tuo christianismo ex fundo cordis tui recte judicare disce. Quod si dixeris: *In Christum baptizatum te esse, habere Dei verbum purum, audire illud, accipere venerabile coenæ sacramentum, tum omnes christianæ fidei articulos credere te & confiteri; proindeque abesse non posse, quin omnia tua opera Deo placeant, cumque vere Christianus sis & mero salvandus.* (Sic enim plerique omnes hodie censent, istis modo dictis justitiam suam circumscribentes,) Sane non negaverim, recte te argumentari; illud tamen juxta cogitandum est, an cor cum dictis congruat? Absque hoc enim omnia meræ nugæ sunt & larvæ quædam hypocriticæ. Hoc itaque intuere, & secundum internum statum tuum teipsum probare disce. Et quidem *christianum* te jactas: Vide autem num cor factaque cum nomine consipient? Num *Spiritus* in te sit *unctio* Jo II. 27. & fructus, verum christianum demonstrantes? Hoc si desit, ex ipso tui cordis judicio sequitur, *pseudo-christianum* te esse. Dicis porro: *baptisatum te esse*: & quidem recte! Inspice vero cor ipsum, num etiam in regeneratione vivas, in pœnitentia assidua & mortificatione veteris Adami indefessa? Num fructus baptismali fœderi & vitæ novæ quam semel indeptus es, convenientes proferas? Similiter dicis: *habere te verbum*

Christianismus in corde consistit.

Fructus baptismi.

LIB. III CAP. IV.

lum Dei putem, & illud te audire. Recte dicis: sed cor intuere tuum; num etiam, ut cibus corporalis in carnem & sanguinem transit, sic verbum in vitam spiritumque tuum convertatur? Num ad ejus præscriptum vixeris? Num meliorem verbum te reddiderit? Hoc enim nisi fiat, in vanum sunt quæ facis, ut Servator noster *Matth.* XIII, 33. comparatione fermenti, totam massam transmutantis, rem declarat. Qui & *Matth.* VII, 21. aperte contestatur, *Non omnem, qui dicit, Domine Domine! intraturum in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris cœlestis.*

Verbum Dei quomodo audiendum?

12. Magna quæque te præstare credis, si *puritatem doctrinæ singulari cum zelo propugnes.* Et non male quidem facis. Strictius tamen examines velim, an ex doctrinæ puritate purum etiam cor mundumque hauseris? Nonne multos reperias rigidos purioris doctrinæ defensores, plenos tamen superbia, amarulentia, avaritia aliisque vitiis? *Nomen Domini est prætextus & pallium ipsorum nequitiæ.*

13. Sacræ te *synaxi sæpius interesse* affirmas, & de hoc ut re bene gesta videris gloriari. Et quid inde? Cor ipsum quæso explora. Carnem Christi & sanguinem te sæpius sumpsisse asseris. Quare itaque *Adami* in te caro ac sanguis vivit regnatque? Nonne vita Christi ex tota tua conversatione reluceat, *h. e.* illius charitas, mansuetudo & humilitas? Aut quæ ad te utilitas redierit, si Christum in sacramento accipias, vita vero moribusque abneges? Deprehendisne per cœnæ usum in Christum te esse conversum; juxta sententiam Augustini: *Non save me in te convertes; sed ego te in me convertam?*

Fructus cœnæ.

14. Dicis: *Omnes te fidei articulos credere & confiteri.* Ad cordis lapidem Lydium recurre.

Quid sit credere in Deum & Christum?

Ea enim demum vera rectaque *Fides* est, quæ hominem cum Deo & Deum cum homine unit. In Deum si credis, in te etiam habitet Deus, vivat & operetur. Hæc si desint; vana tunc tua fides est, nec cum Deo te unit, sed ab ipso longius te separat. Atque hoc quidem non de *fide infirmorum* dico omnem sæpius sensum subterfugiente: hæc etsi utcunque debilis est, similisque ellychnio fumiganti, Deo tamen adhæret & fructus suos in ipsa etiam infirmitate profert. Verum in genere de ipso fidei experimento & fructibus volo intelligi. Si enim in Christum credis, Christum etiam in te esse & vivere oportet, *Gal.* II, 20. Si Christum pro peccatis tuis mortem oppetiisse credis, tu ipse etiam peccatis, mundo, superbiæ & avaritiæ moriaris; *Rom.* VI, 2. Hoc nisi fiat, vanum est figmentum quicquid de fide dixeris.

15. Si te credere dicis, *Christum pro mundi peccatis esse crucifixum*, tu ipse etiam mundo crucifigaris. Hoc si negligas, nec vivum tunc Christi membrum es fide cum ipso unitum. Si Christum *a mortuis resurrexisse* credis, cum eodem tuo capite, *spiritualiter* a peccato resurgendo, unitus maneas, aut vero vana sunt quæ jactas. Verbo: Christi *nativitas*, *crux*, *mors*, *passio*, *resurrectio*, *adscensio* etiam in te sit, aut quicquid de *fide* dixeris, nil nisi vanum erit & emortuum fidei simulacrum. Sic si in *Spiritum sanctum* te credere affirmaveris, necesse est ipsum etiam in te esse, regnare, illuminare te & sanctificare. *Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, Rom. VIII, 14.

16. Agite proinde christiani! Sit christianismus vester non *externus*, sed *internus*; neque a primis labris pendeat, sed ex cordis fundo, ex vera, vivifica & operosa fide, ex sincera,

interna, seria assiduaque pœnitentia proficiscatur. Hoc nisi fiat, tota Religio vestra nihil aliud erit quam *pseudochristianismus*. Nullum opus Deo acceptum præstare poteritis; & quicquid feceritis hic, nec bilum in illo die proderit vobis, quippe in quo secundum cor vestrum omnia judicaturus est Deus. Quod si vero O homo cordis tui impuritatem digne agnoveris, sine mora ad fontem salutis & gratiæ divinæ confugias, inde bibas & hauries, ores, pulses & clames *Miserere!* Hoc facto sanabitur cor tuum, tegentur peccata, & obstignabuntur delicta.

CAPUT V.

Non scientiam vel auditum verbi divini verum christianum demonstrare, sed hunc genuinum christianum esse, qui verbum Dei vita exprimit, Deumque ex animo invocat, ut illius verbum, ceu verum semen Dei, in ipso fructificet & vivificetur.

Sap. VI, 18, seqq. *Initium sapientiæ est disciplina cupiditas. Cura ergo disciplinæ, dilectio est; & dilectio, custodia legum illius est; custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est; incorruptio autem vitæ facit esse proximum Deo.*

HAec pulcherrima sententia continet methodum, qua ad veram sapientiam, per quam Dei amici constituimur, pervenitur. Nimirum si ex animo pœnitentiam agamus, & vitam nostram verbo Dei conformem reddere studeamus. Talem demum vitam non potest non sequi vera illuminatio & omnium donorum divinorum incrementum, immo Dei ipsius propior cognatio, adeo *ut efficiamur divinæ con-*

Fructus vitæ sanctæ.

corrupta natura, fugiens ea, quæ in mundo per concupiscentiam sunt, ut loquitur *Petrus*, 2. *Epist.* 1, 4. Cujus rei exemplum habemus *Enochum*, septimum ab *Adamo*, qui cum divinam ageret vitam, assumtus fuit in cœlum, nec amplius in terra inventus. *Gen.* V, 24.

2. Ad hanc talem vitam ex intimis animi sensibus aspirabat *David*, *Ps.* CXIX, 145; duo media vitæ sanctæ proponens, *continuam orationem & studium verbi divini assiduum*. Ita vero inquit: *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine: justificationes tuas requiram. Clamavi ad te, salvum me fac; ut custodiam mandata tua.* Quibus verbis docet propheta, quam ardui momenti negotium sit, vitam agere vere christianam, & quoad opera indolemque sanctam, cum verbo conspirantem.

Duæ viæ ad vitam sanctam.

Difficultas christianismi.

3. Nam caro & sanguis naturaliter vitæ sanctimoniæ adversantur. Nimis lubrica est ac debilis caro nostra & contrariæ parti cedere solita. Deinde Diabolus assidue a dextra sinistraque conatibus nostris se opponit. Et denique nec mala exempla, nec impiorum persecutiones desunt, quibus in cœpto cursu præpeditur animus. Contra hæc malorum incitamenta omnes animi vires ac nervi excitandi sunt, exemplo *Davidis*, ex toto corde clamantis, ut valeat vitam sanctam ducere, verbum Dei vita exprimere, voluntatemque divinam exsequi, ut hoc ordine in Gratia Dei sibi semel collata perseverare queat. Quæ sane & nostra potissima cura sit, omnibus mundanis rebus anteferenda. Deum enim qui habet propitium, ei certum est, nullas quascunque mundi inimicitias posse nocere. Primus ergo, sicut dixi, ad sanctam vitam gradus, ardens est & *seria oratio*,

Unicum votum Davidis & verorum christianorum.

LIB. II. CAP. V.

14. Secundus a propheta insinuatur his verbis, v. 147, 148: *Prævenit in silentio, & clamavi quia in verba tua supersi. Præverterunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Quibus verbis partim singulare studium, maximumque *amorem* & ardorem erga verbum divinum indicat, partim *tempus* ei meditationi aptum, ut sunt horæ matutinæ. His ut animi sensus magis pollent, ita divinis cogitationibus eo altius immergere se possunt. Id quod tum vel maxime verum esse deprehenditur, quando animus sub spirituali tentatione & tristitia laborans, *de aurora in auroram*, Ps. CXXX, 6. oculis inconnivis a Deo (qui ipse *oculos vigiles* tenet, *Ps.* LXXVII, 5.) auxilium expectat, sperans meliora, & vigilans *instar passeris solitarii in tecto, & nycticoracis gementis in deserto*, Ps. CII, 7, 8. denique *fatigatus in gemitu suo*, Ps. VI, 7. adeo ut spiritum vix trahere possit.

Causæ magnarum tentationum.

15. Atque hæc est illa *Crucis Academia* omnium sanctorum propria. Ad hanc qui non admissus est, eum paucula admodum de Dei verbo nosse, necesse est. In hac omnes animæ vitæque vites debilitat Deus, ut ipse solus fidelium virtus sit, mortificataque per hanc crucem carnali vita nostra, ille solus in nobis vivat ac vivificam verbi potentiam diffundat.

Homini vita cur data?

Et sane hoc unum omnes agamus; eo tendat tota nostra religio, ut auditum Dei verbum vita nostra & opere ipso exequamur.

16. Hanc itaq; doctrinam cordi tuo altius infigas, velim. Nimirum, non cognitionem vel auditionem, sed executionem verbi divini verum christianum demonstrare. Ratio est: quia ipsum adeo Dei verbum aliter nobis non prodest. Hoc enim non cum in finem ut sciatur tantum & audiatur, literis est consignatum, sed ut praxi ipsa exprimatur. Quemadmodum

dum enim medicamentum nihil confert, si illud tantum oculis & auribus usurpet æger, sed sumere illud renuat: Ita verbum Dei in depravatæ nostræ naturæ medicamen divinitus erogatum, neminem meliorem reddet aut ex mortuo vivum efficiet, si vitam suam illi conformare recuset. Ad hoc autem præstandum, utile & necessarium est, dies noctesque a Deo gratiam efflagitare, ut ea quæ verbum te docet, vita operibusque adimplere valeas. Quid quæso artifici prodest, artem scire & non exercere? Nonne per supinam suam desidiam ad egestatem redigetur tandem? Ita quid tibi prodest, scire voluntatem Dei, & non facere? *Servus*, inquit Christus, Luc. XII, 47. *qui cognovit voluntatem domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Et Petrus 2 Epist. II, 21. non dubitat affirmare, *melius esse talibus, viam justitiæ non cognoscere, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.*

Cur non sufficiat verbum Dei scire & audire.

7. Adhæc sicut pater eum pro filio suo non agnoscit, qui in omnibus voluntati ipsius adversatur; ita non verba, sed vita & actiones filios Dei demonstrant, juxta illud Christi, Jo. VIII, 39. *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Quia vero opera Abrahæ non facitis, & me quæritis interficere, ideo ex patre Diabolo estis.* Unde manifesto consequitur, cujus quis opera facit, ejus naturam illum induere & filium esse. Quid arbor infrugifera, terram & hortum inutiliter occupans, prodest? Ad nihil certe, nisi ut in ignem mittatur; ut testatur parabola, *Luc.* XIII, 6, 7. *de ficu sterili.*

Filii Dei faciunt opera Dei.

8. Sicut ridiculum esset & insaniæ species, corvum, nihil simile cygno habentem, cygni tamen appellatione insignire: Ita

si

CAP. V.

si moderatam hominum vitam quis inspexerit, & *Christianos* hujus seculi homines appellaverit, nullo ad vitam moresque habito respectu, nonne infanire illum dixeris? Rerum enim rerum, nisquam, testimonium, non verbis vita christiana est comprobanda, juxta illud 1 Cor. IV, 20: *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Hodie autem plerique ita comparati sunt, ut qui vel maxime christianos se haberi postulant, christiani nihil faciant; similes illis, de quibus olim Romæ *Laurentius Valla*, cum in historiam evangelicam incidens, illa verba *Beati misericordes, Beati pacifici*, &c. Matth. V, 7; legisset, pronunciavit: *Certe aut hæc non sunt vera, aut nos non sumus christiani.*

9. Sunt certe animalia numero non pauca quæ hominem ipsum virtute superant. Ita *columba* simplicitate, *formica* industria, Prov. VI, 6. *Ciconia* parentes suos nutriendi studio; *grus* vigilantia; *canis* fidelitate & amore; *bos* & *asinus* agnitione heri sui, Isa. I, 3; *ovis* mansuetudine; *leo* generositate & clementia erga imbecilliora animalcula; *gallus* alacritate; *serpens* denique prudentia. *Homo* contra *naturalis* omnes bestias malitia antecellit, estque crudelior lupo; astutior vulpe; superbior pavone; voracior porco; pestilentior vipera; uno denique immanior. Unde *Joannes pharisæos* appellat *genimina viperarum*, Matth. III, 7; *Herodem* Christus *vulpem*, Luc. XIII, 32. & Paulus *Neronem* nominat *leonem*, 2 Tim. IV, 17.

Homo malitia vincit omnia bruta.

10. Homo quæ vitia & scelera in singulis brutis singulatim licet observare, ea sæpe in uno naturali homine conspiciuntur ad unum omnia. Adeo ut non immerito Paulus, *Rom.* VI, 6. humanum corpus, *corpus peccati*, quasi omni genere peccatorum plenum & undiquaque pollutum, appellarit. Taceo nullum animal usq;

Omnium brutorum natura est in homine.

adeo

adeo esse corruptum, quin aliquem adhuc afferat usum, exemplo vulpium & taporum, quorum pellibus adversus aeris frigus & inclementiam muniuntur homines. Sed eheu! Quid quæso boni in homine naturæ tantum ductum sequente? *Omnis cogitatio cordis illius tantum intenta ad malum omni tempore*, ut est *Gen.* VI, 5. *Rationem* ad exercendas fraudes adhibet, *corpus* superbia & libidine corrumpit, totusque intus & extra adeo depravatus est, ut omnia ipsius membra *arma injustitiæ* sint; *Rom.* VI, 13. Unde non immerito Scriptura sacra naturam nostram adeo horrendis fœdisque coloribus depingit & ob oculos statuit, *Rom.* III, 10: *Non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agunt. Venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt. Non est timor Dei ante oculos eorum.*

Imago hominis naturalis.

11. Ecce deplorandam hominis naturalis imaginem! Ecce abominationem omnibus nobis connatam! Dic vero mihi jam, an regnum Dei videre possit homo, nisi e supernis prius regeneretur, juxta illud Pauli *Eph.* IV, 23. & *Col.* III, 10? *Renovamini spiritu mentis vestræ; & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Et iterum inquit Apostolus, *Eph.* IV, 20, 21: *Non ita didicistis Christum, si illum audistis, & in ipso edocti estis.* Immo *Gal.* V, 24. ait: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.* Deum immortalem! Si Christi non sunt, qui membra nequitiæ non morti-

mortificant, vitamque peccatis pollutam agunt, fieri non potest, quin Diaboli sint, nullamque regni cœlestis spem habeant, quotquot carnem suam non crucifigunt. Quisquis enim Deo placere desiderat, *nova creatura* in Christo fiat oportet, 2 *Cor.* V, 17. Quippe in quo *non præputium, non circumcisio, non personarum respectus; sed novus homo & nova creatura tantum valet*, Gal. VI, 15. Quæ cum ita sint, unice hoc & præcipue agamus, ut quotidie in mortali hoc corpore peccata magis magisque extinguamus, Christique non Satanæ simus membra. Eo allaboremus, ut Dei verbum in nobis implicatur ac vivificetur, vitamque nostram Deo acceptam reddere studentes, nunquam divinæ gratiæ jacturam faciamus, & ita demum *vasa simus misericordiæ*, Rom. IX, 23.

Præcipua cura christianorum.

12. Atque ob hanc causam *David* ex intimis animi sensibus optat, vitam sanctam ducere, & verbo divino conformem: *Clamavi*, inquit *Ps.* CXIX, 146. *ex toto corde meo, exaudi me Domine: justificationes tuas requiram.* Nimirum cum desuper convertamur, assidua prece sancta vita obtinenda est. *Sana me Domine* (ait *Jeremias*, cap. XVII, 14. XXXI, 18.) *& sanabor: salvum me fac, & salvus ero: quoniam laus mea es tu.* Et *David* iterum: *Clamavi ad te, adjuva me, ut custodiam mandata tua.* Nam peccatum & regnum Diaboli potentiora sunt in homine, quam ut sine divino auxilio res tanta confici possit.

13. Procul itaque omnem socordiam facessere jubeamus, & omnem animi torporem excutiendo, non somnolenter, sed assidue in tanto talique negotio versemur, ut ipse addit *David*: *Veni ante te in crepusculo & clamavi: quia in verba tua speravi. Prævenerunt oculi mei*

Fugienda acedia.

te

te dilecula, ut meditarer eloquia tua. Et *Isaiæ*, cap. I, 4. verbis utitur observatione dignissimis: *Erigit mane, inquit, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.* Cuis similia sunt illa in *Cant. V, 2. Ego dormio, & cor meum vigilat: Vox est dilecti mei pulsantis*, &c. 14. Quibus verbis insinuatur præter alia paterna cura & amor Dei nostri; utpote cujus summæ deliciæ sunt, versari cum filiis hominum, cum illis loqui, illosque erudire ac docere. Qua ex causa etiam Filium suum doctorem nostrum præceptoremque constituit. Hujus loci est exemplar illud longe pulcherrimum, in puerulo Jesu Hierosolymis in templo docendi munus obeunte conspicuum, *Luc.* II, 46. Non credendum, propter judaicum solum templum jam destructum, præstitisse hoc Christum: sed factum hoc potius arbitremur propter christianam Ecclesiam, quæ est vera cœlestisque Hierusalem, quam ipse solus verbo & Spiritu suo vult erudire. Deinde propter templa cordium nostrorum, in quibus ipse docere vult & consolari, illuminare, sanctificare, adhæc orare, interrogare, respondere & loqui per sanctas cogitationes, devotas meditationes & spirituales inspirationes. In quibus *didascalicum* Christi officium consistit. Unde & hæc solaminis plena verba matri suggerit, *Luc.* II, 46: *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis in his, quæ Patris mei sunt, oportere me esse?* Vocans ea, *quæ sunt patris* sui, vocationem & munus didascalicum a patre ipsi demandatum. Quod sane munus etiamnum obit ad dexteram Dei, ceu unicus noster ac verus pontifex. In terris vero per verbum suum illo fungitur; per quod etiam intus in cordibus nostris concionatur, mediante Spiritu sancto & gratiosa ejusdem illuminatione. Et citra

Christus docet in templo cordium nostrorum

LIB. II. CAP. V.

hanc

hanc internum verbi prædicationem, externa sterilis est & inanis, juxta illud *Pauli*, 1. *Cor.* III, 6, 7: *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

CAPUT VI.

In unione cum Christo per fidem consistere hominis perfectionem & beatitatem. Huic tantum abest, ut vel tantillum homo possit addere, ut potius per malam suam voluntatem gratiam divinam impediat; Christo solo omnia in nobis operante.

Joh. XV, 5. *Sine me nihil potestis facere.*

SIcut homo per defectionem a Deo, hoc est per ambitionem & philautiam, a Deo avulsus fuit, & perfectione in qua erat creatus, excidit; ita per unionem cum Deo ad pristinam tranquillitatem & beatitudinem redeat, necesse est. Nam in unione cum Deo tota hominis perfectio consistit. Eapropter etiam Filium Dei hominem fieri oportebat, ut humana natura denuo cum Deo unita, perfectioni suæ primævæ restitueretur. Sicut enim divina humanaque natura in Christo personaliter sunt unitæ; ita nos omnes cum Christo *per fidem* ex gratia uniri debemus; quo summa naturæ nostræ depravatæ corruptio per summum Bonum iterum corrigatur. Unde ipse Filius Dei, *Hos.* II, 19. ait: *Sponsabo te mihi in sempiternum, in misericordia & miserationibus.* Cum enim (ut modo dictum) natura nostra per malorum extre-

Causſa incarnationis Christi.

extremum, *peccatum* puta, infecta esset & corrupta, non poterat illa nisi per summum Bonum, quod est ipse *DEUS*, corrigi & instaurari.

Unio Christi cum fidelibus suis membris.

2. Quemadmodum autem unio divinæ humanæque naturæ in Christo æterna est, indissolubilis & nunquam finienda, adeo ut ipsa mors hoc unionis vinculum disrumpere non potuerit: Sic Christus, caput nostrum, cum fidelibus suis membris ita debet uniri, ut nec vita nec mors ab ipso illos separare possit. Id quod innuit *Hoseas* sub persona Christi dicens: *Sponsabo te mihi in sempiternum.*

Christus in nobis sit & vivat oportet.

3. Hæc unio per fidem summe necessaria est, quia per peccatum a Deo *discessionem fecimus*, Jes. LIX, 2. sine Deo, sine vita, sineque beatitudine æternum mansuri, nisi per fidem Christus in nobis sit, vivat & habitet. Nihil etiam boni facere valemus, nisi id Christus operetur in nobis; juxta illud *Pauli*, 1 *Cor.* XV, 10: *Non ego sed Gratia Dei*; itemque illud *Joh.* XV, 5: *Sine me nihil potestis facere.* Cujus sententiæ veritatem pergit declarare pulcherrima similitudine vitis & palmitis. Unde

Omne bonum quod facimus Dei est.

consequitur, si quid tandem boni sumus aut facimus, id totum soli Deo ferendum esse acceptum, secundum illud *Jes.* XXVI, 12: *Omnia opera nostra operatus es nobis.* Et *Hos.* XIV, 9: *Dirigam eum ut abietem virentem; ex me fructus tuus inventus est.*

Homini suæ vires ad salutem plus obsunt quam prosunt.

4. Hic nunc, O homo, considera quid sis, & quid possis? Quid quæso ad tui reparationem ac depravatæ naturæ renovationem conferre valuisti? Sane sicut ad corporalem tuam nativitatem nihil opis afferre potuisti, neque te ipsum creare; ita neque ad novam tuam nativitatem quicquam conferre potes. Te ipsum perdere, damnare & perimere utique

potuisti; renovare vero te ipsum, reparare, sanare, justificare & vivificare, majus tuis viribus opus est. Ecquid enim ad ipsam Dei incarnationem potuisti conferre? Nihil sane. Unde vero sequitur quod nec quicquam arrogare tibi debeas, vel propriis viribus adscribere. Quo magis enim homo suæ voluntati, viribus & facultati tribuit aliquid, eo magis officit gratiæ divinæ, naturæque corruptæ reparationi. Probe itaque meminerimus, moriendum esse propriis viribus, propriæ sapientiæ, propriæ voluntati & philautiæ, solique Deo absolutam potestatem in solidum omnia in te operandi faciendam, sic ut ne tantillum quidem voluntati & operationibus Dei in te adversetur.

Deo se totum relinquere & resignare oportet.

5. Quoad enim istud non fit, ut *animum mere passivum* habeas, vel Deum omnia in te operari permittas, ita ut ipsius operationem voluntatemque pure *patiaris*; tum vero palam est, impediri a te Deum, quo minus cum anima tua se uniat, suam in te imaginem renovet, & pravitatem collapsæ naturæ emendet. Nam voluntas propria, philautia, ambitio, sapientiæ propriæ persuasio & quicquid tibi ipse arrogas, tot sunt impedimenta, propter quæ non potest ex animi sui sententia libere in nobis operari Deus. Sicut enim voluntas humana hominem se ipso deteriorem indies reddit; ita divina voluntas eundem magis magisque perficit & emendat.

6. Hinc Bonaventura ait: *Tota religionis perfectio in voluntatis propriæ abdicatione consistit.* Et Augustinus: *Si totum hominis bonum est amare Deum, totum hominis malum sit necesse est amare se ipsum.* Item: *Si ea conditio est boni, ut se se effundat & propaget, non potest non esse ma-*

magnum malum amor proprius, qui bona ſua & aliorum ad ſe totum trahit, nec quicquam de eis communicat. Id quod ipſe *Seneca* non ignoravit, cujus ſunt iſta: *Hoc ſolum virtuti adjeceris, quod propriæ voluntati ſubtraxeris.* Item: *Niſi a te ipſo defeceris, ad Deum, qui ſuprà te eſt, non appropinquaveris.*

Reparatio eſt difficilis.

7. Nimirum *Voluntas propria* nihil eſt aliud quam defectio a Deo. Defectio ſane facilis eſt, lubrica, prona & jucunda; ejuſdem vero reparatio difficilis, amara, aſpera, immo omnes creaturarum vires ſuperans. Homo enim propriis viribus non poteſt reſurgere, neque ſe ipſum vel voluntate ſua vel opere adjuvare. Voluntas eſt captiva, opera autem mortua. Itaque ſolius Chriſti eſt, in initio, in proceſſu ſive medio, & fine auxiliari. Atque hic quidem duo *Media* nobis proponit, *Legem* & *Evangelium*, ſive pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Per *Legem* ante omnia Chriſto commoriare, veraque contritione & dolore voluntatem propriam immoles, tibi ipſi vileſcas, & Chriſto totum te dedices. Hoc facto confertur Gratia & remiſſio peccatorum per *Evangelium*, & homo mortuus per fidem reſuſcitatur. Unde ſane patet, neminem ex ſuis viribus converti & reſurgere poſſe. Neceſſe enim eſt, ſe ipſum odiſſe, abnegare, perdere, ſibimet ipſi diſplicere & mori, in ſolo autem Deo ſperare & ipſius tantum gratia vivere.

Solus Deus gratiæ capaces nos efficit.

8. Tale vero *ſuiipſius odium, abnegatio & mortificatio* non noſtræ voluntatis aut noſtrarum virium eſt, ut ſua conſtet veritas apoſtolico illi oraculo: *Non eſt volentis neque currentis, ſed ſolius Dei miſerentis*, Rom. IX, 16. Quem proinde omnia prædicta per ſuam gratiam

LIB. II. CAP. VI.

Justificatio est opus solius Dei.

tiam Spirituſque ſui virtutem in nobis operari oportet. Hoc pacto noſtra juſtificatio in ſolius Dei, non autem in creaturarum manu eſt, manetque in ſolidum opus & donum divinum. Nam quod nos attinet, patet, ſe ipſo hoſtem capitaliorem habere neminem, ut merito Deum orare par ſit, quo a nobis ipſis nos liberet, noſmet nobis eripiat, quod noſtrum eſt auferat, & quæ ſua ſunt donet. Nihil enim boni nos ex propriis viribus præſtare valemus, niſi illud ipſe Deus etiam poſt converſionem in nobis operetur. Quis charitatem & reliqua bona dederit, niſi qui eſt ipſa charitas? Maneat ergo, ſolius Dei ope hæc confici, humanis auxiliis nihil prorſus conferentibus. Quouſque vero per *Adami* defectionem a Deo deſcivit homo, eouſque in *Chriſto* iterum exaltatus eſt, immo ad longe ſublimiorem dignitatis & bonitatis gradum evectus. De quo plura, *cap.* XI.

CAPUT

CAPUT VII.

Ad pœnitentiæ naturam recte cognoscendam, scire oportet discrimen veteris & novi hominis: Sive quomodo *Adam* & vetus homo in nobis mori, *Christus* vero vel novus homo in nobis vivere debeat.

Rom. VI, 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.*

QUilibet christianus *duplex* est, & duo homines sibi invicem oppositi, cum suis fructibus in eo inveniuntur, ut ex tabella hic subjuncta ad oculum pateſcet:

Adam,	*Christus,*
Homo vetus,	*Homo novus,*
Homo exterior,	*Homo interior,*
Nativitas vetus,	*Nativitas nova,*
Caro,	*Spiritus,*
Natura,	*Gratia,*
Ratio,	*Fides,*
Tenebræ,	*Lux,*
Arbor mortis,	*Arbor vitæ,*
Mali fructus,	*Boni fructus,*
Peccatum,	*Justitia,*
Condemnatio,	*Beatitudo,*
Mors,	*Vita,*
Vetus Hierusalem,	*Nova Hierusalem,*
Regnum Diaboli,	*Regnum Dei,*
Semen Serpentis,	*Semen Dei,*

2. Atque hujus tabulæ veritatem cum Scriptura tum experientia confirmat. Illa copioſe de *vetere* & *nova*, deque *interno* & *externo* homine loquitur: *Eph.* IV, 24. *Col.* III, 9. 2 *Cor.* IV, 16. Adhæc docet, *Spiritum Dei in nobis eſſe*, Rom. VIII, 11. 1 Cor. III, 16. VI, 19. 2 Cor. V, 5. Eph. I, 13; pariterque *Chriſtum*, Gal. II, 20. 2 Cor. XIII, 5. Deinde *Experientia* idem evincit. Et huc referenda eſt *lucta carnis & ſpiritus*, cujus ſancti etiam non ſunt expertes, *Rom.* VII, 23; & *fructus carnis & ſpiritus*, Gal. V, 19, ſeqq. Ita ut hoc dogma extra controverſiam ſit poſitum, & certius quam ut chriſtianus de illo dubitare debeat. Hoc enim cardo eſt & fundamentum totius Scripturæ, veraque hominis cognitio in hoc verſatur.

In quo conſiſtat vera hominis cognitio & fundamentum pœnitentiæ.

3. Ex eadem ſcaturigine promanat vera pœnitentia ſive *Adami interitus*, & *Chriſti in nobis vita.* Etenim *Adamo* in nobis morienti commoriuntur omnia quæ ex *Adamo* ſunt derivata; homo vetus & exterior, nativitas vetus, caro, natura, ratio, tenebræ, arbor mortis, fructus mali, peccatum, mors, condemnatio, ſemen Diaboli, homo naturalis, imago terrena, vetus Hieruſalem & regnum Diaboli. Eodem autem vivente, vivit & dominatur una in homine homo vetus & nativitas carnalis, caro, natura, ratio, tenebræ, arbor mortis, fructus mali, peccatum, vetus Hieruſalem & regnum Diaboli. Quæ omnia damnationi & æterno anathemati ſubjacent.

Adami vita in nobis.

4. Sin *CHRISTUS* contra in homine vivat, tum vero vivit & dominatur una homo novus & interior, nova nativitas, ſpiritus, gratia, fides, lux, arbor vitæ, boni fructus,

Chriſti vita in nobis.

ctus, juſtitia, vita, beatitudo, ſemen Dei, homo ſpiritualis, imago cœleſtis, nova Hieruſalem & regnum Dei. Quæ omnia pertinent ad benedictionem & ſalutem ſempiternam. Atque hoc opus hic labor eſt, ſatagere, ne vetus Adam, ſed ſolus Chriſtus in homine vivat ac dominetur.

5. Hinc jam neceſſe eſt vigilare, jejunare, orare, pugnare, certare, & ut ſunt verba Pauli, *Se ipſum probare & experiri, an Chriſtus in illo vivat*, 2 Cor. XIII, 5; *operari cum timore & tremore ſalutem ſuam*, Phil. II, 12; *ire per anguſtam portam & arctam viam* in Chriſto, *Luc.* IX, 23, XIV, 26; hoc eſt, *odiſſe & abnegare ſe ipſum, abrenunciare omnibus & peccato mori*, Rom. VI, 2: Id quod ſane non fit perfunctoria & levicula quadam mentis applicatione, ut delicatuli ſeculi filii cogitant; ſed cum interna triſtitia, contritione, ejulatu, gemitu & lacrymis; ut teſtantur *Pſ.* VI, XXXVIII & alii. Hoc Paulus appellat, *carnem crucifigere cum omnibus deſideriis & concupiſcentiis*, Gal. V, 24. Hoc ſi fiat, tum vero Chriſtus in te vivit, *Gal.* II, 20. regnat & vincit, ipſeque homo viciſſim in Chriſto per fidem; juxta illud 1 *Jo.* V, 4: *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.*

6. Cum autem mundus non *extra te* ſit, ſed *intra te*, ſequitur nec illum extra te, ſed intra te eſſe ſubjugandum. Quid enim eſt mundus niſi *concupiſcentia oculorum, voluptas carnis & ſuperbia vitæ*, 1 Jo. II, 16? Quæ ſicut in te ſunt, ita & in te ſunt debellanda, ut veræ filiationis teſtimonium hinc habeas & filii Dei nomen digne geras. *Nam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum*, 1 Jo. V, 4. Ita demum evades *filius lucis, membrum* & *ovis Chriſti, templum Spiritus ſancti*, & *arbor bona*, ſpon-

LIB. II. CAP. VII.

te, ſine lege & compulſione, immo cum gaudio, amore & voluptate fructus bonos prompte proferens; *Eph.* V, 30. 1 *Cor.* VI. 19. *Jo.* X, 17. *Matth.* XII, 33.

7. Sin vero *in Adamo* vivas & *Adam* in te, ſequitur non eſſe te filium Dei & ex Deo regeneratum. Cum enim a mundo ſis ſuperatus, & hujus ſeculi princeps per ſuperbiam ſuam, ambitionem & philautiam in te dominetur, in numerum *filiorum Diaboli* eo ipſo tranſis. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*, Rom. VIII, 14. Et quotquot Satana aguntur, hi pariter ſunt filii ipſius, *Jo.* VIII, 44. immo Satanæ membra, tenebrarum filii, *domus ſpirituum immundorum, execrabilis Babylon, plena impurorum fœdorumque animalium*, præfigurata *Jeſ.* XIII, 21. *Ezech.* VIII, 10, 11. *Apoc.* XVIII, 2. Quo loco legimus *Ezechielem* in ſpiritu in templum Hieroſolymitanum fuiſſe introductum, inibique inter cetera duo maxime memorabilia conſpexiſſe; & quidem (1) *omne genus reptilium & fœdorum animalium*, nec non *varia idola & abominationes domus Iſrael in parietibus circumquaque depicta.* (2) *Quod multo deteſtabilius erat; ſeptuaginta ſeniores Iſraelis, illas imagines & beſtias thure & ſacrificiis venerantes.*

In Adamo vivere eſt terribile.

8. En tibi typum veteris tui Adamici, bruti & belluini cordis. Hoc cordis tui templum ſi intrare volueris, deprehendes ſane in ipſo ingentem multitudinem fœdorum animalium, ſimulacrorum & idolorum, quæ in cogitationibus Adamicis, phantaſia memoriaque depicta & effigiata proſtant. Deinde (quæ longe major eſt abominatio!) cum idola hæc & abominationes ex corde prorſus ſint eliminanda, & deteſtabile hoc malum quo immundorum & peſtilentium vermium (quos dudum

Typus mirabilis.

dudum per pœnitentiam & carnis mortificationem interimere debuisset) habitatio factus est homo, calidis sit deplorandum lacrymis; videris e contrario te illos vermes adhuc amare, illis servire & sacrificare, illisque delectari; teque parum curare, Christum per hasce abominationes e corde ejici & proscribi, te ipsum vero ea ratione summi æternique boni, Spiritus nempe sancti & omnium ipsius donorum jacturam facere.

9. Miserum vero & ter quaterque miserum, qui gravissimo dolore afficeris, si quam forte calamitatem tibi ipsi consciveris, aut cari quippiam amiseris! Ecquæ itaque te tenet mentis stupiditas, ut ex ipsius Christi jactura quam subiisti, & deplorabili animæ tuæ ac corporis statu, juxta quem malignorum spirituum domicilium factus es, nullo doloris sensu afficiaris? Atque ex hisce intelliges, quid *Adam* sit & *Christus*; tum quomodo in nobis sint & vivant. Quo etiam sequentes observationes pertinent. *Primo:* naturaliter in Adamo esse nos omnes æquales, nec alterum altero meliorem; cum singuli æque qua corpus qua animam, infecti simus & corrupti, *Rom.* III, 23. adeoque non tantum inter judæos & gentiles nulla sit differentia, sed inter omnes omnino homines. Hinc & verissimum est: coram Deo neminem etiam sceleratissimo malefico esse meliorem. *In Adamo omnes æque malè sumus.*

10. Etsi enim malitia omnibus insita, non æqualiter in omnibus etiam per opera se prodat & manifestet; Deus tamen omnes homines ex animo & venenato peccati fonte judicat. Nec peccatum ullum tantum est, quod homo per naturam non sit admissurus, nisi divina contra hoc muniatur gratia. Nihil enim ex natura aliud apti sumus facere, quam gravissimis

LIB. II. CAP. VII.

gravissimis peccatis nos contaminare, *Jer.* XIII, 23. Quibus si forte non usque adeo polluamur, id sane non nostris viribus aut humanæ prudentiæ, sed divinæ gratiæ a peccatis nos præservanti in totum acceptum ferendum; *Gen.* XX, 6. Quæ meditatio ad humilitatem nos exacuat & timorem Dei, ne temere proximum contemnamus, & ipsi secure in diem vivere præsumamus.

11. *Secundo:* Observari par est, sicut *in Adamo* & ex natura omnes æquales sumus, nullo depravatæ naturæ discrimine intercedente; ita per Christum æqualiter bonos sanctosque nos esse effectos, nemine peculiaris justitiæ prærogativam coram Deo pro se obtinente. Cum enim Christus sit nostra integritas, *justitia, sanctitas* & *redemptio*, 1 Cor. I, 30. VI, 11; sequitur, qui *in Adamo* pares sumus, etiam *in Christo* nos esse æquales. Nam sicut in *Adamo* singuli unus homo & unum corpus naturaliter sumus, extremo malitiæ & perversitatis veneno depravatum: ita omnes fideles in Christo unus homo sumus, & unum corpus per fidem & sanguinem Christi summe repurgatum sanctificatumque repræsentamus.

Gratia non superbum facit, sed humilem.

12. Quæ doctrina, ut dicebam modo, remedium est contra *superbiam spiritualem*, ne quis coram Deo meliorem aliis se existimet, utcunque majoribus fortasse donis sit præditus. Quippe quæ non minus mera gratia & alienum bonum sunt, quam ipsa nostra justitia & beatitudo. Hoc purum gratiæ principium iterum iterumque meditare. Quod si feceris, tunc eadem gratia ab omni superbiæ & arrogantiæ periculo proteget te, & ex una parte propriam tuam miseriam & in spiritu paupertatem te edocebit, ex altera vero Chri-

stum

ſtum & divitias gratiæ per ipſum toto generi humano collatas, vivide tibi ob oculos ponet. LIB. II. CAP. VIII.

CAPUT VIII.

Deum familariſſime ad pœnitentiam nos invitare, illamque nequaquam negligendam eſſe aut differendam.

Luc. XV, 10. *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.*

CLementiſſimus Deus, ut dura & lapidea corda noſtra emolliret, noſque a mundo, nobis ipſis & Diabolo ad ſe converteret; (*Act.* XXVI, 18;) hominis converſionem & pœnitentiam multifariam in verbo ſuo nobis delineavit & ob oculos conſtituit.

2. Inter ceteros autem illam inculcandi modos eminent duæ illæ parabolæ, *Luc.* XV, 12, ſeqq. de *perdita ovicula* & *filio prodigo*, tanta conſolatione abundantes, ut citra lacrymas animo altius revolvi vix queant. Tria enim corda in illis depingit Servator noſter. Quorum 1. eſt Cor peccatoris impœnitens. 2. Cor pœnitentis contritum. 3. Cor Dei paterno affectu æſtuans. *Triplex cor.*

3. *Primum* deſcribit ſub imagine *filii degeneris*, ſubſtantiam & hæreditatem ſuam dilapidantis, & extremum ad incitas redacti porcorumque commenſalis. Quo typo denotantur omnes homines, utpote qui ut tot filii degeneres peccatoreſque graviſſimi, hæreditatem cœleſtem omni nequitiæ genere diſſipaverunt, hoc eſt, juſtitiæ, ſanctitatis, innocentiæ

centiæ, pulcherrimæque imaginis divinæ, ad quam creati ſunt, jacturam facientes, ſua culpa in peccatorum, Diaboli & mortis ſervitutem ſunt prolapſi, & quod eſt miſerrimum! in omnibus humanis operibus & legibus, (quas ſiliquæ præfigurant,) nihil opis, tranquillitatis vel ſolatii invenientes, æterna fame perituri, niſi ad cœleſtis patris gratiam recurrant.

Typus hominis perditi.

Typus pœnitentiæ.

4. *Secundum* Cor, quod eſt peccatoris reſipiſcentis & mœrore affecti, iſtis verbis deſcribitur: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam: Pater peccavi in cœlum, & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Qua narratione veriſſimus pœnitentiæ character graphice nobis exhibetur. Nam quod dicitur: illum *in ſe reverſum*, denotat ſpiritualem *Contritionem*; dum nimirum miſeriam ſuam conſiderat homo, expenditque, factum ſe ex filio Dei pecus & ſuem immundam, hominem brutum, belluinum, terrenum & animalem. Deinde originis ſuæ memor, *patris* reminiſcitur, pœnitenſque & peccata ſua confitens, ait: *Pater, peccavi in cœlum & coram te*, Deum hominesque offendendo. Quæ mox obſignat ſui ipſius dedignatione & contemptu, inquiens: *Jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Porro *Fides* ſecunda pœnitentiæ pars inſinuatur nobis eo quod dicitur, *filium ſurrexiſſe* & ad patrem proficiſci auſum fuiſſe, ſibi firmiter perſuadendo, patrem ſi non filii loco, at ſaltem inter mercenarios ipſum eſſe habiturum. Ait enim: *Jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis.* Quæ ſatis oſtendunt, illum firmam concepiſſe ſpem, patrem

Typus fidei & humilitatis.

trem ejus precibus locum daturum, inque gratiam ipsum esse recepturum.

5. Venio nunc ad *cordis paterni* delineationem:

Cor paternum.

(1) *Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius.* En *prævenientem* misericordiam Patris cœlestis, eminus degenerem filium amabili oculorum contuitu observantis, *Ps.* LXXIX, 8. *Jes.* XXX, 18, 19. *Ps.* XXXII, 8.

(2) *Et misericordia motus est:* denotat *exspectantem* misericordiam.

(3) *Et accurrens cecidit super collum ejus:* est *suscipientis* misericordiæ indicium.

(4) *Et osculatus est eum:* testatur de *consolante* misericordia, *Jes.* LXVI, 13.

(5) *Proferte stolam primam & induite illum:* Ad Christum hoc pertinet illiusque gratuitam justitiam, & misericordiam *justificantem* intimat; *Rom.* VIII, 33.

(6) *Date annulum in manu ejus:* denotat Spiritum sanctum, arrham, (*Eph.* I, 14.) annulum filialitatis, υἱοθεσίας, & *despondentem* misericordiam delineat; *Gal.* IV, 6. *Eph.* I, 5.

(7) *Calceamenta in pedes ejus:* significant novam sanctamque in Christo vitam, per gratiam sancti Spiritus & divinam potentiam: quæ sunt propria misericordiæ *confirmantis*, 1 Pet. I, 5. Ps. LXXXIV, 12.

(8) *Adducite vitulum saginatum:* Hocconvivium innuit gaudium Angelorum, sive *vivificantem, lætificantem* & *coronantem* misericordiam, quam *Ps.* LXIII, 4. CIII, 4. *Jes.* LXVI, 13. depingit.

6. Quanta vero hæc sunt divinæ benignitatis argumenta ad pœnitentiam nos invitantia? Age itaque expendamus aliqua ad pœnitentiam *incentiva:* Eorum autem præcipuæ sunt *septem.*

(1.)

Septem argumenta impellentia ad pœnitentiam.

(1) Immensa Dei misericordia.
(2) Christi benignitas & meritum pretiosissimum.
(3) Pœna & comminatio terribilis.
(4) Mors.
(5) Extremum judicium.
(6) Infernus.
(7) Gaudium sempiternum.

(1) *DEI MISERICORDIA:*

7. Deut. IV, 29: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen ex toto corde quæsieris illum & ex tota anima tua: postquam tibi fuerit angustia & te invenerint omnia, quæ prædicta sunt: novissimo autem tempore reverteris ad Dominum Deum tuum & audies vocem ejus. Quia Deus misericors Dominus Deus tuus est; non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti, in quo juravit patribus tuis.* Quam suavis paterni cordis affectus exhibetur hic nobis! Qui jure meritoque ad pœnitentiam nos alliciat. Neque enim *tot ac tanta* esse possunt peccata nostra, quin major gratia sit apud Dominum; juxta *Ps.* CXXX, 7: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.* Et Ps. LI, 3: *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.*

Promissio suavissima.

Magnitudo peccati.

8. Neque adeo *fœda* & abominanda sunt peccata, quin Deus nive candidiora efficere ea queat. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum,* inquit *Jes.* I, 18. *quasi nix dealbabuntur.* Et *Ps.* LI, 9: *Aspergas me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor:* Neque adeo varia & *multiplicia,* quin vincantur a divitiis gratiæ divinæ, *Eph.* I, 7. *Dominator enim Dominus misericors & clemens est, patiens & multæ miserationis, qui aufert iniquitatem,*

Deformitas peccati.

Varietas peccati.

tatem & scelera atque peccata; ut est *Exod.* XXXIV, 6, 7: Neque adeo *valida* & potentia, quin Dominus extinguere ea possit & in profundum maris projicere, ut *Pharaonem* cum toto suo exercitu; ut est *Mich.* VII, 19. Nec denique adeo *noxia* & pestilentia, quin Deus illa sanare queat, juxta illud *Ezech.* XXXIII, 12: *Cum converterit se impius, non erit illi in ruinam iniquitas.*

Robur peccati.

Virulentia peccati.

(2) *CHRISTI BENIGNITAS:*

9. Quam blande & comiter Christus Jesus peccatores solitus sit excipere, docet ipsemet *Matth.* IX, 12, 13: *Non est*, inquit, *opus valentibus medicus, sed male habentibus. Non enim veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Et *Luc.* XIX, 10: *Venit filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* De hac Servatoris benignitate vaticinati sunt prophetæ. *Ezech.* XXXIV, 2. 11, 12, 16: *Væ vobis pastoribus, qui quod perierat, non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor. Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum. Quod perierat, requiram; & quod abjectum, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, consolidabo.* Et *Jesaias* cap. XL, 2: *Sicut pastor gregem suum pascet; in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit.*

Christi benignitas invitat nos ad pœnitentiam

10. Neque vero Christi *Benignitas* solum ad agendam pœnitentiam te impellat; sed multo magis extrema illius *Tristitia* & innocentissimus sanguis pro te effusus. Considera quæso, (1) Quod vitam suam non pro cœlo aut terra, sed pro anima tua profuderit. Ecquare itaque non desistas per impœnitentiam

tiam talem tantumque thesaurum tam turpiter prodigere? (2) Memento, te nullo alio lytro quam pretioso Christi sanguine potuisse redimi. Quare itaq; non evitaveris sollicite tam angusti pretii & redemtionis jacturam facere? (3) Revoca ad animum, Christum te redemisse a mundo, peccatis & Diabolo; quibus proinde ultra servire ne cupias. (4) Cogita, sine pœnitentia nihil tibi prodesse meritum Christi, sed *conculcare te sanguinem illius, & Spiritui gratiæ contumeliam facere*, Ebr. X, 29. (5) Illud denique fac mediteris, quam dura & perpessu aspera tui caussa subierit Servator! Quomodo ploraverit, tristatus fuerit, tremuerit, cohorruerit, quam crudeliter *propter peccata tua vulneratus fuerit*, Jes. LIII, 4, & denique quasi *vermis* & anathema in ligno pependerit, *Ps.* XXII, 7. O tristissimum spectaculum, & miserandum pœnitentiæ speculum!

3. *POENÆ TEMPORALIS COMMINATIO.*

11. Psal. VII, 12, 13, 14: *Deus judex justus, numquid irascitur per singulos dies? Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus aptavit.* Huic iræ & vindictæ nemo quisquam subducere se potest, ut *Amos* IX, 2, 3, 8. inquit: *Fugient, & non salvabitur ex eis qui fugerit. Si adscenderint usque in cœlum, inde detraham eos. Si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos. Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, & conteram illud a facie terræ.* Sophon. I, 17, 18: *Effundetur sanguis eorum sicut humus & corpora eorum sicut stercora. Sed & argentum eorum & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini; in igne zeli ejus devorabitur omnis terra.* Quæ terribiles comminationes

Ira Dei est ignis consumens

ad

ad pœnitentiam nos exacuant, cum per hanc vastitates terrarum interitusque populorum & urbium avertantur, ut patet in *Ninive*; & ex illo *Jer.* XVIII, 7: *Repente loquar adversus gentem, ut eradicem & dispersam illam; verumtamen si pœnitentiam egerit, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei.*

(4.) MORS:

12. Idcirco voluit Deus ultimam vitæ horam esse occultam, ut quotidie & singulis horis pœnitentiam ageremus, & quemlibet quadrantem pro ultimo haberemus. *Tota hominis vita ipsi ad pœnitentiam data*, inquit *Bernhardus*; nec illa quicquam aliud est, quam pœna & crux quotidiana; ut est *Ps.* XXXVIII, 18: *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Deus, qui pœnitentibus gratiam promisit, non promisit crastinum ad pœnitentiam peccantibus. *Statutum est omnibus semel mori, post hoc autem judicium*, Ebr. IX, 27. Et *Sir.* VII, 39: *Meditare novissima tua & in æternum non peccabis.* Qualem enim Deus te invenerit, talem te judicabit. Quocirca ita vive, ut te mori velles. Cogita ubi nunc sint, qui ante paucos dies vitam duxerunt hujus mundi bonis & deliciis abundantem. Congregati sunt ad locum suum, & ultimum expectant judicium. Quapropter *exite de illis populus meus, ne participes sitis delictorum eorum, & de plagis illorum ne accipiatis*, Apoc. XVIII, 4.

Cur Deus horam mortis occultarit. Vita hominis quid?

(5) JUDICIUM EXTREMUM:

13. Nam post mortem locus aut spatium pœnitentiæ non erit. Hic enim aut vita admittitur aut retinetur. Qui pœnitentiam agunt, non sistuntur judicio. Hanc qui negligunt, hi feriuntur illa terribili sententia: *Ite maledicti*, Matth. XXV, 41. *Ecce nunc tempus acceptabile;*

Judex stat ante ostium.

acceptabile; ecce nunc dies ſalutis, 2 Cor. VI, 2: illic vero dies judicii. *Hodie, ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ne forte jurem in ira mea, non intraturos vos requiem meam.* Pſ. XCV, 8: Ebr. III, 7, 8, 11. *Omnes nos* inquit Paulus 2 *Cor.* V, 10, *manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque prout geſſit, ſive bonum ſit, ſive malum.* Jam autem pœnitentibus *tecta ſunt peccata*, ut eſt in *Pſ.* XXXII, 2; immo *oblivioni tradita*; ut loquitur *Ezech.* XXXIII, 16. *Tu igitur agnoſce, ut Deus ignoſcat.*

(6) *ÆTERNA CONDEMNATIO:* 14. Illic nullus locus erit miſericordiæ, & audietur illud *Luc.* XVI, 25: *Memento fili, accepiſſe te bona tua in vita tua.* Nunc vivere deſiiſti, & æternum Deo mortuus es. *Ex inferno non eſt redemptio*, ait Pſ. XLIX, 15. Quomodo alicujus boni vel ſolaminis particeps erit, qui æternum eſt mortuus? Itaque hic tantum gratiæ locus eſt; illic vero damnati ita morientur, ut tamen ſemper vivant; atque ita vivent, ut in æternum moriantur. Omnes omnino ſenſus æterni illic cruciatus pœnas luent. *Viſus* æternis tenebris; *Auditus* ſtridore dentium ac ejulatu; *Odoratus* halitu & igne ſulphureo; *Guſtus* amaritudine mortis ſempiternæ; *Tactus* denique cruciatuum æternorum ſenſu.

(7) *BEATITUDO ÆTERNA:* (15. Nonne indignum eſt, momentaneam delectationem æterno gaudio præferre? Jam autem nemo in illud intrabit, qui non prius multis calidiſſimis lacrymis in fide fuſis ſemet mundaverit, *veſteſque ſuas dealbaverit in ſanguine Agni*, Apoc. VII, 13, 14: *Foris* autem *ſunt immundi, canes, veneſici, & qui amant ac faciunt mendacium*, Apoc. XXII, 15. *Nullus eorum*,

eorum, qui ad convivium & prandium Christi hic venire sunt dedignati, gustabit cœnam illius, Luc. XIV, 24. Summum gaudium vitæ æternæ, totaque adeo merces erit visio Dei, 1 *Jo.* III, 2. *Iterum,* inquit Christus, *Jo.* XVI, 22: *videbitis me, & gaudebit cor vestrum; & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Atque hic divinæ faciei aspectus, est Angelorum gaudium, vita, panis cibusque invisibilis unde sustentantur. Hinc *Raphael* Angelus ad *Tobiam,* cap. XII, 18: *Ego utor cibo* inquit *invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest.* Sicut autem Dei visio summum gaudium præstat; ita illum nunquam videre, extremus, atrocissimus æternusque cruciatus est. LIB. II. CAP. VIII.

CAPUT IX.

Quid sit *POENITENTIA* quomodo illa agenda, & quomodo divina bonitas ad illam nos invitet.

Joel. II, 13. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu & in planctu. Et scindite corda vestra & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum; quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & quem pœnitet mali.*

Deus sanat nos per pœnitentiam.

CLementissimus Deus, qui non quærit interitum nostrum, sed salutem & beatitudinem sempiternam, quique miseriam & calamitatem nostram unus optime cum intelligit, tum ablatam a nobis cupit; multifariam ad pœnitentiam, quæ est unicum salutis & auxilii medium, invitat nos ac allicit.

2. Nonnunquam atrocissimis comminationibus rem agit, ut est *Jer.* VI, 19: *Ecce*

ego adducam mala ſuper populum iſtum; quia verba mea non audierunt, & legem meam projecerunt. Et *cap.* VII, 14: *Quia feciſtis omnia opera hæc, dicit Dominus, & locutus ſum ad vos & non audiiſtis, idcirco projiciam vos a facie mea.* Ad quam horrendam comminationem, qua temporalia & æterna mala denunciantur, cohorreſcere nos ſane oportet. Neque enim comminatio Dei inanis vox eſt & ſonus quidam evanidus; ſed vim & efficaciam comitem habet, & ipſe zelus Dei eſt ſuo tempore in actum ipſum erumpens. Id quod ſatis ſuperque his temporibus experimur, in quibus innumeræ ærumnæ & miſeriæ totum terrarum orbem pervadunt. Quæ etiam indies augebuntur, niſi pœnitentiam mature egerimus; iraque divina per bella, famem, peſtem, incendia & inundationes adeo exardeſcet, ut ipſa quoque fundamenta, ſicut Hieroſolymis, abſumat.

Dei minæ non ſunt nugæ.

3. Quem vero Dei ira & comminatio ad pœnitentiam adducere non valet, ejus animum inducat flectatque benigniſſima Dei *Gratia*; qua adeo blande nos invitat; velut *Jer.* III, 7, 8: *Revertere averſatrix Iſrael, ait Dominus, & non avertam faciem meam a vobis; quia ſanctus ego ſum, dicit Dominus, & non iraſcor in perpetuum. Veruntamen agnoſce iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es.* Quibus verbis gratiam ſuam nobis offert Deus, oratque & obteſtatur, ut ad ipſum revertamur, pœnitentiam pro peccatis acceptaturus; juxta illud *Sap.* XII, 18: *Tu autem, Dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos, & docet nos filios tuos, quod judicans das locum pœnitentiæ in peccatis, & bonæ ſpei nos facis.*

Deus nos vocat per ſuam gratiam.

Pœnitentia agitur

4. Quæ

4. Quæ ſententia ut ſuperiori gemina & germana eſt; ita teſtatur Deum per ſuam gratiam, miſericordiam, patientiam, benignitatem & placabilitatem ad pœnitentiam nos invitare. Tria autem præcipue in illa ſunt digna obſervatu. *Primo*: quid ſit agere pœnitentiam, puta converti ad Dominum. *Secundo*: agendam eſſe pœnitentiam jejunio, planctu & fletu. *Tertio*: quomodo Deus ad pœnitentiam nos invitet. Ac primum quidem quod attinet, ſciendum, *pœnitentiam agere* nihil aliud eſſe, quam ex *Lege* Dei connatam cordis cœcitatem, internam malitiam, deteſtandamque impuritatem & impietatem *agnoſcere*, eamq; ceu abominationem intrinſecam & peſtilentem omnium peccatorum fontem reputare; per quam a Deo ſummo æternoque bono avertimus nos, illiuſque iram, infernum, condemnationem & varias pariter temporales pœnas promeriti ſumus.

LIB. II. CAP. IX.

1. *Peccata noſtra & gratiam Dei agnoſcendo.*

Deſcriptio pœnitentiæ.

5. Hæc ſi ad animum revocaverimus, ex intimis merito ſenſibus *dolemus* hinc & contriſtamur, non tamen pœnæ, ſed offenſi Dei cauſſa, qui, utut æterna eſt charitas paterque clementiſſimus, graviſſime tamen a nobis fuit offenſus. Per *Evangelium* ſpem deinde bonam de gratia Dei & remiſſione peccatorum in Chriſto concipiamus iterum, juxtaque vitam ſerio emendemus, cor per fidem purgemus, cupiditates malas reprimamus, ſpiritum contumacem & immorigerum exuamus, voluntati propriæ quæ divinæ ex diametro adverſatur, moriamur, inque Chriſto novam Deoque acceptam vitam auſpicando, fructus feramus pœnitentia dignos. Hinc dicitur, *Jeſ.* I, 16: *Lavamini, mundi eſtote, & ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur.*

LIB. II. CAP. IX.

Philautia carnalis impedit veram pœnitentiam.

6. Sed hoc opus, hic labor eſt! Facilius enim dicuntur quam in praxin reducuntur quæ modo attulimus. Id quod alia ex cauſſa non fit, quam quia nemo internam cordis ſui abominationem ſerio agnoſcere allaborat & ſe-ipſum odio habere. Quilibet veteri ſuo *Adamo* blanditur carnique funditus corruptæ palpum facere geſtit. Raro inquam invenitur quiſquam, qui penitius in cor ſuum deſcendat illudque profunde ſtudeat perſcrutari. Quilibet ſibi ipſi placet, cordis autem ſui abominationem ſerio aggredi detrectat: hinc vero & immenſam Dei gratiam in Chriſto patefactam ſuſque deque habet & ſecure negligit.

2. *Ad Deum revertendo.*

7. Alia autem omnino exigit propheta, jubens *nos converti ad Deum ex toto corde, in jejunio, fletu & planctu*; ſubindicans quod a Deo averterimus nos & *reliquerimus fontem vivum*, Jer. II, 13. nullam unquam vitam ac beatitudinem recuperaturi, niſi ad ipſum denuo nos *convertamus*, juxta illud *Jer.* III, 17: *Convertimini ad me filii averſantes, ut ſanem inobedientiam veſtram.* Nimirum hæc voluntas Dei eſt, ut agnoſcamus miſeriam noſtram, & ita viciſſim ipſe noſtri miſereri vult.

3. *Media non aſpernanda.*

8. Cum autem natura adeo cœci ſimus, ut propriam miſeriam ex nobis ipſis digne agnoſcere non valeamus; ideo *Media* nobis largitus eſt Deus, puta verbum & ſacramenta, quæ gratia ejus Spirituſque nunquam non concomitantur. Per hæc ipſe nos trahit, allicit & ut perditas oves & devias ad ſe vocat. Sicut enim ovis perdita ex ſe ipſa in viam redire non poteſt; ſed neceſſe eſt a paſtore ipſam quæri & reduci: ita & nos vel æternum erraremus, per avia & deſerta vagantes, niſi nos quæreret Deus. Id quod *Petri* & *Pauli* exem-

pla

pla potenter evincunt. *Converte me*, inquit *Jeremias*, cap. XXXI, 18. *& convertar; quia Deus meus es tu.* Jer. XVII, 14. *Sana me, Domine, & sanabor; salvum me fac, & salvus ero; quoniam laus mea tu es.* Scilicet *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere juxta suum beneplacitum*, Phil. II, 13.

9. Quapropter simul atque a Deo per prædicta *Media*, velut dexteram excelsi salutiferam erigimur, & ad pœnitentiam invitamur, nostrum est illius gratiæ & *Spiritui sancto non resistere*, (ut ait *Ps.* XCV, 8: *Hodie, hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obturare corda vestra*:) sed peccatum, quod objurgatur in nobis, agnoscere, Deique gratiam nobis oblatam non aspernari, & certissime miserebitur nostri Deus, juxta illud *Jes.* LV, 7: *Derelinquat impius viam suam, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* 4. *Non rectato non resistere, luctando,*

10. Atque hoc pacto *Conversio*, utcunque gratuitum Dei donum sit, nobis tamen adscribitur, si modo Deo nos per illius gratiam permittamus, Spiritui sancto petulanter non resistamus, & gratiam oblatam, ut judæi, *Act.* VII, 57. XIII, 46. aures obturantes non adspernemur; sed morbum nostrum e *Lege* agnoscentes, ad *Evangelii* præscriptum cœlesti medico nos sanandi liberam faciamus potestatem. *Conversio est charisma.*

11. Hujus rei figuram habemus in ovicula aberrante; quæ si eminus sui pastoris vocem audiat, e vestigio sequitur vocantem & in viam revertitur. Quod exemplum quare non sequimur omnes, ne brutis tandem hebetiores evadamus? Ut quidem conqueritur *Jesaias*, cap. I, 3: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit.* Et *Jer.* VIII, 4, 7: *Numquid qui cadit,*

dit, non resurget? & qui aversus est, non revertetur? Hirundo & ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit.

5. *Sed petendo.*

12. Itaque nostrum est, assidue ad Deum suspirare, ne velit dexteram suam gratiosam retrahere, unde aberrare nos necesse est. Et enim cum peccatum & vetus *Adam* alte inhæreant carni & sanguini nostro; idcirco indies egemus gratia Divina, immo singulis momentis, ut ea peccatum in nobis reprimatur & dominium ejus & tyrannis auferatur. Atque hæc est animæ nostræ vita, sicut corporis anima. Immo velut corpus nostrum neque ad momentum carere potest aere, ita neque anima nostra carere potest divina gratia. Unde *Salomo* orat 1 *Reg.* VIII, 57: *Sit Dominus Deus noster nobiscum, non derelinquens nos neque projiciens; sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus.*

Singulis momentis gratia indigemus.

6. *Ad singulos accommodando.*

13. Hoc vero non in generalioribus saltem terminis addiscendum est, sed necesse est, singulos sibi accommodare hoc & alta mente reponere. In se intueatur quisque, & unum convertat, ut ita tandem emendemur omnes. Jugiter nobis obversetur exhortatio illa & promissio solaminis plena, *Jes.* LV, 6: *Quærite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est.* Et *Jer.* XXIX, 13: *Cum quæsieritis me in toto corde vestro, inveniar a vobis, ait Dominus.*

7. *Cor emundando.*

14. Porro ad veram pœnitentiam non sufficit ab externis & ab enormibus peccatis abstinere; sed cor ipsum est emundandum mutandumque, internaque superbia, avaritia, voluptas ac pravi quique affectus mortificandi sunt. Corde enim non immutato nec renovato, h. e. remanente in illo veteri *Adamica*

illa

illa indole, intrinseca malitia, ira, odio, inimicitia, vindicta, mendacio doloque, vana est, immo fucata omnis pœnitentiæ jactantia & mera hypocrisis. Deus enim cor novum exigit, & *novam creaturam in Christo Jesu*, 2 Cor. V, 17. Unde nemo adeo sanctus, probus & mundus est, quin quotidie aliquid inveniat resarciendum in corde suo & emendandum. Hinc *Jer.* VI, 7: *Sicuo protrudit puteus aquam suam, sic vos malitiam vestram.* Atque hæc de primo capite, puta de *pœnitentiæ Naturâ & Mediis ad illam perveniendi.* De quo etiam *lib.* 1. egimus.

LIB. II. CAP. IX.

Cordis pœnitentia.

15. Videamus nunc, *quomodo* ad Deum nos convertere debeamus? *Ex toto corde*, inquit propheta, *in jejunio, in fletu & in planctu.* At nos miseri propter caduca & fragilia bona lacrymas effundimus, animæ autem nostræ conditionem nolumus deplorare, ut faciebat *David*, Ps. VI, 7. & XXXVIII, 10, seqq. Et prophetæ quidem scopus est nos docere, pœnitentiam nostram non simulatam, sed sinceram esse debere; quia *Deus cor respiciat & scrutetur renes*, 1 Sam. XVI, 17. Ps. VII, 10.

16. Quod autem de *jejunio* dicit, id sane pertinet ad jejunium generale totius populi, hic a Propheta præceptum; quando universa Ecclesia pœnitentiam agit, sua peccata publice confitetur, deplorat & deflet, coram Deo se humiliat, jejunat, & qua corpore qua anima in sobrietatem collectis, remissionem peccatorum a Deo efflagitat, pœnasque universim imminentes deprecatur. Hujusmodi jejunium universale & publica pœnitentia, seria conversio, luctus, fides, oratio, confessio & deprecatio efficacissimum est medium ad placandam iram Dei avertendasque pœnas epidemicas. Patet hoc ex *Jud.* XX, 26. ubi tribu *Israelis* a tribu *Benjamin* superata, & occisis triginta hominum millibus

1. Jejunando. Publica pœnitentia totius ecclesiæ.

LI B. II. CAP. IX.

libus legimus convenisse populum cum lacrymis & planctu coram Domino, ibidemque diem totum usque ad vesperam jejunavisse. Pertinet etiam huc illustre exemplum *Ninivitarum*, Jon. III, 5; & illud de quo legimus, 1 *Chron.* XI, 12. ubi filii *Israel* a *Philistæis* superati, occiso *Saul* & *Jonathan* septidui jejunium celebrasse dicuntur.

Jejunium pœnitentiale.

17. Talia jejunia solemnia & *pœnitentialia* etiam in primitiva Ecclesia fuerunt usitata; conveniente in unum toto christianorum cœtu & ingruente calamitate quadam epidemica, seriam pœnitentiam agente: Non sane, ut solemnibus his operibus peccatorum remissionem obtinerent; verum ut contrito, sobrio & humili corde Deum placarent, pœnasque publicas deprecarentur. Atque ejusmodi jejunia merito in hunc usque diem debuissent conservari.

Illius vires

18. Ejusmodi jejunia cum vera pœnitentia conjuncta, murus nobis essent & arx munitissima contra Turcas & omnes alios hostes: benedictio in annonæ caritate; panacæa in morbis contagiosis & epidemicis, & propugnaculum omnium nostrarum facultatum. Exemplum *Jobus* est, qui pro liberis suis, quoties hi laute aliquem insumserant diem, vota, sacrificia & jejunia Deo persolvebat, domumque suam oratione velut quodam quasi sepimento contra Diaboli insultus & irruptiones firmabat; *Job.* I, 4, 5.

19. Certum est, Deum in publicis ejusmodi calamitatibus tales viros omnino circumspicere, quos velut muros iræ suæ jam jam erupturæ opponere queat. Unde illa in *Ezech.* XXII, 30, 31. promanant: *Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni. Et effudi*

effudi super eos indignationem meam, & in igne iræ meæ consumsi eos: viam eorum reddidi, ait Dominus Deus.

20. Talis murus erat propheta *Daniel*, cum totius populi peccata Deo confiteretur, *Dan.* IX, 9. Tale jejunium pœnitentiale describit etiam propheta *Joel* verbis gravissimis, *cap.* II, 15, 16, 17: *Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, & sugentes ubera; egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Plorabunt sacerdotes & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium.* *Descriptio jejunii generalis.*

21. Et hujusmodi quidem jejunia a toto populo magno cum zelo & missa procul omni hypocrisi, celebrentur. Hæc enim voluntas Dei est, ut peccata nostra confiteamur omnes, veram humilitatem & seriam pœnitentiam offeramus, totoque corde ad ipsum convertamur. Hinc propheta *cor, non vestimenta scindi* jubet, more judæorum, qui, si quando rem nefariam audirent viderentve, vestimenta sua scindebant, & induentes laceratas vestes ac jejunantes, externo hoc pœnitentiæ apparatu cordis corrupti pravitatem sæpius palliare studebant. Quo nomine illos objurgat *Jesaias*, cap. LVIII, 5: *Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? Numquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domini? Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque in-* *Sit zelo junctum.*

Jejunia & pœnitentia hypocritica.

induc in domum tuam; cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris.

Verum jejunium.

22. Quo memorabili vocis divinæ oraculo docemur, quid sit verum jejunium; puta a peccatis desistere, concupiscentias carnis coercere, veterem *Adamum* mortificare, charitatem, patientiam & misericordiam exercere, idque corde contrito, afflicto & pœnitente. Atque hoc volebat propheta, cum diceret: *Scindite corda vestra.* Quemadmodum enim vulnera cordis exquisitissimum incutiunt dolorem; ita ex peccatis tantum hauriamus sensum, ac si cor ipsum esset sauciatum & contritum. Hinc loquitur *David*, Ps. LI, 19. *de sacrificio cordis contriti & spiritus tribulati, quo est nullum Deo acceptius.* Hujusmodi enim cor per fidem capax est gratiæ divinæ, consolationum Spiritus sancti, & meriti sanguinisque Jesu Christi.

Corda scindendo.

Cor contritum est capax gratiæ.

23. Quemadmodum enim rupes non comminuta, confracta & collisa non potest imbibere oleum & aquam, si quis talibus illam perfundat; ita balsamus gratiæ & consolationis divinæ cor tantum contritum afflictumque penetrat, ut per fidem meriti Christi particeps reddatur. Non enim *sani, sed ægri medico indigent*, Matth. IX, 12. Nec quisquam putet, se *Christi esse, nisi carnem suam cum omnibus desideriis & concupiscentiis crucifixerit*, Gal. V, 24. Nihil enim prodest sanguis Christi his, qui illum non accipiunt corde contrito, afflicto, pœnitente, humili & fide imbuto.

24. Tandem quod *Cautes* attinet, (hoc enim *tertium* caput erat) quæ ad pœnitentiam quemlibet adducere & incitare debeant, eas propheta his verbis complectitur: *Convertimini ad Dominum; quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & quem pœnitet*

tet mali. Quasi dicat per gradationem: *Si parum est, benignum esse, sum etiam misericors; si plus vultis, sum quoque patiens; si nec hoc sufficit, sum multæ benignitatis; denique si nondum acquiescitis, scitote, pœnæ me facile pœnitere, atque adeo inter ipsas pœnas jam ingruentes tempus adhuc esse pœnitentiæ.*

Dei gratia nos vocat ad pœnitentiam

25. Et *primo* quidem dicit: *Deum esse clementem*, hoc est, facilem & in reconciliationem propensum; *Ps.* CIII, 8. Exoratur facile, peccata remittit, nec jure stricto severaque justitiæ lege aut ex merito agit Deus. Quæ sane omnia Deus nobis eo præstat, ut tandem aliquando ad pœnitentiam revocemur. Pertinent huc etiam pulcherrimæ gratiæ divinæ promissiones, quæ passim in Scripturis extant, qualis illa *Exod.* XXII, 27: *Si læseritis eos, vociferabuntur ad me & ego audiam clamorem eorum*: item *Jes.* XXX, 18, 19: *Plorans nequaquam plorabis, misereus miserebitur tui; ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit. Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri.* Hoc est: ipse summus Deus dives est gratia qua vos manet. Est enim in ipso (1) *Gratia exspectans*, qua vere se convertentes ultro recipit. Et deinde (2) *Gratia præveniens*, juxta illud in *Ps.* LXXIX, 8: *Cito præveniet nos misericordia tua.* (3) *Gratia suscipiens*, de qua *Ps.* XXXII, 10: *Sperantem in Domino misericordia circumdabit.* (4) *Gratia conservans*, secundum *Ps.* XXIII, 6: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. De quo* exempla capite superiore adducta vidimus. Quo etiam pertinet illud *Ps.* CXXX, 7: *Apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemtio.* Quæ clementia Dei utique calcar tibi addat stimulumque ad pœnitentiam serio agendam.

1. *Singularis Dei clementia.*

Dei gratia nos exspectat.

26. (2)

26. (2) Dicit propheta *Deum miſericordem eſſe.* Significat vero *Miſericordem eſſe*, facile cum alienis miſeriis commoveri, ac intus & in corde condolere. Ut in parentibus videre eſt, qui liberos ſuos ex intimis viſceribus non modo diligunt, ſed ipſorum etiam infirmitate, miſeria & calamitate tam vivide afficiuntur, ut vel mortem pro illis ſubeant, ſicut teſtatur *David*, 2 *Sam.* XVIII, 33. has fundens querelas: *Fili mi* Abſalon, Abſalon *fili mi! quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te*, Abſalon *fili mi, fili mi* Abſalon? Atque hæc omnia copioſiſſime Deus nobis præſtitit, filium ſuum in mortem pro nobis dando; & hoc uno facto omnia paternæ maternæque miſericordiæ viſcera longiſſime ſuperando. Itaque hujus loci eſt illud *Eſ.* XLIX, 15: *Numquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filii uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.* Itemque illud *Jer.* XXXI, 21: *Si filius honorabilis mihi* Ephraim, *ſi puer delicatus: idcirco conturbata ſunt viſcera mea ſuper eum: miſerens miſerebor ejus, ait Dominus.* Deut. IV, 31: *Deus miſericors Dominus Deus tuus eſt; non obliviſcetur pacti, in quo juravit patribus tuis.* Pſ. CIII, 8: *Miſerator & miſericors Dominus.* Hanc miſericordiam revocabat ad animum *David*, cum optione illi facta inter tres pœnas quam vellet, eligendi, reſpondit 2 *Sam.* XXIV, 14: *Melius eſt, ut incidam in manus Domini, multæ enim miſericordiæ ejus ſunt.* Utinam vero & te paterna hæc & exundans Dei miſericordia ad pœnitentiam alliceret! *Obſecro vos*, inquit *Paulus*, Rom. XII, 1. *per miſericordias Dei.*

2. *Paterna miſericordia; & quid illa.*

Dei miſericordia paterna maternaque major eſt.

27. (3) Propheta *Deum patientem* nominat, & eo ſignificat, illum non facile ad iram commoveri, multos defectus tolerare, & pœnitentiæ

3. *Longanimis patientia.*

tiæ ac converſionis ſpatium concedere. Quæ omnia Deus nobis præſtitit copioſiſſime. Eſt enim ipſa *charitas benigna & patiens, omnia ſperans, omnia ſuffert eus, omnia ſuſtinens,* 1 Cor. XIII, 4. more parentum multa liberis ſuis condonantium. Atque huc pertinet illud *Petri,* 2 Epiſt. III, 9: *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Item illud *v.* 15: *Domini noſtri Jeſu Chriſti longanimitatem, ſalutem arbitremini.* Et illud *Pauli* Rom. II, 4: *An ignoras, benignitatem Dei ad pœnitentiam te adducere?*

LIB. II. CAP. IX.

Magna Dei patientia.

28. Dei ſane benignitati unice eſt adſcribendum, quod primo mundo centum & viginti annos ad pœnitentiam conceſſerit, *Gen.* VI, 3: & quot quæſo nobis ad operandam ſalutem & pœnitentiam conceſſit? Qua vero divina gratia non pauci abutentes, eo licentius in quælibet ruunt peccata, & *gratiam ad laſciviam transferunt,* Jud. *verſ.* 4. Videant tamen hi, ne pœnæ gravitate ad pœnitentiam tarditas tandem compenſetur. Quod ſi homini alicui tot tantæque injuriæ inferrentur, quot & quantas quotidie Deus a nobis accipit, tantam equidem illius patientiam futuram ſperare non auſim, ut non modo omnibus condonaret injurias, ſed beneficiis inſuper illas compenſaret. Quæ vero cum Deus faciat, omnino neceſſe eſt, ipſum longe eſſe patientiſſimum. Et O utinam immenſa hæc Dei patientia ad veram pœnitentiam te tandem deduceret ac commoveret!

4. *Benignitatis magnitudo. Deus eſſentiale & communicativum bonum.*

29. (4) Commendat propheta *Deum a magnitudine bonitatis.* Quaſi dicat: *Non poteſt eſſe tam grande peccatum tuum, ut ab hoc vincatur miſericordia illius.* Deus enim ut per eſſentiam & totus bonus eſt, ita totum ſe nobis communicare optat, ſi modo recipere illum & com-

comprehendere valeremus. Immo natura ſua nihil aliud poteſt quam benefacere, ex eoque multo maximam percipit voluptatem; juxta illud *Jer.* XXXII, 41: *Lætabor ſuper eis, cum benefecero eis. Ejus miſericordia tanta eſt, quantus ipſe*, hoc eſt, infinita. Ad homines univerſos porrigitur, *Sir.* II, 23. cap. XVII, 26. *Miſeratio hominis*, inquit Eccleſiaſticus, cap. XVIII, 12. *circa proximum ſuum eſt, & parentis circa filium ſuum; miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem.* Et *Pſ.* CIII, 11: *Quoniam ſecundum altitudinem cœli a terra, corroboravit miſericordiam ſuam.* Thren. III, 22: *Summæ miſericordiæ eſt quod non ſumus abſumpti, quod non defecerunt miſerationes ejus. Nova eſt quolibet diluculo ampliſſima fides tua.* Fac ergo, O homo, ut hæc tanta taliſque bonitas Dei benignitaſque ad pœnitentiam te revocet.

5. *Afflictionis condolentia.*

36. (5) Poſtremum, quod propheta in Deo commenda, eſt *pœnæ pœnitentia.* Quaſi dicat: *Dei hæc natura eſt, illibenter pœnas infligere; quod ſi quandoque eo adigitur, tum vero non noſtro malo, ſed ad noſtram beatitudinem illas irrogat, ne cum impiis condemnemur,* 1 Cor. XI, 32. Ita *Jeſ.* XXVIII, 21. dicitur: *Deus facit opus alienum, ut faciat proprium*, ſtatimque cum pœnas exegit, facti illum pœnitet. Ita pœnitebat ipſum, pœnam ſe *Ninivitis* deſtinaſſe, *Jon.* III, 10. *Bonum eſt*, inquit Jeremias Thren. III, 26, 31. *præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Quia non repellet in ſempiternum Dominus. Quia ſi abjecit, & miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum. Non enim affligit ex corde ſuo, & abjicit filios hominum.*

37. Hoc ergo agite, O homines, facite pœnitentiam! Nam ſimulac peccaviſſe vos pœnitet, & in vera fide Deum deprecamini, pœnitebit etiam Deum pœnæ irrogatæ. Nonne me-

memoratu digna sunt Domini illa ad Jonam, cap. IV, 10? *Putasne bene iratsceris tu super cucurbitam? & ego non parcam Ninivæ civitati magnæ?* Quasi dicat: *Si tu cucurbitæ excidio commoveris, in quam nullum laborem & sumtum feciſti; egone civitatem Ninivan, quam creavi, & hactenus alui, & in qua tot milleni homines sunt, patiar interire?* Quam immensam misericordiam habet etiamnum Deus, & habebit in omnem æternitatem, dummodo nos peccaviſſe ex animo pœniteat, & ad ipsum serio convertamur. Memineris itaque Dei viscera, misericordia erga te æstuantia, tot ad veram pœnitentiam incentiva esse & argumenta.

CAPUT X.

De quatuor proprietatibus veræ Pœnitentiæ.

Psal. CII, 10, seqq. *Cinerem tanquam panem manduco; & potum meum cum fletu miſceo. A facie indignationis tuæ & excandeſcentiæ tuæ; quia elevaſti me & abjeciſti me. Dies mei ſicut umbra declinaverunt; & ego ſicut fœnum arui. Tu autem Domine in æternum permanes; & memoria tui in generatione & generationem,*

HIS verbis veræ pœnitentiæ *quatuor proprietates* enumerantur, quibus quemlibet præditum esse oportet. *Prima* est, *omnium beneficiorum Dei indignum se existimare.* Atque hoc est, quod ait Psalmus: *Cinerem tanquam panem manduco, & potum meum cum fletu miſceo.* Quasi dicat: *Nihil est, quod me delectet; adeoque indignum me censeo cibis lautioribus, qui utcunque aliorum palato allubescant, mihi*

1. *Primæ pœnitentiæ proprietas est agnitio suæ vilitatis.*

cerse cinctum supinis. Atque hanc sui ipsius dedignationem bonvator noster sic exprimit, *Luc.* IX, 23: *Qui vult meus esse discipulus, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie & sequatur me.* Et Luc. XIV, 26: *Si quis venit ad me, & non odit animam suam, non potest meus esse discipulus.* Quibus sententiis Christus docet, verum christianum suam vilitatem triplici respectu cognoscere debere.

Se ipsum abnegare. 2. Jubet ergo in primis *se ipsum abnegare*, hoc est, suæ voluntati, amori proprio & ambitioni mori, semet omnibus Dei beneficiis, quæcunque tandem homini possunt conferri, indignum prorsus censere; vel *minorem se statuere omnibus miserationibus divinis*, ut est *Gen.* XXXII, 10; & denique non hominum modo, sed omnium creaturarum postremum se judicare; juxta exemplum Christi, dicentis *Ps.* XXII, 7: *Vermis sum & non homo.* Ad eum, inquam, modum se ipsum pro nihilo ducere, id demum vere est *seipsum abnegare*.

Se ipsum odisse. 3. Deinde (2) jubet, *semet odisse*, hoc est, omnia, quæ carni placent & grata sunt, velut est honor, voluptas, vindicta, ira, avaritia, & cetera quæ carnem sapiunt, in se ipso arguere, carnem cum omnibus desideriis & concupiscentiis crucifigere, omniaque illius negotia, ut tot Diaboli opera & fœtus seminis serpentis, in se ipso execrari, proindeque ut ignis infernalis reum se ipsum accusare.

Crucem tollere. 4. Denique (3) jubet, *crucem tollere & ipsum sequi*; hoc est; non ægro & invito, sed prompto & tranquillo animo omnis generis calamitates in se suscipere, nec tantum præsentibus, sed longe etiam gravioribus dignum se existimare; proindeque Christi exemplo crucem *in silentio & spe* Isa. XXX, 15 portare. Quæ omnia continentur Christi imitatione.

5. Ista vero palam faciunt, animum vere humilem & pœnitentem omnibus Dei beneficiis indignum se censere nec minimam quamque buccellam aut potum delicatiorem se promereri, firmiter persuasum habere. Et quidem Christi nostri exemplo, qui siti in cruce flagrans ad potum myrrha & aceto temperatum nihil regerebat quam illud: *Consummatum est*, Jo. XIX, 29. Atque hæc verissima causa fuit, quare in vetere Testamento pœnitentiam agentes omnibus bonis indignos se rati saccos cuti superinduerint, in cinere sederint, solo pane cineribus imbuto famem sedaverint, potumque suum lacrymis miscuerint: velut indignos se testati, qui puro pane & potu reficerentur, dignos vero qui lacrymas ad cibum & potum fusas cum cibo potuque ipso una insumerent. *Christianus pœnis tantum dignum se censet.*

6. Causa autem tanti talisque sui contemtus & dedignationis fuit, quod agnosceret, se peccatis suis æternam condemnationem commeruisse, omnique adeo qua corporali qua spirituali gratia jure meritoque excidentes minimo etiam Dei beneficio indignos esse. Cujus humilitatis pulcherrimum typum nobis exhibet *Mephiboseth*, filius *Jonathanis*. Cum enim *David*, ad regiam jam dignitatem evectus, in memoriam sibi revocaret beneficium intimi sui *Jonathanis*, olim ipsum de manu patris *Saulis* liberantis; jussit explorare, esset ne aliquis de familia *Jonathanis* superstes, cui gratum suum animum posset facere contestatum: inventus fuit *Mephiboseth*, homo miser & claudus, cui cum *David* præcepisset comedere panem in mensa regia, ille adorans eum dixit: *Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* ut est 2 *Sam.* IX, 8. Illustris sane imago animi *Homo per peccatum facit jacturam omnium beneficiorum divinorum.*

mi vere contriti ac pœnitentis, proindeque nullo divino beneficio dignum se censentis. Ac nos quidem eadem oratione uti merito possumus, quando nos beneficiis suis quasi cibis mensæ suæ dignatur Deus, & in sacro-sancta cœna sanguine suo & corpore nos cibat potatque.

Vera pœnitentiæ cor humiliat.

7. Similiter filius prodigus serio pœnitentiæ sensu laborans ait: *Pater, jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis*, Luc. XV, 19. Et mulier Cananæa: *Etiam catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*, Matth. XV, 27. Et Petrus: *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum*, h. e. indignus prorsus quo cum conversëris, Luc. V, 8. Sic centurio in Capernaum *Matth.* VIII, 8. *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Sic Paulus *indignum se* profitetur, *qui audiat Christi Apostolus*, 1 Cor. XV, 9. Et *Act.* XX, 24 testatur, nec *vitam ipsi caram esse, ut consummet cursum cum gaudio*: Sic denique *David* ait, *se cinerem tanquam panem manducare, & potum suum cum fletu miscere.* Atque ad hunc modum si animus christiani fuerit comparatus, tum certe vere contritus est & afflictus, vivumque Dei sacrificium.

II.

Secunda pœnitentiæ proprietas est dolor de offenso Deo.

8. *Secunda* proprietas veræ pœnitentiæ est: *nullum dolorem illo qui ex sensu offensi & provocati Dei oritur, ducere potiorem.* Id quod innuit *David* per hæc verba: *A facie indignationis tuæ, quia elevasti & abjecisti me.* Quasi dicat: *omnibus ceteris miseriis & doloribus majorem & graviorem sibi videri, quod sentiat, se Deum admirabilem, sanctum & justum, gravissime offendisse.*

9. Et sane cum Deus mera charitas sit gratia, justitia, bonitas & misericordia, immo

virtus ipsa & omnis est, patet, *singulis omnino peccatis Deum offendi*: Ita per injustitiam Dei offenditur justitia, quia Deus est ipsa justitia; per mendacia offenditur Deus, quia Deus est ipsa veritas; per odium, quia Deus est ipsa charitas. Verbo: cum Deus sit summum Bonum omnium virtutum, & charitas perfectissima; sequitur, hanc summam immo charitatem ipsam non nisi a diabolica posse offendi malitia. Quod si idem aliquando nos injuria affecisset, tum vero non adeo mirum foret, si reciproco illum odio prosequentes, vicissim eum offendere animum induceremus; nunc autem cum omnia bona nobis largiatur, ipsamque adeo vitam & corpus; cum nos nutriat vestiatque, cum ægrotantibus medicamenta exhibeat, & ad illum suspirantibus peccata remittat, cum paratus sit in gratiam nos recipere, quoties ad ipsum convertimur; cum filium suum unigenitum cum Spiritu sancto, immo seipso in proprietatem nobis dederit, nosque in suos adoptaverit filios; audemus tamen illum offendere, illi adversari, illumque odio prosequi.

Homo plures causas habet sancte viven-di quam peccandi.

Magna Dei beneficia.

10. Nonne extrema impietas foret & perversitas, occidere eum, qui tibi vitam dedit; eum verberare, qui brachiis suis te gestat, inque sinu fovet; eum contumeliis afficere, qui maximis te honoribus condecorat; eum denique abnegare, qui te in filium selegit? Ecce omnibus his injuriis cœlestem tu afficis Patrem; Deum inquam summum, justum, sanctum, quem Angeli contremiscentes adorant, & cui *Trisagion* acclamant, *Jes.* VI, 6: Et tu qui cinis es & terra Deum offendere non erubescis. Atque hanc immanem injuriam si homo pœnitens ad animum revocet, fieri non potest, quin maximo hinc percutiatur dolore

Extrema ingratitudo in omnibus peccatis.

Peccatum metum & pavorem incutit.

& triſtitia & vulnus conſcientiæ accipiat æque acutum ac quodvis vulnus exteranum. Quid, quod magnus hinc judicii divinæque juſtitiæ timor ſuboritur, *interius* in conſcientia terribilia quæque comminando; *exterius* vero plagas horribiles & temporales ob oculos ponendo; unde nullam requiem ad inſtar *Jobi* homo invenit, nullamque voluptatem ex ulla re percipit, cibi potuſque pertæſus.

Quilibet in conſcientia ſua circumfert ſuum judicium.

11. Hujuſmodi comminationes innuit illud *Pſ.* XXXVIII, 3: *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & demiſiſti ſuper me manum tuam.* Sicut enim vulnus graviſſime dolet, donec ſagitta illi inhæret, vulnus etiam continue ingraveſcit, quamdiu ſagittam ſibi infixam gerit: ita conſcientia quietis expers & minis plena eſt, quamdiu illam exaſperat timor. Nihil autem aliud eſt illa comminatio, quam vivum judicium juſtitiæ divinæ in noſtra conſcientia, & ingens metus condemnationis ſempiternæ. Inde adeo *David* exclamat: *Elevaſti me, & abjeciſti me*, haud aliter quam ſi ex edita quadam rupe in vallem profundiſſimam præceps datus, omnium omnino membrorum fractionem graviſſimam pateretur.

Deus ſanat ſua vulnera & ſagittas.

12. Utcunque vero atrox ſit & terribilis illa comminatio & judiciorum Dei metus, non eſt tamen omnis conſolationis penitus expers, cum aſſerat propheta: has *minas*, has *ſagittas* & hos animi pavores Dei eſſe minas, ſagittas ac pavores. Ille nempe eſt is, qui cor ſagittis ſuis vulneratum ſanat iterum ac reficit; qui occidit vitæque reſtituit; *qui* denique alliſos & *in infernum deductos, erigit iterum ex eoque reducit*, Pſ. CXLVI, 8, 1 *Sam.* II, 6.

13. Quiſquis itaque ſeria pœnitentia tactus, nihil acerbius reputat, quam offendiſſe

Deum

Deum, qui est summum bonum, ipsaque charitas, ille demum solidam de salutis negotio hausit doctrinam. Quo illud *Davidis* referendum *Ps.* LI, 6: *Tibi soli peccavi*; quasi dicat: *minus male mihi esset, si te tantum non offendissem.* Et pariter illud *Danielis*, cap. IX, 7: *Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei*, utpote qui tam justum Deum injuria afficimus.

III. *Tertia pœnitentiæ proprietas est agnitio propriæ infirmitatis.*

14. *Tertia* pœnitentiæ proprietas continetur his verbis: *Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui.* Nimirum cor vere pœnitens de omnibus suis viribus desperat, certoque novit, sibi plus roboris non inesse, quam umbræ cuidam, nec plus succi, quam gramini arefacto. Quod etiam asseveratur, *Ps.* XXXIX, 7: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te. Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. Et ut umbra pertransit homo.*

v.

Similitudinis ab umbra petitæ explicatio.

15. O quam magnum sapientiæ momentum, si proprium *NIHIL* cognosceret homo! Nihil est homo sicut & umbra nihil est. Sicut enim umbra est quiddam emortuum, fugax, inanime, corporis vitæque expers, ex se immobile, & ad solis occasum evanescens: Ita hominis conditio est, si lumen vitæ illi subtrahat Deus. Pariter hoc admiratione dignum: *Quo propius sol, eo minores umbræ.* Et iterum: *Quo longius à nobis sol abest, eo majores apparent umbræ:* Ita quo magis Deus & dona divina uniuntur homini pio, eo minus de se ipse sentit & mundo ostentat. Et contra: quo longius quispiam a Deo abest, eo magis in seipso effertur, & eo latius extenditur interna cordis superbia. Et iterum: Quo magis insolescit homo & sublimia quæque spirat, eo longius a Deo recedit.

16. Sicut umbræ circa ſolis occaſum maximæ ſunt, mox tamen evaneſcunt & plane pereunt; ita certiſſimum interitus & imminentis ruinæ indicium eſt, ſi ſpiritus ſuperbos in pectore gerat homo & præclare de ſe ſentiat. Ut enim umbram evaneſcere oportet, ubi ſe ſubduxerit ſol; ita ſimulac homo umbratilis in ſeipſo ſit magnus, divinus gratiæ ſol illi occidit, adeoque ipſe penitus in nihilum abit. Adhæc, ſicut umbra ex ſe vitam non habet, ſed ſolis motum ſequendo in hoc unice movetur; ita homo ſua natura nihil aliud eſt quam exanime quoddam & emortuum cadaver, e ſolo autem Deo vitam hauriat motumque. Haud aliter quam umbra, quam maximam de ſe ſpargit arbor procera, non niſi cum movente arbore movet, cetera exanimis & immobilis futura: Ita & homo non niſi in Deo agat *moveatque*, Act. XVII, 28. Mortis tandem hora plene edocet, dies noſtros ſicut umbras declinaviſſe, & noſmet ſicut fœnum exarciſſe; quod mors falce ſua demetens rei hujus veritatem ſatis ſuperque manifeſtat, *Pſ.* XXXIX, 6, XC, 5, CIII, 15.

Chriſtianus debet diſceremori quotidie, ut ſemel bene moriatur.

17. Et hæc omnia ſi per veram humilitatem altius in ſe perſentiſcat homo, nihilque ſe eſſe quam exanimem quandam umbram, vivide agnoſcat, tum vero pœnitentia illius ſincera, & cor rectum eſt coram Deo. Sicut enim omnibus hominibus ſtatutum eſt, ſemel naturalem ſubire mortem, *Ebr.* IX, 27; ita certum eſt, quotidie *ſpiritualiter* nobis eſſe moriendum, ut bene tandem beateque ex hac vita emigrare liceat. Optime enim perficiuntur, quæ aſſidue exercentur.

IV. *Quarta pœnitentiæ proprietas eſt Deo ſemper adhærere.*

18. *Quartam* pœnitentiæ proprietatem, puta *Unionem cum Deo*, innuunt iſta: *Tu autem Domine in æternum permanes, & memoria tui in generationem & generationem.* Quaſi dicat: *Etſi certum habeo, ſimilem me eſſe umbræ, & exareſcere quaſi*

fœnum;

fœnum; *illud tamen juxta me non fugit, manſurum me in te æternum, ſicut tu ipſa es æternus.* Nam ſicut per peccatum a Deo ſejungitur homo; ita per veram pœnitentiam eidem iterum unitur. Immo ſicut perſona Chriſti eſt inſeparabilis, æternaque divinitas humanam naturam in Chriſto tam ſtricto vinculo firmoque ſibi univit, ut ne morte ipſa potuerit diſſolvi, manente humanitate Chriſti cum divinitate in unione perpetua & divinæ gloriæ plena: Ita veræ ad Deum converſionis beneficio, per fidem ſinceramque fiduciam Deo adeo firmiter adglutinantur animæ fideles, ut neque in vita, neque in morte ab illo *ſeparari* queant; *Rom.* VIII, 38. *Qui enim adhæret Domino, ſpiritus unus efficitur*, 1 Cor. VI, 17, *deſponſante nos ſibi Deo in æternum*, Hoſ. II, 19. 19. Breviter: Chriſtus Jeſus eſt nobis teſtis locupletiſſimus, & liber vitæ, in quo clare docemur, quod, ſicut humana ipſius natura cum divinitate ſemper manet unita; ita omnes fideles Chriſto ſuo æternum ſint uniendi. Sicut autem Deus & Chriſtus eſt æternus; ita ejuſdem promiſſiones æternæ etiam ſunt & inviolabiles, per quas nobiſcum pepigit *fœdus gratiæ æternum*, Pſ. CXI, 9; adeo ut quantumvis a mundo deſeramur, a peccato, morte, Diabolo & inferno cruciemur; & denique licet caro & cor nobis deficiant, maneat tamen & manſurus ſit Deus *pars noſtra & conſolatio noſtra in æternum*, Pſ. LXXIII, 26.

CAPUT

CAPUT XI.

Novam creaturam esse fructum veræ conversionis, & christianum respectu fidei esse dominum omnium; respectu charitatis vero esse servum omnium. Adhæc Christi vitam esse speculum nostrum.

2 Cor. V, 7. *Si quis in Christo est, hic nova creatura est.*

Quæ sit nova creatura?

OMNES, qui in Christo Jesu sunt per fidem, hi sunt *nova creatura*, h. e. filii Dei, justi coram Deo, habentes remissionem peccatorum & Spiritum sanctum, divinæ naturæ participes, 2 *Pet.* I, 4. vitæ æternæ hæredes, in conscientia liberi a lege, maledictione, morte, diabolo, inferno, condemnatione, & denique nullo tempore loco & lege constricti. Omnia enim a *CHRISTO* ex mera gratia per fidem accipiunt, quæ ad salutem requiruntur, ab illisque non tempore, non loco, non lege, non denique cæremoniis arcentur. Adhæc in Christo *perfecti* sunt, habentes in ipso per fidem legis impletionem, *Rom.* X, 4.

Libertas christianorum.

Christiani nomen eminet & subest rebus omnibus.

2. Quapropter *CHRISTIANI* nomen summe est *sublime*, omnibus officiis, dignitatibus & titulis augustius, quovisque tempore, loco, lege & mundo universo majus. Idem vero, si vitam Christiani respicias, omnium *vilissimum* est & postremum. Itaque, sicut fide christianus *super omnia* exaltatur; ita charitate *infra omnia* demittitur. Prout ex vita Christi datur intelligere, quæ est speculum lucidissimum charitatis & virtutum omnium absolutissimum.

3. Nonne

3. Nonne enim ipse sponte sua nostri omnium famulus est effectus? Nonne cor exhibuit humillimum, spiritum mansuetissimum? Nonne verbis usus est blandissimis, gestibus suavissimis, summa erga pauperes misericordia, erga miseros commiseratione, erga calumniatores patientia, lenitate erga interrogantes, gratia denique erga peccatores? Ut contempserit despexeritque neminem, nullas injurias sit ultus, omnium salutem ex animo quæsiverit, Deum patrem *pro inimicis deprecatus sit*, Luc. XXIII, 34. nostra denique peccata, morbos, dolores, contumelias & pœnas portaverit? Unde ipse solus unicum est & absolutissimum exemplar charitatis, humilitatis, patientiæ & virtutum omnium, dignum quod assidue animi nostri oculis obversetur, ac tum præcipue, si quando soli sumus; quippe quod omnibus artibus & totius mundi scientiis longe ait augustius.

Meditatio vitæ Christi præstat omnibus artibus.

4. Atque hoc est illud signaculum ponendum super cor nostrum, Christi inquam imago, vita, charitas, humilitas, patientia, crux, contumelia & mors. Hoc verum lumen est cordium nostrorum, per quod renovamur, & in illius imaginem indies transformamur. Sicut autem Christus quoad suæ exinanitionis statum in hoc mundo omnibus hominibus, immo omnibus creaturis inferiorem se fecit; juxta statum vero exaltationis, Dominus universorum exstitit: Ita & christianus ratione *fidei*, omnium Dominus, solo Deo excepto, constituitur; ratione *vitæ* vero subjacet rebus universis.

CAP.

CAPUT XII.

Christum esse veram viam & metam devotionis & pietatis. Hominem citra Dei ductum non posse non errare.

Ps. LXXXVI, 11. *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.*

HANC viam Christum esse, docet ipsemet Jo. XIV, 6: *Ego sum via*, ad quam non nisi per fidem accessus est. Fides enim nos unit cum Christo, charitas copulat, spes sustentat. Quæ tria tamen ex Christo sunt, & Christi opus sunt in nobis. Via hæc ex ipso procedit, & in eundem reducit.

Per fidem, spem & charitatem manemus in Christo.

2. *Fides* apprehendit Christi personam & officium; *charitas* illius vitam æmulatur; *spes* vero futuram gloriam amplectitur. *Fidei* est, nullum alium Christum, salvatorem, mediatorem & viam ad vitam habere, quam Christum Jesum. *Charitatis*, Christi vitam assidue intueri & imitari. *Spei* denique, nil nisi Christi gloriam & bona æterna exspectare. Atque hæc vera via est incorruptaque veritas, in qua nos omnes ambulare oportet. Hoc illud *Unicum* est; hic denique *Timor Dei*, in quo utinam semper viveremus!

Natura trium virtutum cardinalium.

3. Ceterum tres hæ virtutes cardinales, *Fides*, *Spes*, *Charitas* aliis tribus cognationis quodam vinculo sunt junctæ. *Fides* humilitati; *Charitas* patientiæ; *Spes* orationi. Qui enim credit, se humiliat; qui amat, patiens est; qui sperat, orat. O viam ad Deum longe pulcherrimam! & in illam O Deus nos

Cognatio virtutum. Pulcherrima via ad Deum.

deducere

deducere dignare. Hæc enim veritas eſt, in qua ambulandum: hic verus Dei timor, hoc illud *Unicum* eſt, pro quo *David* orat, *Pſ.* XXVII, 4. LXXXVI, 11. Hoc eſt Chriſtum imitari in humilitate, charitate, patientia. Meditare quæſo, Chriſtum pro nobis *vermem* eſſe factum, *Pſ.* XXII, 7, ut elate te gerere deſinas. Ecce! non habuit Chriſtus *ubi caput ſuum reclinaret*, Matth. VIII, 20; Et tu omnia ad te rapis ſolus, nunquam ſat habens! Ille pro te vitam ſuam impendit; & tu proximo minimam buccellam panis invides! Mortifices itaque in corde tuo vindictæ cupidinem per manſuetudinem Chriſti. Ille *pro inimicis oravit*, Luc. XXIII, 34, tu vix pro amicis. Ille paſſus eſt pugnos, colaphos & ſputa faciei ingeſta; tibi grave videtur, vultu ſeveriore excipi. Mortifica in pectore tuo fœdas carnis voluptates per dolores ſanctiſſimi corporis Chriſti. Vide an ſit *dolor par dolori ejus*. Lam. I, 12, ut in hunc intuens, carnis pruritum reſtinguas. Ille coronam ſpineam geſtavit; & tu auream ambis! Ille propter aliena peccata lacrymas profudit, & tu propria non deploras.

Quid ſit vivere in Chriſto? Chriſti vita & paſſio vitæ noſtræ medicina.

4. *Dulciſſime Domine Jeſu, heu quam multi homines in hac via nondum ambulant! Deduc me in illam, ut ambulem in veritate tua. Da mihi cor, quod te timeat; fidem, quæ te apprehendat; charitatem, quæ te imitetur; ſpem, qua tuam majeſtatem contempletur; animum, qui te diligat; ſenſum, qui te agnoſcat; aures, quæ te audiant in cruce clamantem; oculos qui videant humilitatem tuam; os denique, quod pro inimicis oret. Niſi enim tu Domine hanc viam mihi monſtraveris; in illamque me deduxeris, via mea merus error eſt, & lumen meum tenebræ erunt. O æterna lux, quæ Tobiam illuminaſti jam ſenem & viſu orbatum;*

Oratio pro vita chriſtiana.

Extra Chriſtum nil niſi errores.

Iſaacum

Haactum oculis caligantem, Jacobum filiis suis variantem, Simeonem mundi servatorem inter ulnas complexum & videntem; illumina nos similiter, ut pulcherrimas virtutes e Christo relucentes videamus, iisque roborati & exornemur.

Spiritualis & nova creatio.

5. Sicut enim in creatione mundi tenebræ erant super abyssum; ita profunda cordium nostrorum cæca sunt & tenebrosa, donec Deus dicat: *Fiat lux!* & Spiritus Domini feratur super aquas illorum. Similiter sicut terra informis erat & inanis; ita & cor nostrum est, nisi divina gratia repleatur. Utinam ergo Verbum illud, per quod lux & tenebræ fuerunt segregatæ, pariter in cordibus nostris, ceu in novo mundo & in nova creatura, tenebras discutiat, & dicat: *Fiat lux!* Hoc enim Verbum est ipsa LUX, estque in Christo, immo Christus ipse. Hæc lux veritas est, extra quam omnia quæ in homine sunt, nil nisi mendacium sunt & regnum Diaboli. Sine hac luce, quæ est Christus, nil nisi tenebræ in homine sunt. Sine hac via nil nisi errores. Et denique sine hac sanctissima vita nil nisi scelera & mors sempiterna.

Extra Christum nil nisi tenebræ mors & mendacium.

Vera via pietatis.

6. Hæc ergo illa *Via* est, hæc *Veritas*, hic *Timor* Domini, hoc denique illud *Unum*, quod *David* a Domino petit. Deum nimirum & Christum per fidem jugiter animo gerere; Christi charitatem, humilitatem & mansuetudinem æmulari; Christum ceu immaculatum vitæ speculum assidue ob oculos habere, & per sanctam spem majestatem ejus continuo contemplari. Hic est ille *Timor Domini hominem custodiens, justificans cor, & expellens peccatum*, Sir. 1, 18, 27, 28. Cujus quisquis expers est, Deo placere non potest, & propriæ mentis impetu in interitum ruet. Sine hoc Dei *Timore* cetera nihil sunt; artes, inquam, divitiæ,

Sine timore Dei nihili sunt omnia alia.

divitiæ, pulchritudo, fortitudo, sapientia & facundia. Nam naturæ dona bonis malisque communia sunt. Timor autem Domini singulare est donum & lux peculiaris, constituens filios & amicos Dei sibi ipsi acceptos.

7. Non enim delectatur Deus sapientia, artibus, intellectu, facundia, opibus & pulchritudine, si timorem Dei comitem non habeant individuum. Divitiæ sine charitate, ars sine gratia, pulchritudo sine timore Dei, est velut umbra sine corpore, palea sine frumento, fumus sine igne, cortex sine nucleo. Timor vero Dei est omnium donorum ornamentum: divitum corona, sapientum consilium, pulchrorum gratia, fortium victoria, principum gloria, liberorum disciplina. Hic custodivit *Danielem*, protexit *Josephum*, tutatus est *Susannam*. Sine Dei Timore nihil est homo quam arbor arida, inutile lignum, vas confractum & abjectum. Denique quantacunque Majestas principum sit, majore tamen in honore sunt qui Deum timent.

Timor Dei omnia ornat.

CAPUT XIII.

Christum esse verum librum *VITÆ*, docereque nos suæ paupertatis exemplo mundi pompas contemnere.

2 Cor. VIII, 8. *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quod propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.*

QUotquot in Jesum Christum Filium Dei credunt, eorum nomina in cœlo *libro vitæ sunt inscripta*, Luc. X, 20, quæ novissimo

Christus est liber vitæ duplici sensu.

LIB. II. CAP. XIII.

mo die manifestabuntur, quando Deus coram omnibus sanctis Angelis fidelium nomina confitebitur, *Apoc.* III, 5. Est vero adhuc Dominus noster Jesus Christus vivum speculum vitæ sanctæ & christianæ; quippe cum ille ut Verbum æternum, & Sapientia patris, eo fine in mundum missus sit & homo factus, ut per doctrinam suam salutarem, vitæque & mortis exemplar sanctissimum, doceret nos, erudiret ac illuminaret.

Tota vita Christi nil nisi paupertas contemtus & dolor.

2. Fuit vero Christi vita jam inde a matre utero usque ad mortem ipsam nil nisi concatenata quædam crux, in magna *paupertate*, in majori *contumelia* inque *doloribus* maximis ac acerbissimis consistens. Et hæc *Tria* cum ipsa vita christi cœperunt, & non nisi in ejus morte desierunt. Et quidem sanctam ipsius paupertatem quod attinet, habuit iterum illa tres veluti gradus. *Tres gradus paupertatis Christi.* *Primus* hac querela continetur: *Volucres cæli habent nidos suos, & vulpes foveas suas; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*, Matth. VIII, 20. *Secundus* gradus fuit *amicorum penuria* & paucitas. Natus fuit matre paupercula; nullius magnatis, potentis aut opulenti amicitiam affectavit; *Lazarum* vero illum *Bethanienſem* non divitiarum causſa, sed fidei, quod verum Messiam se crederet, amicitia sua dignatus est.

Descriptio paupertatis Christi.

3. *Tertius* gradus fuit divinæ potestatis *Majestatisque exinanitio* & miseriæ humanæ assumtio, *Phil.* II, 7. Debilitatus enim fuit & lassatus more ceterorum hominum, præsertim propter multitudinem ægrotorum, quos sanabat, & qui adeo curæ ipsi erant, ut nec panem manducare posset, utque discipuli illi a delirio metuerent, memores oraculi, quod extat *Matth.* VIII, 17. *Jes.* LIII, 4. *Ipse infirmitates nostras portavit.* Adhæc nullam molestiam, nullam pau-

paupertatem, nullum denique incommodum subterfugit: & licet omnes creaturas & Angelos adeo ipsos usibus suis & servitiis adhibere potuisset; maluit tamen omnia patienter perpeti, & potestate in omnes creaturas sibi concessa, non uti. Itaque passus est, corona spinea caput sibi configi, manus ligari, corpus sanctissimum flagellari, manus pedesque perforari, latus transfodi. Quæ omnia verbulo potuisset cavere, & unico nutu omnibus creaturis imperare, ne sibi injuriam inferrent.

Quare Christus se subjecerit omnibus creaturis.

4. Verbo: omnibus se creaturis subjecit nostri caussa, ut nobis dominium super omnia, turpiter amissum, recuperaret, suaque nos victoria & resurrectione invictos præstaret. Et quod longe majus est, passus est a Diabolo se tentari & huc atque illuc circumduci, (*Matth.* IV, 1, 8.) a Judæis, Diaboli instrumentis, se cruciari & suspendi; ut per hæc hominem ex Diaboli ejusque instrumentorum potestate eriperet. Hoc modo fortissimus debilis est factus, potentissimus enervatus, sanctissimus contemtus, pulcherrimus denique fœdatus & omni generi dolorum & tormentorum subjectus fuit, ut pudorem nobis inculeret, qui eousque nobis indulgemus, ut præ delicatula animi mollitie, minimam molestiam crucemque propter Deum ac proximum subeundam, ægre feramus; immo & illas afflictiones quas ad suam gloriam & nostram emendationem immittit Deus, impatienter & indignabundi rejiciamus.

Mali homines Diaboli instrumenta sunt.

Christi maxima submissio.

Christus sapientiæ suæ renunciavit.

5. Non autem potentia modo divina, sed etiam *Sapientia* se expoliavit Dominus, in summa simplicitate incedens, velut idiota; nec sicut doctor aliquis sublimis arteque & scientia tumidus hominum applausum captavit. E contrario in silentio, in veritate, in virtute divi-

na, in innocentia, in sanctitate, charitate, mansuetudine & humilitate obambulavit, verbis simplicissimis eruditionem vere cœlestem & viam Dei docens. Qua causa etiam a superbis ludibrio expositus fuit, & pro insipiente & rudi habitus, cum tamen esset ipsa *ÆTERNA SAPIENTIA*: illa inquam, quæ per prophetas locuta est, & lux ac illuminator est omnium hominum: Et quidem ut nos doceret: *non debere quenquam propter dona insolescere, sed in humilitate christianaque simplicitate illis uti.*

Et gloriæ. 6. Adhæc propriæ *Gloriæ* renunciavit, & amicitias magnatum non affectans, cum peccatoribus amice est conversatus, cum illis comedens & bibens, ut officium suum faceret *perdita quærendo & salvando*, Luc. XIX, 10. Unde *publicanorum & maleficorum socius, vini potor*, Luc. VII, 34, *& samaritanus*, Jo. VIII, 48, *audivit*. Denique passus est inter duos latrones ut malorum caput suspendi se & crucifigi, ut peccata nostra eo ipso portaret.

Profundissima Christi humilitas.

7. Hac sua sanctitate & innocentia famam haud paullo illustriorem quam *Joannes Baptista, lux illa lucens*, (Jo. V, 35,) habebat, sibi potuisset comparare; maluit tamen nominis celebritate carere, ut nostram confunderet hypocrisin, qui sæpenumero eximie sancti haberi postulamus, cum tamen nihil præter inanem quandam pietatis speciem circumferamus.

Christi subjectio. 8. Verbo: Omnibus quæ in mundo sunt renunciavit Dominus. Cum *Rex* esset, attamen Regibus, potestatibus, matri pauperculæ & tutori patris vices explenti, fuit subjectus. Cum *Dominus* esset, factus est omnium servorum miserrimus ac postremus. Cum esset *Propheta* sapientissimus, homines pauperes & im-

imprudentes discipulos sibi selegit. In quos cum etiam potestatem exercere & auctoritate sua uti posset, maluit dicere: *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat*, Luc. XXII, 17, hoc est: *sum sane magister vester & præceptor; verumtamen non imperio, sed vita & doctrina; docens per proprium exemplum obedientiam, subjectionem, mansuetudinem; velutque caput vestrum in prima acie, & ante omnes portans contumelias, contemtum, paupertatem, miseriam, vobisque meis discipulis serviens & pedes abluens.* LIB. II. CAP. XIII. *Christus magister noster suo exemplo.*

9. Eheu vero fatuos nos! Qui ad honores & dignitates tanto contendimus ardore: nihil pati, nemini subesse, nemini parere volentes, sed ex proprio arbitrio pendere, & in totum ex nostra sententia vivere studentes. Cum Christus Dominus noster alias vivendi regulas præscripserit nobis, vitæque suæ sanctissimæ exemplo, velut libro vitæ aliam longe viam nobis monstraverit. Considera ergo, quam procul via tua a via absit quam trivit Christus. Viam Christi non frequentas, sed viam mundi, quæ ad interitum deproperat. Atque hactenus de prima parte miserrimæ vitæ Christi.

CAPUT XIV.

Christum docere nos, suæ contumeliæ, contemtus & abnegationis exemplo, mundi honores & gloriam aspernari.

Jes. LIII, 4. *Erat despectus & abjectissimus virorum, vir dolorum & sciens infirmitatem.*

ALterum caput ærumnosæ vitæ Salvatoris nostri consistit in *contemtu*. Postquam ergo in hoc libro vitæ *Paupertatem* Christi consideraſti, ad profundissimam illius *Humilitatem* contemplandam dein progredere. Inde intelliges, nihil honoris aut gloriæ temporalis illum sibi arrogasse; sed omnibus, ipsum honore aut laude aliqua afficere volentibus, contradixisse, qua verbis, qua factis. Mundi enim hujus dignitates constanter fugit Salvator, nec minimam occasionem illas indipiscendi submini*s*trans; Jo. VI, 15. Maxima humilitate contumelias sibi illatas & blasphemias pertulit, cum a judæis ut *Samaritanus* & dæmoniorum socius virtute Diaboli miracula edens, proclamaretur, *Jo.* VIII, 48. Cum doctrinæ illius cœlestes pro tot blasphemiis haberentur; ipse mendaciis & calumniis oneraretur, proderetur, venderetur, abnegaretur, tandemque colaphis cæsus, consputus, spinis coronatus, delusus, flagellatus, vulneratus, condemnaretur. Pariter cum a Deo & hominibus derelinqueretur, instar malefici nudaretur & suspenderetur. Cum omnes atrocissima ipsi ingererent convicia, ejus ad Deum orationem riderent, super vestes illius sortem mitterent & felle acetoque in agone mortis ipsum

Vera humilitas est Christi exemplo pati extremum contemtum.

Speculum contemti Christi.

ipsum potarent, *Jo.* XIX, 29. Neque hactenus contemtus ille stetit. In ligno enim crucis ignominiosissime animam tandem reddidit, corpus autem lancea perforatum, more impiorum fuit sepultum. Adhæc ipse etiam post mortem pro *seductore* fuit habitus, (*Matth.* XXVII, 63,) & illius resurrectio in dubium vocata. Unde patet, non modo in vita & morte, verum etiam post hanc innocentissime oppetitam, plenum obsitumque contumeliis illum fuisse.

2. In his omnibus Filius Dei non sane solum ut thesaurus redemptionis nostræ nobis est propositus, sed insuper ut doctor, magister, propheta, pastor & lumen est exhibitus; ut in illius contumeliam intuentes, vanam mundi gloriam discamus fugere; si ceu membra capiti adhærere velimus, perque charitatem in illo radicari fundarique cupiamus, *Eph.* III, 17, IV, 15. Cum autem (quod dolendum!) contrarium faciamus, & omnibus nostris actionibus, verbis & cogitationibus non Dei, sed nostrum honorem quæramus; sane testatum facimus, nondum Christum in nobis vivere, sed principem hujus mundi: pariter, nondum mundi amorem nos exuisse, & Christum induisse, cujus proprium est mundum vincere; juxta illud *Joannis: Omne, quod ex Deo natum est, vincit mundum*, 1 Jo. V, 4. Item: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*, (1 *Jo.* II, 15.) adeoque nec Christi. Tota enim vita Christi nos docet mundo mori. Intuere principium ejus, medium & finem, & nil deprehendes, quam meram humilitatem & contumeliam, qua illum affecerunt omnes, qui amant hunc mundum.

Quid nos docent vita Christi.

CAPUT XV.

Quomodo per Christum mundi contemtum & afflictiones ferre & vincere oporteat.

Ebr. XII, 3. *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem; ne fatigemini animis vestris deficientes.*

Querela Christi de contemtu suo.

QUeritur Messias, *Ps.* CIX, 25: *Factus sum opprobrium illis; viderunt me & moverunt capita sua. Adjuva me Domine Deus meus: salvum me fac secundum misericordiam tuam. Et sciant quod manus tua hæc, & tu Domine fecisti ea. Maledicent illi & tu benedices; qui insurgunt in me, confundantur; servus autem tuus lætabitur. Induantur qui detrahunt mihi, pudore; & operiantur sicut diploide confusione sua. Celebrabo Dominum valde in ore meo; & in medio multorum laudabo eum. Quia adstitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.*

2. Hæc Salvatoris nostri querela altius merito animis nostris inhæreat, ut tam cum illius, quam ceterorum sanctorum cruce nostram subinde comparemus vitam. Eo enim fine toties totiesque in psalmis ejus fit mentio, ut discamus cum illis per *multas calamitates intrare regnum Dei*, (Act. XIV, 22,) nostrisque injuriis & contemtui Christi contumelia & vilitate mederi. Similiter: ut contemtæ ejus imagini nos conformare studeamus, ut hic illius ignominiam una portantes, illic in gloria illustrissimæ ejusdem imagini assimilemur, *Rom.* VIII, 29. *Phil.* III, 21. Utut autem supra citatus psalmus CIX, per totum nil est, nisi oratio

Christi

Christi patientis; de triplici tamen tribulatione præcipue querelam instituit sub illius finem.

3. Ac *primo* quidem de intima *cordis angustia & tristitia* queritur his verbis, *v.* 22: *Egenus & pauper ego sum; & cor meum conturbatum est intra me.* Quare vero tam anxias effundit querelas persona hæc sancta & sublimis? Sane, ut innotescat nobis, quantum nostri causſa sustinuerit. Ille *egenus* fuit, & tu divitiis inhians, illis non potes expleri. Ille *miser* fuit, & tu splendorem apud omnes consectaris. Ille *cor suum conturbatum* esse declarat, & tu semper gaudere gestis, animumque hilarem & omni perturbatione vacuum circumferre. Memineris quæso, nec Servatori tuo semper bene fuisse; sed cor ipsum habuisse fustibus quasi contusum inque extremas redactum angustias. Cogita adhæc, quam nihil sis ad tantam talemque personam. Et cum in maximis angustiis versaris, sic tecum sermocinare: *Mi anime, talia immo longe majora & attrociora Servator tuus quoque est expertus. Quem sicut per miserias ad gaudium, per contemtum ad honores, per mortem ad vitam, denique per infernum ad cœlos transire oportuit: ita & nobis crux nostra aditum munire ad patriam cœlestem debet.*

Christi tristitia debet operari in nobis pœnitentiam

Vita Christi.

4. *Secundo* conqueritur Christus de *corporis sui infirmitate* his verbis, *v.* 23, 24: *Sicut umbra cum declinat, ablatus sum; & excussus sum sicut locusta. Genua mea infirmata sunt a jejunio; & caro mea immutata est propter maciem.* Quibus verbis ostendit Dominus, esse nos in hoc mundo nihil, quam umbras fugaces & mortuas. Quod si vero Christus qui ipsa *Lux* est & *Vita*, non dubitat *umbram* se appellare, (id quod tamen de statu exinanitionis tantum intelligendum,) quanto est justius,

Disce tuam vilitatem.

LIB. II. CAP. XV.

ſius, ut noſmet umbræ & merum nihil nobis videamur, & humilitatem a Filio Dei diſcamus? Alt porro: *Ut locuſtam ſe exagitari* & expelli; & nos æternas nobis hic fingimus ſedes. *Locuſte* autem ſe comparat Dominus, quia, ut illa domum non habet, ſed timida eſt ac vaga, ita ipſe in hoc mundo fuit, ut ab illius exemplo diſcamus, hic vivere velut advenæ, & *aliam patriam inquirere*, Ebr. XIII, 14. Quod deinde addit: *genua ſua infirmata & carnem emaciatam eſſe*, id veriſſime dici, paſſio ejus oſtendit, in qua *exaruit omnis virtus illius quaſi teſta*, Pſ. XXII, 16. Atque hæc ægrotante corpore, ac male habente, in mentem revocemus. Parum eſt, ſi corporis decedat robur, dummodo anima noſtra cœleſtibus nutriatur conſolationibus, & *abundantia voluptatum divinarum pingueſcat*, ut ait *Jeſaias*, cap. LV, 2; *inque Domino, & potentia virtutis ejus corroboretur*, dicente *Paulo*, Eph. VI, 10.

Cur Chriſtus ſe comparet locuſtæ.

Chriſti contemtus eſt medicina noſtræ ſuperbiæ.

3. *Tertio* queritur Chriſtus de extremo *contemptu*, cui fuit obnoxius in hac vita. *Factus ſum*, inquit, *opprobrium illis: viderunt me & moverunt capita ſua.* En! Salvatorem tuum extremo contemtui expoſitum, & tu magnos quoſque honores appetis! Cujus unquam ſtatus fuit deterior hoc? Quem tamen ille ultro elegit, ut ab æterna nos contumelia liberaret. Homo, Dei contemptor factus eſt; adeoque tanta taliſque ſuperbia & injuria Deo illata, extrema contumelia Chriſto erat expianda. Ceterum *remedia* & ſolatia contra mundi contemtum hæc precipue ſunt:

Conſolationes contra contemtum.

6. (1) Cogitandum eſt, gerere te hoc pacto *imaginem* Chriſti, & imitari caput tuum & præceptorem; *Rom.* VIII, 17.

(2) Per

(2) Per contemtum veram addiscis *humilitatem*; hæc autem invenit gratiam apud Deum, qui *superbis resistit, humilibus vero dat gratiam*, 1 Pet. V, 5.

(3) Per contemtum quem in mundo pateris, in *Sanctorum* numerum transis; quippe qui omni tempore ut mundi purgamenta & piacula quædam fuerunt habiti, 1 *Cor.* IV, 13.

(4) Deus in cœlo coram omnibus Angelis laudabit te, *Apoc.* VII, 15.

(5) Moderate ferendus est qualiscunque contemtus, cum ultimo die non sis *resurrecturus ad contumeliam & ignominiam*, (Dan. XII, 47,) quippe a qua Christus te liberavit.

7. (6) Quia etiamnum in hoc mundo divinæ gratiæ particeps es factus. Hanc vero si habueris, facile ferres, si vel omnibus humanis auxiliis destituaris. Atque huc pertinet illud ex Psalmo CIX, 26, 27: *Adjuva me Domine Deus meus, salvum me fac secundum misericordiam tuam. Et sciant, quod manus tua hæc, & tu Domine fecisti ea.* Quasi dicat: *Quemadmodum Deus Filium suum ex contumelia & ignominia liberavit, & gloriæ honorique cœlesti potenti manu restituit; sic & tibi faciet, si hic ipsius probrum gestaveris, ut omnes intelligant, hoc Dei opus esse.*

(7) Sicut Deus Filio suo suam imposuit contumeliam, juxta *Ps.* LXIX, 9: *Propter te sustinui opprobrium; operuit confusio faciem meam*: sic & tibi tuam imposuit crucem, ut tuæ hinc virtutis experimentum caperet. *Sicut Deus caput nostrum a contemtu vindicavit; sic faciet quoque membris nostris.*

(8) Considera, Deum hanc contumeliam in benedictionem suo tempore esse commutaturum, & contemtores vicissim confusurum. Unde ait hoc in loco: *Maledicent illi & tu benedices; qui insurgunt in me, confundantur; servus autem tuus lætabitur.* Nimirum cui Deus bene

bene vult, ei nulla maledicta nocent; *Prov.* XXVI, 2. Exemplo *Balaami*, Num. XXIII, 8. Omnibus autem benedicit, qui timent ipsum: *Timenti Dominum bene erit, & die mortis illius benedicetur.* Sir. I, 12. Atque huc pertinet Dei promissio *Abrahamo* & omnibus fidelibus facta, *Gen.* XII, 3: *Benedicam benedicentibus tibi: & maledicam maledicentibus tibi.* Itemque divina consolatio, *Isai.* LI, 7: *Ne timetote probrum mortalis, & præ contumeliis ipsorum ne consternamini.* Et illud *Matth.* V, 11: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines*, &c. Et 1 *Pet.* IV, 14: *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quia gloriæ Spiritus super vos requiescit.*

8. (9) Christus Patri suo cœlesti gratias agit pro cruce & contumeliis, inquiens: *Celebrabo valde Dominum in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.* Et hæc mens cuilibet vero Christiano insit, ut adversa nempe cum gratiarum actione excipiat. Nec sane tanta tamque atrocia sunt quæ patimur, quin semper caussa & argumentum adsit Deo agendi gratias. Producitur enim ex cruce gratiarum actio, dum qui contumelias patienter propter Christum tolerat, hunc vicissim honore afficit Deus, cum in hac vita, tum in altera; juxta illud *Ps.* CXIII, 7: *Deus susciat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem; ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* O quam nobilis est virtus, omnes injurias & contumelias propter amorem Christi æquo animo & silenti preferre!

(10) *Quia adstitit a dextris pauperis, ut salvum faceret a persequentibus animam ejus.* Egregium solamen contra contemtum & calumnias, cujus sensus huc redit: *Dominus non assistit potentibus, magnatibus & persecutoribus justorum; sed pauperibus omni alio auxilio destitutis;*

stituris; requirens sanguinem eorum, Ps. IX, 13. Pulchre *Tertullianus*: *Cum damnamur a mundo, absolvimur a Deo.* Cui consentit Ps. XXXVII, 32: *Considerat peccator justum, & quærit occidere eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus; nec damnabit eum, cum judicabitur.* Hinc vero causa tibi subministrabitur celebrandi Dominum, & in medio multorum laudandi eum, quia adeo mirabiliter te liberavit. *Credo*, inquit *David*, Ps. XXVII, 13, 14, *videre bona Domini in terra viventium. Expecta Dominum, viriliter age; & corrobora cor tuum, & expecta Dominum.* Cui consonat illud 1 *Cor.* IV, 5: *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & tunc laus erit unicuique a Deo.*

CAPUT XVI.

Christianos debere in solo Christo & cœlo omnem honorem & gloriam quærere & collocare.

Ps. CIX, 1. *Deus laus mea, ne tacueris.*

PAucula hæc verba, sunt precatiuncula æterni Dei Filii, habentque hunc sensum: *Pater cœlestis, tibi soli compertum est, non quæsiviſſe me in hoc mundo honorem proprium; sed solummodo nominis tui gloriam & omnium hominum salutem. Nunc autem ea propter atrocissimas patior persecutiones, maledicta, convicia, contumelias & injurias. Contra hæc vero me consolatur, quod tu mihi pater es, & ego tibi unigenitus sum filius. Hæc est enim gloria mea in*

cœlis

LIB. II. CAP. XVI.

cœlis apud te, quam etiam tandem manifestabis, & in luce collocabis, ita me glorificando, ut mundus intelligat, quem persecutus sit & maledictis onerarit, Jo. XII, 28.

2. Hinc vero discimus, (1) maximam illis gloriam in cœlis supereſſe, qui innocenti corde persecutiones in mundo sunt perpessi. Hujus rei exemplum Christus Servator exhibet. In hoc & ex hoc tanquam vero & genuino *vitæ libro*, genuinam sapientiam nobis meminerimus esse hauriendam. Nunquam in terra ullam quæsivit gloriam, contentus, DEUM esse ipsius gloriam. Proinde *supplicamus tibi, O Pater, ut eundem animum nobis largiaris, quo omnem honorem & gloriam, non in nobis, sed in te solo; nec in terris, sed in cœlis collocemus.*

Deus debet esse unica nostra gloria.

3. (2) Summa Christi nostri gloria fuit, quod esset *Filius Dei.* Hoc vero nomine atrocissimas in mundo passus est persecutiones: *Concede similiter, O Pater, ut ea summa sit nostra gloria cordisque nostri gaudium unicum, quod filii tui sumus, quod paternæ tuæ fidei & charitatis fructibus perfruamur perpetuo, ac adoptionis jure æternam tandem hæreditatem indipiscamur: utcunque interim mundus nos oderit, execretur, detestetur & persequatur, ad instar Filii tui charissimi Jesu Christi.*

Omnium christianorum & Christi eadem gloria esse debet.

4. (3) Christi gloria fuit, tot divina perpetrare miracula, & hominibus ex sincera charitate & affectu benefacere, utcunque mundus ingratissimum se præbuerit. *Largire & nobis, O Deus, sincerum hunc affectum & animum omnibus benefaciendi jugiter intentum. Ne permitte, ut seculi ingratitudine a benefaciendo absterreamur, & non nobis, sed nomini tuo gloriam demus in omnibus nostris operibus.*

Gloria christiani est benefacere ex charitate non gloriæ spe.

5 (4)

LIB. II. CAP. XVI.

5. (4) Chriſti ſumma gloria fuit, ex mero puriſſimoque amore mortem pro nobis oppetiiſſe, & ſanguine ſuo nos redemiſſe. Patri pariter cœleſti ad mortem uſque crucis obediviſſe, in ſancta inceſſiſſe humilitate, ſumma manſuetudine atroces quaſque contumelias & invincibili patientia exquiſitiſſima tormenta ſuſtinuiſſe. *Adjuva nos, O Deus gloria noſtra, ut & nos ſimiliter inimicas noſtros charitate ſuperemus, carnem noſtram ad officia divinæ obedientiæ cogamus, Chriſti humilitate & manſuetudine mundi contumelias feramus, & denique per patientiam in cruce triumphemus inque Domino corroboremur.*

Magna gloria eſt triumphare per charitatem, humilitatem & patientiam.

6. (5.) Chriſti ſumma gloria eſt, ad dextram Patris exaltatio & nomen quod illi eſt datum *ſuper omne nomen, & in quo flectitur omne genu cœleſtium & terreſtrium*, quod denique *omnis lingua illum Dominum confitetur*, Phil. II, 9, 10, 11. *Adjuva nos, clementiſſime Deus, ut hoc ſolum gloriæ nobis ducamus, quod cum Chriſto in gloria manifeſtabimur. Fac, ut ſpretis mundi judiciis & contumeliis, tempus illud delectabile unice expectemus, quo laus erit unicuique a Deo*, 1 Cor. IV, 5, 2 Cor. IV, 17.

Gloria futura vincit omnia quæcunq; cor adſiguntur.

7. (6) Ea Chriſti ſumma gloria eſt, quod ſuæ Eccleſiæ, & omnium ipſius membrorum unicum ſit caput; quod rex glorioſus populi ſui, & pontifex ſit perpetuus. *Fac, O Deus, ut ſimiliter hoc unum laudi & gloriæ nobis ducamus, quod membra ſimus Chriſti, ſubditi regni ipſius, & denique ſummi noſtri pontificis interceſſione, ſacrificio ac benedictione in omnem æternitatem frui liceat.*

Magna gloria eſt, eſſe membrum Chriſti.

8. (7) Summa Chriſti gloria eſt, quod ipſius nomen per univerſum orbem manifeſtaverit Deus, & fidem in nomen ipſius inter tot ſtabiliverit populos, frementibus ac invitis

LIB. II. CAP. XVII.

Christus os confitebitur suos coram omnibus angelis.

tis hostibus, calumniatoribus & tyrannis, qui illum pro Filio Dei agnoscere recusabant. Utcunque enim aliquantisper hanc gloriam sub cruce abscondere Deus, tandem tamen ut sol lumine coruscus prorupit, juxta illud *Ps.* L, 2: *A Solis ortu usque ad occasum ex Sion species decoris ejus. Deus manifeste veniet. Deus noster & non silebit.* Similiter etsi quandoque in persecutione Deus gloriam nostram videatur supprimere, tandem tamen elapsa probationis hora *os suum aperiet, & nos a calumnia vindicabit*, Ps. XXXIX, 10; & 1 Joh. III, 2: *Nondum apparuit quid erimus.*

9. Atque hactenus patet, quid sibi velit illud, *Deus laus mea!* Deus inquam, non mundus, non pecunia, non fama, sed Deus laus mea. Quo apprime pertinet illud, *Jer.* IX. 23, 24: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus.*

CAPUT XVII.

Quomodo Christi & omnium sanctorum exemplo calumniæ sint tolerandæ.

Psal. CII, 9. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui me deridebant, adversum me jurabant.*

INTER Christianorum miserias & calamitates non postrema est *detractio & calumnia*, a qua nec ipse Christus immunis fuit, secta pharisæorum præcipue linguis suis viperinis illum cum vivum, tum mortuum confodiente.

2. Id

LIBR. II. CAP. XVII.

2. Id quod valido nobis argumento esse debet, christianorum neminem ab illis securum. Quanto quisque Christo est similior & illius diligentior imitator, tanto plus negotii calumniatores illi facessent. Idem expertus est sanctus *David*, ut graviſſime hinc inde queritur, ut *Pſalmis* III, IV, V, X, XII, XV, XXXI, L, LII, LV, LVIII, LXIV, LXIX, CXX, & CXL. Eaſdem calumniarum ſagittas experti ſunt omnes prophetæ, inter quos *Jeremias* cap. IX, 8, ita ait: *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt, in ore ſuo pacem cum amico loquitur, & occulte ponit ei inſidias.* Quod corruptum hominum genus cum leproſorum more (ſolo halitu morbi contagium tradentium,) omnes qui vacuas ipſi aures præbent, inficiat, eo majori ſtudio omnibus bonæ mentis amatoribus eſt fugiendum. Quando vero nemo ab iiſdem immunis eſt, *recriminari* autem idemque reponere, chriſtianæ fidei non ſit conſentaneum, nihil aliud nobis relinquitur, quam ut conſolationibus ex Dei verbo petitis, adverſus calumniatores nos muniamus.

Chriſtianus nullus ſecurus eſt a falſis linguis.

(1) *Exemplum Chriſti.*

3. *Primum* ſolatium ſit *Chriſti & omnium ſanctorum exempla.* Hæc enim citius & ante alia in mentem nobis veniunt, ſi quando calumniis afficimur. Nulla calamitas, nulla crux, nulla pœna tanta fuit tamque atrox, quam hoc hominum genus Chriſto non imprecatum fuerit, & ut credebant ipſi, de ſummo jure meritoque. De *Moyſe*, illo prophetarum principe, nonne Scriptura teſtis eſt (*Num.* XII, 3,) fuiſſe *illum omnibus mortalibus eo genere infeliciorem?* Et nonne de *Davide* proditum eſt, illum ſuo tempore metam quaſi fuiſſe, calumniatorum linguis ut tot peſtiferis ſagittis expoſitam? Unde ait, *Pſ.* CII, 9: *Tota die exprobrant mihi inimici mei; & qui laudant me, adverſum*

LIB. II. CAP. XVII.

versum me jurant. Quasi dicat: *Infortunium meum mihi exprobrant, & cui male volunt, eum optant fieri mihi simillimum, me vero omnibus maleficis infeliciorem.* Jam quid negotii *Jobo* calumniæ amicorum facessiverint, ne id quidem est obscurum. *Daniel* autem in calumniatorum fauces ceu sepulchra patentia & speluncas leonum incidit. Hæc exempla cum præsens solamen suggerant, in persecutionibus ad manum & in memoria habere oportet. Hanc nempe miseriæ viam ambularunt *omnes sancti Dei*, Act. XIV, 22. Hac incessit ante te Christus pharisæis a tergo ipsi maledicentibus. Hanc *Moyses* est ingressus factione *Chore*, *Dathan* & *Abiram* conviciis illum lacessente & lapides intentante, *Num.* XVI, 1: Intuere etiam *Davidem*, qui illustre lenitatis exemplum posuit convicia ferendo a *Simei* ingesta, 2 *Sam.* XVI, 5, &c.

(2) *Et sanctorum.*

4. *Secundo*: Exempla vero *sanctorum* non leviter aut perfunctorie intueri oportet, sed ita, ut ab iisdem in afflictione patientiam & mansuetudinem hauriamus. Quomodo enim scires quæso, quid *patientia* esset, quidve *mansuetudo*, si semper absque persecutoribus fores? Itaque magno & æquo animo suscipienda cuique crux sua, & Christus in hoc est imitandus. Cum Christiana enim Religione fideque egregie congruit, seipsum *non ulciscI, & convicia conviciis non reponere, sed juste judicanti causam suam committere*, 1 Pet. II, 23. Huic *de omni verbo otioso rationem reddent*, qui perversa sunt locuti, *Matth.* XII, 36. Et hinc pœnæ sat graves ab obtrectatoribus reposcentur. Vindicta itaque soli Deo deferenda est, utpote qui solus illam optime exercere novit, *Deut.* XXXII, 35. Tu vero Christi memineris,

Convicium est proba humilitatis.

memineris, qui *ut agnus ad macellum raptus, non aperuit os suum*, Isa. LIII, 7.

5. *Tertio*: Sancti Dei, cum ipsis maledice- (3) retur, ad *Orationem* ut quandam mentis medicinam confugiebant. *Maledicent illi & tu benedices*, Ps. CIX, 28; Luc. VI, 28. Nonne ex toto psalterio patet, Davidem *Oratione* ut muro quodam ferreo contra calumniatorum insultus se muniviſſe? Ut autem contra murum excussa sagitta in ipsum sagittarii caput redit; ita mendacia & calumniarum spicula ad auctorem revertuntur, juxta *Ps.* XXXVII, 15: *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* Id quod expeditiſſime *Oratio* præstat. Nihil enim est aliud orare contra detractores, quam certare & luctari cum illis, velut *David* cum *Goliath*, 1 Sam. XVII, 48, 49, & baculus *Moysis* cum magis Ægyptiacis, *Exod.* VII, 12. Nimirum hæc lucta vere *spiritualis* est, inter duos nempe spiritus agitata, puta fidelem *Orationem*, cujus auctor est Spiritus sanctus; & *mendacium*, quod a Diabolo profectum. Ut autem serpentes Ægyptiaci a baculo *Moysis* devorabantur, ita sancta oratione conteritur mendacium. *Contra calumnias orandum.*

6. *Quarto*: Cum Deus in verbo suo blandiſſime homines alloquatur, consultum est, cum calumniis, ceu tot venaticis Diaboli canibus agitantur, cervi instar ad fontem Scripturæ divinæ confugere, ut vitam hinc auramque solaminis plenam hauriant, qua sub calumniarum æstu reficiantur. Hinc illud Christi, *Matth.* V, 11, 12: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos, mentientes, propter me. Gaudete & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Qua unica sen- (4) *Ad verbum confugiendum.*

LIB. II. CAP. XVII.

tentia *triplex* consolatio continetur: *Beati estis, Gaudete, Merces vestra erit copiosa.* Quis vero hujus gloriæ spe æquissimo animo calumnias & injurias pati recuset? *Si exprobramini in nomine* Christi, inquit *Petrus* 1 epist. IV, 14, *beati eritis: quoniam Spiritus gloriæ super vos requiescet.* Thren. III, 27: *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius & tacebit, quia levavit se super se. Ponet in pulvere os suum si forte sit spes. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Quia non repellet in sempiternum Dominus.*

Deus blande loquitur nobiscum, etsi calumniis impetamur.

(5) *Tempestas infernalis est calumnia.*

7. *Quinto*: Memineris, calumnias esse quasdam tempestates infernales, quæ subito in aliquem irruere possunt. Nam sicut viator omnibus momentis pluvias expectat ac turbines; ita qui in hoc mundo versatur, jugi conatu ad patriam tendens, ad diabolicas quasque tempestates subeundas promptus sit atque paratus; ut *Jes.* LIV, 11 Ecclesia deploratur: *O Paupercula! Tempestate agitata, absque ulla consolatione!* Quid mirum, si in viatorem aliquando imbres decidant? Hodie tibi, cras cuidam alii insultat mundus. Eo enim est genio, ut jam hunc, jam alium in theatrum producat, populoque deridendum propinet. Omnium hic æqua sors est & conditio. Qui vulgi fabula fieri cœpit, in eo quilibet calumniandi & mentiendi libidinem explere satagit. Et hac expleta, ad alium dein progreditur petulans obtrectandi prurigo. Qui hic viribus omnibus contra niti vult & a mundo nihil pati, similis est cuidam ab apicula compuncto, qui ex impatientia in totum alveare ruit, & dum evertere illud gestit, ad unam omnes apes turmatim in se concitat, egregiam impatientiæ suæ mercedem reportans.

Mundus est diaboli comœdia & tragœdia.

tatis. Ita sunt, qui levem quamque aspersionem omni conatu extersuri, gravissimarum litium & calamitatum præbent occasionem. Quemadmodum enim hydra unius capitis resecti jacturam septem aliis compensat; ita calumnia, si contra nitaris, longe pluribus mendaciis se ulciscitur. Qui vero patientiæ sedulo studet, & eo animum applicat, ut paullatim consuescat, rumores quosque adespotos nec curare, nec ad singulos canum latratus, aut muscarum puncturas stomachari; hic suavem tum corporis, tum animi tranquillitatem degustabit; nec, ut aliis evenire solet, molestiam ex molestia sibimet ipse arcesset. Atq; hæc vera ars est, & mascula quædam methodus superandi hostes. Hanc qui ignorant, eos in armis esse assidue & velut in procinctu stare, necesse est.

LIB. II. CAP. XVII.

Optimum victoriæ genus patientia.

8. *Sexto:* Non temere vel sine caussa est, quod malevolorum dicacitati & calumniis nos objiciat Deus. *David* de *Semei* dicebat 2 *Sam.* XVI, 10: *Dominus præcepit ei, ut malediceret David.* Quare vero facit hoc Deus? Nimirum non vult, nos propter dona ab ipso in nos collata insolescere; sed in humilitate ambulare & amice invicem conversari. Ad hoc vero non parum conducit calumnia. Est autem in primis memorabile cum illud Davidis: *Dominus præcepit ei*; tum quod *Jobus* cap. XII, 21 ait: *Dominus effundit despectionem super principes.* Deus bone, quam abstrusa & inperscrutabilia sunt judicia tua! Dolet carni & sanguini contemni, conviciis proscindi & contumelia affici. Omnibus innatum est, velle aliquo loco & numero haberi, sibi applaudere & placere, & in honore esse apud quam plurimos. Quæ *Philautia* naturalis, commune fascinum est quo infatuamur, & quod *Luciferi* ac

(6)

Quare permittat Deus.

Occultæ caussæ calumniarum.

LIB. II. CAP. XVII.

Adami apostasiam induxit. Hos palam est per amorem proprium honorisque aucupium Dei amorem vitamque æternam amisisse. Idcirco Deus immittit nobis unum vel alterum, (ut *Jobo* & *Paulo* Diabolum) qui calumniandi libidine variisque mendaciis ut tot procacis linguæ telis, vel juxta Apostoli dictionem, *colaphis* ad humilitatem nos reducat, 2 *Cor.* XII, 7. Multis enim variisque modis procedit Deus, ut in humilitate nos custodiat, superbiamque supprimat in nobis ac mortificet, ne in Luciferi societatem transeamus.

Contumeliæ nutriunt nostram patientiam.

(7) *Virulentæ linguæ insignes sunt medicinæ.*

9. *Septimo*: Tanta Dei bonitas est, ut mala & incommoda, quæ venenatæ calumniatorum & obtrectatorum linguæ concinnant, in bonum nobis convertat. Mala meditatur mundus; sed pessima mundi consilia dirigit Deus, quo optime eveniant. Sicut *Theriacam*, ingreditur serpens *Tyrus*, utcunque venenatus & pestilens: (de quo aliqui theriacam vel *tyriacam* dictam volunt) Ita dicente Paulo: *Diligentibus Deum omnia ad bonum cooperantur*, Rom. VIII, 28. Nimirum docet nos Deus per calumnias, nobilissimum operum, *charitatem* nempe exercere, & *pro inimicis orare*, Matth. V, 44. Hoc quisquis recte præstare valet, eum certum est, ad supremum fere charitatis gradum evasisse, ac Christi animum, spiritum & sensum induisse qui dixit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Quod sedula imitatione exprimat Christianus, ex commiseranti amoris affectu idem pro inimicis ingeminans. *Luc.* XXIII, 34. Nam veræ charitatis proprium est, etiam hostium misereri; quia certum est, illos a Deo & Christo longissime abesse, & Diabolum in ipsis vivere. Unde potius est, calumniatores misericordia quam odio prosequi, quia non ex Deo, sed patre

Magnus gradus amoris, hostium misereri.

patre Diabolo sunt. Atque hæc vera & gravissima caussa est, quare pro inimicis orare conveniat, ut nimirum ex servitute Diaboli, cujus sunt mancipia, in libertatem tandem Dei asserantur. LIB. II. CAP. XVII.

Cur sit orandum pro hostibus.

10. Immo (quod initio dicebam) verissimum est, Deum sæpenumero ex venenata lingua salutiferam suis elicere medicinam. Exempli loco sit *Josephus*, qui ad tantam dignitatem non perveniisset, nisi lingua impuræ mulieris livoris plena in carcerem illum conjeciisset, *Gen.* XXXIX, 17. Sic *Moyses* Deum in rubo ardenti non audiviisset, oves pascens in monte Horeb, nisi propter calumnias ex Ægypto in Midian a facie Pharaonis fugere fuisset coactus, *Exod.* II, 15, III, 1. *David* tot præclaros psalmos non composuisset, si absque maledica Doegi lingua fuisset. Hæc proinde sibimet venenum, Regi autem medicina extitit, 1 *Sam.* XXII, 9, *Ps.* LII, 1. Dei omnipotentia non fuisset tam luculenter manifestata, nisi calumniis consiliariorum aulæ Persicæ *Daniel* in speluncam leonum fuisset detrusus, *Dan.* VI, 12. Impia adversariorum lingua ad altiorem honoris gradum evehebat Danielem. Idem apparet in *Haman* & *Mardochæo*. Ille, cum in hunc atroci lingua nil quam lethalia intentaret spicula, Regis eum favori commendavit, ex furca pendens ipse, qua hunc interimere satagebat; *Esth.* VII, 10. Quocirca acquiesce Domino, & *educet ut lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem*, Ps. XXXVII, 6. Illud tantum connitere, ut Deum a partibus tuis habeas. Huic enim *si placuerint viæ hominis, inimicos quoque ejus convertit ad pacem*, Prov. XVI, 7. Persuasum habeas, si quid honori tuo mundus detraxerit, id Deum tibi redditurum,

Veritas ceu sol tandem perfringit nebulas mendaciorum.

turum, juxta *Pſ.* XCI, 15: *Eripiam eum, & glorificabo eum*; item *Pſ.* LXXXIV, 12: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.*

(8) *Deus hominum corda flectit.*

11. *Octavo:* Illud etiam conſolari nos debet, quod Deus hominum corda in manibus ſuis habet, teſte *Pſ.* XXXIII, 14: *De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram. Qui finxit ſigillatim corda eorum; qui intelligit omnia opera eorum.* Et *Pſ.* XLI, 3: *Dominus non tradet te in animam inimicorum ejus.* Videmus ſæpe tanta inſaniendi, bacchandi, mentiendi & fallendi intemperie nonnullos correptos, ut nil niſi extrema quæque proximo minitentur; quorum animum unius horulæ ſpatio immutatum videris. Immo accidit ſæpius, ut impius animo malo ad juſtum veniens, eum ne digito quidem percutere poſſit, nec verbis ſaltem objurgare aſperis, ſed blanda inſuper oratione eum compellare cogatur. Dei ſane hoc opus eſt, ut docemur exemplo *Jacobi* & *Labanis.* Hic enim cum contra Jacobum exardeſcens, gravius in hunc ſævire in animo haberet, Dominus ipſi ſuggerebat: *Cave, ne quicquam aſpere loquaris contra Jacobum*, Gen. XXXI, 24. Idem in *Eſau* & *Jacob* videre eſt, quorum ille in hujus collum ruens & oſculans, flevit, *Gen.* XXXIII, 4.

Facies viri facies leonis.

(9) *Calumniatorum repentinus interitus.*

12. *Nono:* Etſi calumniæ proprium eſt, ut ad ipſam cum favore & plauſu undiquaque concurratur; mox tamen confunditur, & repente corruit, ignium more, qui flammis ſumma lambentes, ſubito concidunt & extinguuntur. Nam Deus, qui eſt ipſa *VERITAS* extremo in mendacium fertur odio & celerrime illud judicio ſuo percellit, etiam tum quando ad ſummum perveniſſe ſe credit, & omnibus terrorem incuſſiſſe, juxta *Pſ.* XXXI, 19: *Muta fiant labia mendacii, quæ loquuntur adverſus*

versus justum, duriter, in elatione & contemtu. LIB. II. CAP. XVII.
Ubi *tres* observes obtrectatorum proprietates. Loquuntur enim (1) *duriter*, (2) in *elatione*, & (3) in *contemtu*. Huc pertinet & illud *Jes.* XXXIII, 1: *Væ qui spernis, cum fatigatus desieris contemnere, contemneris iterum.* Verbo: *Non relinquet Dominus virgam super sortem justorum; ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas*, Ps. CXXV, 3. Et *Ps.* CXL, 12: *Vir linguosus non dirigetur in terra; virum injustum mala capient in interitu.*

13. Consolationes ex psalmis, contra inimicos & calumniatores.

Ps. III, 4: *Tu autem Domine clypeus meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Exurge Domine, salvum me fac Deus meus. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine caussa: dentes peccatorum contrivisti.* Ps. IV, 3, 4: *Filii hominum usque quo gloriam meam in contemtum rapietis? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Sed scitote, quod mirificavit Dominus sanctum suum. Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.* *Medicina Dei protectio.*

Ps. V, 5: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominatur Dominus. Quoniam non est in ore eorum veritas; Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agunt; judica illos Deus, decidant a cogitationibus suis. Et lætentur omnes, qui sperant in te; in æternum exultabunt. Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices justo Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* *Dei ultio de calumniatoribus & gaudium fidelium.*

Ps. VI, 11: *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei; convertantur & erubescant valde velociter.* *Calumniatores mox confundi.*

Ps. VII, 1 seqq. *Domine Deus meus in te speravi; salvum me fac ex omnibus persequentibus*

me, & libera me. Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat. Ecce parturit injustitiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem. Lacum aperuit & effodit eum; & incidit in foveam, quam fecit. Convertetur dolor ejus in caput ejus; & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Calumniatores ruunt in propriam foveam.

14. Ps. XVII, 8, 9: Custodi me ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me. A facie impiorum, qui me afflixerunt; inimici mei animam meam circumdederunt.

Custodia Dei.

Ps. XVIII, 4, 7: Laudans invocabo Dominum; & ab inimicis meis salvus ero. In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi. Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam; & clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus.

Oratio mendaces perdit.

Ps. XXVII, 1, seqq. Dominus illuminatio mea & salus mea, a quo trepidabo? Dominus protector vitæ meæ, quem timebo? Dum appropinquant ad me nocentes, ut edant carnem meam. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. In petra exaltavit me. Dirige me in semita recta propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui; & mentita est iniquitas sibi. Credo videre bona Domini in terra viventium. Expecta Dominum, viriliter age, confirmetur cor tuum, & sustine Dominum.

Defensio Dei.

Ps. XXXI, 15: Ego in te speravi, Domine, dixi: Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ. Eripe me de manu inimicorum meorum, & a persequentibus me. Muta fiant labia dolosa, quæ

Dei auxilium contra linguas malignas.

quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia & in abusione. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te? Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum. Protteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.

Dei vindicta.

15. Ps. XXXV, 5, 6: *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, & angelus Domini coarctans eos. Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & angelus Domini persequens eos.*

Calumniatores suo gladio se jugulant.

Ps. XXXVII, 1: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum cito decident. Observat peccator justum, & stridet super eum dentibus suis. Dominus autem irridet eum, quoniam prospicit quod veniet dies ejus. Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum, ut decipiant pauperem & inopem, ut trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipsorum; & arcus eorum confringatur. Considerat peccator justum, & quærit occidere eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus; nec damnabit eum, cum judicabitur illi. Vidi impium super exaltatum, & elevatum super cedros Libani. Et transivi & ecce non erat: & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.*

Patientia vincit calumniatores.

Ps. XXXVIII, 14: *Ego autem tanquam surdus non audiebam; & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens; & non habens in ore suo redargutiones. Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.*

Deo committenda vindicta.

Ps. XXXIX, 10, 13: *Obmutui & humiliatus sum, & silui a bonis; & dolor meus renovatus est. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti. Quoniam advena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.*

Ps.

16. Pſ. LV, 24: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet; & non dabit in æternum fluctuationem juſto. Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos; ego autem ſperabo in te Domine.*

Terribilis finis calumniatorum.

Pſ. LVII, 2: *Miſerere mei Deus, miſerere mei; quoniam in te confidit anima mea. Et in umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum, qui benefecit mihi, miſit de cœlo & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me, Sela. Miſit Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam & eripuit animam meam de medio catulorum leonum. Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ; & lingua eorum gladius acutus. Exaltare ſuper cœlos Deus; & in omnem terram gloria tua. Laqueum paraverunt pedibus meis; & incurvaverunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in eam, Sela. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum; cantabo & pſalmum dicam. Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara; exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis Domine; & pſalmum dicam tibi in gentibus. Quoniam magnificata eſt uſque ad cœlos miſericordia tua, & uſque ad nubes veritas tua. Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.*

In oratione & laude Dei eſt victoria.

Pſ. LXIV, 2: *A timore inimicorum eripe animam meam. Quia exacuerunt ut gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram; ut ſagittent in occultis immaculatum. Subito ſagittabunt eum, & non timebunt. Exaltabitur Deus, ſagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum; & infirmatæ ſunt contra eos lingua eorum. Conturbati ſunt omnes, qui videbant eos.*

17. Pſ. LXXI, 10: *Dixerunt inimici mei mihi; & qui cuſtodiebant animam meam conſilium fecerunt in unum, dicentes; Deus dereliquit eum,*

Calumniatores ſunt diaboli canes venatici.

perſe-

perſequimini, & comprehendite eum; quia non eſt, qui eripiat. Introibo in potentias Domini, Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius. Deus doceuiſti me a juventute mea; & uſque nunc pronunciabo mirabilia tua. Et uſque in ſenectam Deus ne derelinquas me. Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura eſt. Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas; & converſus vivificaſti me; & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me. Multiplicaſti magnificentiam tuam: & converſus conſolatus es me.

Deus nos protegit a calumniatoribus.

Pſ. CXXI, 1: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum & terram. Non det in commotionem pedem tuum; neque dormitet, qui cuſtodit te. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua ſuper manum dextram tuam. Per diem ſol non uret te, neque luna per noctem. Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus, Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & uſque in ſeculum.*

18. Pſ. CXL, 1: *Eripe me Domine ab homine malo, a viro iniquo eripe me. Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die cuſtodiebant prælia. Acuerunt linguam ſuam ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum: Sela. Cuſtodi me, Domine, de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me. Qui cogitaverunt ſupplantare greſſus meos; abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Et funes extenderunt in laqueum, juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. Dixi Domino: Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meæ. Domine, Domine, virtus ſalutis meæ; obumbraſti ſuper caput meum in die belli. Ne tradas me Domine a deſiderio meo peccatori, cogitaverunt*

LIB. II. CAP. XVII.

contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur; Sela. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. Cadent super eos carbones; in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent. Vir linguosus non dirigetur in terra, virum injustum mala capient in interitu. Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum. Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.

Pœna calumniatorum.

Psl. CXLII, 1 seqq. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum. Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio. In deficiendo ex me spiritum meum, & tu cognovisti semitas meas. In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Considerabam ad dextram & non videbam, & non erat qui cognosceret me. Periit fuga a me, & non est qui requirat animam meam. Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt super me. Me expectant justi, donec retribuas mihi.*

In persecutionibus omnes nos ignorant præter Deum.

CAPUT

CAPUT XVIII.

Quomodo per dolores & mœrorem Christi voluptates domare & extinguere conveniat.

Matth. XXVI, 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

TErtium caput crucis & afflictionis Christi consistit in *mœrore* ineffabili, qui cum ipsa infantia illius cœpit. Quia enim sanctissima ejus anima luce divinæ cognitionis ac sapientiæ per unionem personalem repleta erat & colluſtrata, exindeque omnia futura sibique eventura semper ut præsentia intuebatur, sequitur, illam subinde ab utero matris gravissimos etiam animi cruciatus doloresque persensisse. Prævidebat ergo & animæ angores, & corporis cruciatus, majores, quam ut verbis exprimi vel cogitatione concipi possint. Quo enim tenerior, purior ac innocentior erat humana in Christo natura, eo majores dolores, pœnas, angoresque illam sustinuisse necesse est. Cujus rei argumentum habemus spirituales & internos animæ angores. Hæc sicut corpore propter immortalitatem longe est nobilior; ita majoribus & atrocioribus quam corpus tormentis est obnoxia. Quocirca etiam sui causſa & respectu nunquam hilaris fuit Christus, sed hoc unum gratum jucundumque habuit, patrem ipsius cœlestem ab hominibus recte cognosci, coli, divinaque ejus opera manifestari. Hinc *Luc.* X, 21 legimus, illum in *Spiritu exultasse*, cum septuaginta discipuli reverterentur. *Magna Christi tristitia.*

2. Quia

2. Quia nihil eorum ipsum fugiebat, quæ illi essent eventura, & quidem mediante proprio suo populo; aliter esse non poterat, quin continuo mœrore ac angore excruciaretur: qui etiam eo magis ingravescebat, quo propius ad ipsam passionem accederet. Id quod ipsemet testatur *Luc.* XII, 50: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Illo autem baptismo jam perficiendo, ait *Matth.* XXVI, 38: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quo certe immanes illos & ineffabiles animi sui dolores ac cruciatus innuit, qui ipsi sudorem sanguineum expresserunt, *Luc.* XXII, 44. Quæ autem in benedicta sua anima tormenta, quos item cruciatus in corpore tenerrimo, de cruce pendens pertulerit, nullius hominis lingua sat eloqui valet. Ac *primo* quidem ratione nostri *peccati*, quod quia infinitum & inexplicabile malum est, idcirco plenaria illius pœna & satisfactio non potuit non immensos (& mero homini intolerabiles) dolores Filio Dei concitare.

Christi dolores unde.

Atrocissimi Christi dolores.

3. *Secundo*: Quia tulit *peccata mundi*, non ea tantum, quæ jam inde a condito mundo erant patrata; sed quæ deinceps etiam ad ipsum usque finem seculi homines essent admissuri. Hinc vero sequitur, quot quantaque peccata omnes & singuli habuerunt, tot tantosque dolores, immo infinitos & immensos vel propter unicum peccatum Christum sustinuisse. Idcirco in monte oliveti orabat: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*, Matth. XXVI, 39.

Amor caussa doloris.

4. *Tertio*: Immanes & ineffabiles Christi cruciatus fuisse, ex *perfectissima illius charitate* patescit. Quanto major charitas, tanto acerbior dolor. Quod autem amore non prosequimur, id neque tristitia afficere nos potest.

test. Itaque cum Christus cœlestem suum patrem perfectissime diligeret, ideo etiam in anima sua gravissimum acerbissimumque dolorem ex peccato, quo cœlestem suum Patrem atrocissime offensum noverat, percepit. Adeo ut totius generis humani peccata, cum omnibus eorum pœnis, minus illum excruciarint, quam injuria illata Deo, qui ipsa est charitas. Et sane propter hanc patris charitatem, quæ merito a nulla creatura offendi debebat, Christus mortem ignominiosissimam doloresque exquisitissimos subiit; ut nimirum charitatem & gratiam patris nobis miseris hominibus pretio offensam æquante, recuperaret.

Quid Christo gravissimos dolores intulerit.

5. *Quarto*: Acerbissimos etiam cruciatus passus est Christus propter perfectum *amorem, quo genus humanum* complectebatur. Sicut enim pro omnibus mortuus est, & omnium peccata tulit, ita omnes etiam salvos fieri, summopere desideravit. Hinc vero sequitur, illum vehementissimos cruciatus ex incredulitate & occæcatione impiorum in anima sua sensisse; (hæc quippe charitati suæ plane adversantur,) eorum autem maxime, quorum interitum & condemnationem, quia pœnitentiam acturi non essent, prævidebat. Ne quid dicam de intimo doloris sensu, quem ex immani odio, crudelitate & calumniis illorum, quibus vitam & salutem comparare conabatur, hausit. Unde ait: *Improperium fregit cor meum*, Ps. LXIX, 21. Quibus verbis non tam suam, quam illorum, qui opprobria ipsi ingerebant, conditionem deplorat.

Impœnitentia auxit Christi dolores.

Vivificantur Christi sanguine, qui ejus sanguinem fuderunt: vitam paravit a quibus occisus.

6. *Quinto*: Gravissimo quoq; dolore hinc Christus fuit affectus, quod, cum *Filius Dei esset, Deus tamen illum derelinqueret.* Etsi enim Deus illum derelinquere non potuerit, qui erat ipse Deus, nec Deus esse desierit, cum penderet in cruce,

Christus verus Deus in cruce & in morte.

cum

LIB. II. CAP. XVIII.

cum moreretur, cum denique sepeliretur; attamen a Deo *derelictum se clamat*, Ps. XXII, 2. Hunc lamentabilem autem clamorem effudit Christus, ut ostenderet, Deum sibi ut homini omnem consolationem subtraxisse, & ab ipso semet abscondisse. Quam extremam miseriam hoc proinde clamore voluit facere contestatam.

Contumeliæ, quas passus est Christus, toti personæ & ita ipsi Deo sunt illatæ.

7. *Sexto*: Dolor Christi immensus etiam & ineffabilis fuit, *ratione suæ personæ*. Verus enim erat Deus. Hinc autem consequitur, omnes contumelias & blasphemias ipsi ingestas, infinitum fuisse malum; quia nimirum toti ipsius personæ accidebant, quæ simul erat verus Deus & homo, atque adeo ipsi Deo, unde gravissimos in illius anima cruciatus extitisse necesse est.

Christi dolores gravissimi ratione temperamenti.

8. *Septimo*: Quantum dolorem innocentissimo, sanctissimo, tenerrimo & virgineo Christi corpori intulerint tormenta, quis explicaverit? Aut quis dubitaverit, atrocissimos esse cruciatus, corpus innocentissimum, tenerrimum, nobilissimum, purissimum, a Spiritu sancto conceptum, cum divinitate personaliter unitum, Spiritu sancto totaque divinitate repletum, verberari, flagellari, vulnerari, compungi, crucifigi & trucidari? Verba ad hoc nulla sufficiunt. Nonne omnes cruces & afflictiones nostræ, qui peccatores gravissimi sumus, & æternam mortem ac condemnationem promeriti, ad hæc tormenta meræ deliciæ sunt? Et tamen fugimus, & aversamur ea quæ in salutiferum medicamen cedere debebant. Certe anima, Christum sincere diligens, aliam vitam & conditionem sibi in hoc mundo non optet, præter hanc, qua Christi vitæ quam proxime accediturr. Hoc unicum in lucro deputandum est, dum in hoc mundo versamur.

Vita Christi est maxima spiritualis nobilitas.

samur. Hinc gaudeat verus Christi amator, quod dignus fuerit, Christo compati. LIB. II. CAP. XIX.

9. Jam cum non nesciamus, *varias in via ad cœlum erumnas esse subeundas*, & non nisi per calamitates ad regni cœlestis ineffabilem gloriam perveniri, *Act.* XIV, 22. Ecquid caussæ dixerimus esse, quod hunc crucis tramitem cum gaudio terendum, tam inviti ingrediamur? Immo, cum non nesciamus, ipsum Filium Dei idem feciisse iter, illudque inculpato suo exemplo sanctificasse, non nisi per passiones regnum suum intrans; *Luc.* XXIV, 26. Denique cum certi simus, momentaneos cruciatus æternis gaudiis compensari: Et nostrum est certe, Christum vicissim diligere, nec ulla afflictione frangi; cum ipse propter amorem nostri sibimet non parcens, promptissime omnia pro nobis sustinuerit.

Afflictiones sunt a Christo sanctificatæ.

Christus nostri caussa sibi ipsi non pepercit.

CAPUT XIX.

Quomodo in Christo crucifixo velut in libro vitæ contemplari oporteat peccata nostra, Deique iram, justitiam, charitatem & gratiam.

Apoc. V, 1. *Et vidi in dextra sedentis supra thronum librum scriptum intus & foris.*

CHRISTUM CRUCIFIXUM, ceu *librum vitæ* nobis ob oculos ponit Deus, ut sanctissimam hinc sapientiam perdiscamus. In ipso enim Scriptura tota, omnes prophetæ & lex perfecte fuerunt impleta per absolutissimam ejus obedientiam usque ad mortem, & perpessionem pœnarum atrocissimarum pro peccatis totius mundi. Atque hæc perfecta,

In Christo tota scriptura fuit impleta.

LIB. II. CAP. XIX.

interna externaque obedientia & passio, est *ille liber scriptus intus & foris.*

Christus crucifixus est speculum nostrorum peccatorum,

2. Idcirco Christus crucifixus inter cetera inque primis nobis exhibet *peccata* nostra, illorumque magnitudinem & atrocitatem. Per clamorem miserabilem quem effudit, *animæ* suæ internos cruciatus, quibus *occulta* & secretiora cordium nostrorum peccata luit, manifestavit. *Corpus* vero exhibet vulneratum, sanguine perfusum, plenum dolore & infirmitate, ut in illo quasi in libro aliquo peccata legamus & inspiciamus, per omnia omnino membra commissa.

Et justitiæ divinæ,

3. Præterea anima devota in Christo crucifixo *Dei justitiam* comtemplatur; quod nempe nulla alia ratio fuerit peccata nostra illorumque pœnas tollendi, præter sublimem hanc Filii Dei satisfactionem. Unde concludit, tantum abesse, ut peccata hominum maneant impunita, ut vel ipsum Filium tradiderit Deus, quo peccata luantur; *Rom.* IV, 25, VIII, 32.

Et charitatis,

4. Inde vero etiam ad *charitatem* & *misericordiam* Patris cœlestis in Christo crucifixo exhibitam, transeundum. Quippe qui ex paterno affectu sorti nostræ condolens, ne perpetuo morti & inferno maneremus obnoxii, Filium suum pro nobis satisfacere voluit; cum nos ipsi omnibus nostris & creaturarum omnium viribus id præstare haud valeamus.

Et prædestinationis ad salutem.

5. Hinc porro transeat contemplatio Christi crucifixi ad Dei *clementissimam voluntatem* & providentiam curamque paternam, quam pro recuperanda hominum salute gessit. Hinc nil tam arduum erat, nil tam difficile, quin id superavevit per dilectum Filium salutis nostræ restauratorem. Ut inquam æterni nos gaudii hæredes constitueret, nulli ipse molestiæ, nec ipsi Filio suo pepercit.

6. Præ-

LIB. II CAP. XIX.

6. Præterea ex eodem libro vitæ, Christo inquam crucifixo, relucet *summa Dei Sapientia* in *Medio* salutis nostræ adinveniendo, quale nulla unquam creatura excogitare potuisset. Tale nimirum, quo cum *justitia* tum *misericordia* ejus adimpleretur. Ita enim in negotio redemptionis nostræ *misericordia* usus est cœlestis Pater, ne *justitia* ejus eodem tempore ullo modo fuerit violata. Et vicissim Christus morte sua ita expiavit peccata, ut expleto divinæ *justitiæ* rigore, ipsa *misericordia* eo altius emicuerit. Et sicut per arborem vetitam primus *Adamus* maledictioni nos subjecit; (*Gen.* III, 1.) ita Deus sapienter voluit per lignum crucis eandem iterum tolli, & salutem ac benedictionem nobis reparari; 1 *Pet.* II, 24. Immo admirabili divinæ sapientiæ consilio factum est, quod per mortem Christi omnia morti subjecta revixerint, mors ipsa sublata, per illius dolores & cruciatus cœlestis æternaque voluptas, perque tristitiam æterna gaudia parta nobis fuerint. Et per hoc tremendum & admirabile opus, mundi autem & rationis judicio fatuum & ridiculum, sapientiam mundi destruxit Deus, & ex divina stultitia summam sapientiam elucescere voluit; 1 *Cor.* I, 23. *Et sapientiæ,*

7. In *Christo crucifixo* legimus pariter summam *Patientiam* & *Mansuetudinem*, qua non modo injurias sibi illatas ulcisci noluit; sed etiam pro carnificibus & calumniatoribus suis Patrem cœlestem deprecatus, immo pro ipsis & ipsorum peccatis mortuus est. Ut taceam jam extremam ejus *Humilitatem*; quæ tanta fuit ac talis, ut Dominus gloriæ mortem ignominiosissimam prompto animo & æquo oppetierit. Et ita tandem discit anima fidelis, quod Christi mors & passio, simul redemptio ex inferno, paradisi apertio, reconciliatio Dei, victo- *Et patientiæ,* *Et maximæ humilitatis.*

ria de Satana, perfecta satisfactio pro peccatis, & denique absoluta reparatio collapsæ justitiæ fuerit.

Fructus mortis Christi. Christus crucifixus verus liber fidei & vitæ.

8. Ex quibus satis superque animæ christianæ innotescit, Christum crucifixum verum esse *librum vitæ*, & æternæ infallibilisque veritatis divinæ. Ex hoc cum *fidem*, tum *vitam christianam* sedulo hauriamus, si non emortua, sed vera vivaque membra corporis salvifici Redemptoris nostri esse velimus, sique desideremus, vitam ipsius mortemque in nobis operari, & vivos fructus proferre.

CAPUT XX.

De Orationis efficacia & necessitate in divinis istis contemplationibus.

Cant. III, 2. *Quæram quem diligit anima mea.*

CUM viva cognitio Dei & Christi crucifixi comparari non possit, nisi quotidie & assidue quis legat librum innocentis sanctissimæq; vitæ Christi Jesu Domini nostri; hæc autem meditatio & mentis in Deum elevatio absque, devota, fideli, humili & assidua oratione fieri nequeat; (hæc autem non tantum in *orali* colloquio cum Deo consistit, sed potius in cordis fide jam imbuti, animi omniumq; virium animæ ad *Deum elevatione*, *Ps.* XIX, 15:) idcirco necesse est, Orationis naturam & indolem non ignorare. Nam sine oratione Deus non invenitur, cum hæc verum sit medium, per quod *quæritur* & *invenitur*, Matth. VII, 8. Ea autem *triplex* est: *Oralis*, *interna*, & *supernaturalis*; juxta illud *Pauli*, 1 Cor. XIV, 15: *Orabo spiritu, orabo & mente.*

Quid sit oratio?

Oratio verbalis.

2. *Oralis* oratio est humile & externum exercitium, hominem ad orationem internam, & interiores cordis recessus deducens; præcipue, si cum devota mentis applicatione fide-

que

que verba quibus quis utitur, considerentur. Ea enim tunc spiritum & animam ad Deum elevare deprehenduntur, ita ut suave colloquium in filiali fiducia cum Deo instituat homo. LIB. II. CAP. XX.

3. *Interna* oratio fit absque intermissione in fide, spiritu & animo, juxta dictum dilecti Servatoris, *Jo.* IV, 24: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Et Ps. XIX, 15: *Sit meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Item *Ps.* LXXVII, 7: *Meditatus sum cum corde meo; & perscrutatur spiritus meus.* Item *Rom.* VIII, 15: *Per quem clamamus, Abba Pater.* Atque per hanc internam orationem deducimur ad *Supernaturalem*; quæ fit, *Tauleri* teste, per "veram unionem cum Deo; quando noster "spiritus creatus colliquescit & submergitur "in spiritu Dei increato, & tunc omnia in "momento fiunt, quæcunque omnes sancti "verbis aut operibus jam inde ab exordio "mundi ediderunt." Itaq; quæ proportio est unius oboli ad mille nummos aureos, ea comparatio est orationis externæ ad hanc internam. Etenim in hoc exercitio animus per veram fidem adeo amore divino repletur, ut aliud cogitare non possit, nisi solum Deum. Aut si forte alia cogitatio cordi & animo hominis illabatur, gravissimum inde percipiat dolorem. *Oratio mentalis.* *Oratio supernaturalis.* *Ejus dignitas & natura.*

4. Hujusmodi animus aut nihil aut parum linguam loqui permittit, *Psal.* XXXVII, 7; sed assidue Deum suspirat ac *sitit*, Ps. XLII, 2, LXIII, 2, LXXXIV, 3. Hunc solum diligit, in hoc tantum acquiescit, mundum autem & mundana omnia missa facit. Unde magis magisque Dei agnitione, charitate & gaudio impletur, quæ nulla lingua exprimere valet. Quæcunque enim anima tunc cognoscit, ea penitus sunt ineffabilia; Adeo, ut si inter sublimes has meditationes interrogaretur: *Quid*

cogitas & cognoscis? Responsura sit: *BONUM*, quod est omne Bonum. *Quid vides?* Pulchritudinem omnibus formis venustiorem. *Quid sentis?* Gaudium omne gaudium superans. *Quid gustas?* Delicias amoris inenarrabiles. Immo (dixerit talis anima) omnia verba quæ hac de re facio, vix umbra quædam sunt, si cum sensu comparentur, quem intus possideo & *patior*, quippe ad quem digne exprimendum verba deficiunt. Atq; hæc est illa vox *VERBI ÆTERNI*, & colloquium ejus cum anima amante; juxta illud *Jo.* XIV, 21: *Qui diligit me, ei manifestabo me ipsum.* Summa: Quæcunque hic sentiuntur & videntur, supra naturam sunt. Hic voces ac verba ineffabilia audiuntur. Et hoc dicitur *vox intellectualis & mentalis.*

Signa amoris divini.

5. Discit autem hinc devota anima Deum recte cognoscere & gustare. Et dum Deum cognoscit, illum amat; & dum amat, *TOTUM* illum unice cupit. Quippe hoc certissimum charitatis signum est; ut rem amatam in solidum possidere cupiat, cum illa penitus uniri, & in illam prorsus transmutari desideret. Hoc vero si contingat, (solet autem sæpiuscule contingere,) & anima subitaneo quodam radiolo utut ad momentum durante, contactam se sentiat; tum vero sedulo annititur, ut cœlestem hunc gaudii & gustus divini radium revocet, seq; cum dilecto penitius unire valeat. Hinc vero tam *orali* quam *mentali* orationi assidue incumbit. Videt enim has cœlestes voluptates & delicias visitationum supernarum non nisi per orationem hauriendas esse. Hæc enim divinæ sapientiæ methodus est, quæ, ut cetera omnia pulcherrimo ordine disponit; ita non vult quenquam pervenire ad orationem *mentalem* nisi per oralem, nec alia via ad *supernaturalem*, sive unionem cum summo suavissimoque Bono, nisi

Divina sapientia nihil facit sine ordine.

niſi per mentalem orationem. Sed hæc experientia deguſtantur, verbis autem non exprimuntur. Atque hæc veriſſima cauſſa eſt, quare Deus adeo ſevere, frequenter & graviter orationem præceperit: Quia nimirum pignus ipſa eſt ac vinculum, per quod nos Deus ad ſe attrahit, & ſibi ipſi nos intime, ſæpiſſime & diutiſſime conjungens, velut cum origine nos noſtra unit, ne unquam ſui nos capiat oblivio. Hæc oratio ſi langueſcat, tunc raro admodum Dei ſumus memores, & bonorum illius non reddimur participes. *Cur Deus orare præceperit?*

6. Si itaque *rite orare* velis, vide, ne dimidiato, ſed toto corde ores. Obtinendum autem hoc jugi & frequenter iterato exercitio & diligentia indefeſſa. Sine hoc fructus orationis non conſequeris. Contra quoties externum aliquod peragis opus, cave ſedulo, ne *toto* corde illi adhæreas. Ita ſi ederis, biberis vel tale quid feceris, vide, ne *toto* corde illis immergaris: hoc enim in ſolo Deo conquieſcat, per internas mentaleſque precationes aſſidue ad illum ſe elevando. Quod quanto ſæpius feceris, tanto profundius illuminaberis. Quo clarius igitur Deum cognoveris, eo ſuavius ſummum Bonum percipies; eo ardentius Deum amabis, eo denique ſummi boni capacior evades. Et hoc modo ſupernaturali in anima tua rem pretioſiſſimam guſtabis omnem dictionem ſuperantem.

7. Hujus *triplicis* orationis exemplum, doctrinam, naturam & methodum Jeſus Chriſtus ſuppeditabit, ſi accuratius modum illius precandi inſpexerimus. Ipſe enim ſæpe *dies & noctes* continuas *in oratione exegit*, Luc. VI, 12, ex intimis animi ſenſibus omnibuſque viribus orans, & in precibus ac ſpiritu exſultans. Itaque cum verbis, tum operibus ſive *Praxis orationis.*

LIB. II. CAP. XX.

exemplo ipſo orare nos docuit *Matth.* VI, 9. Et: *Vigilate* (dicit diſcipulis *Matth.* XXVI, 41) *& orate, ne intretis in tentationem.* Et alibi ſæpiſſime orationem commendat, ut conteſtetur, nihil illi gratius & acceptius eſſe oratione, eoque omnem amorem ſuam erga nos tendere, ut ſummum & pretioſiſſimum animæ bonum per orationem obtineamus.

Fructus orationis.

8. Ne vero prætexamus, non poſſe nos tantos tamque excelſos orationis fructus conſequi, non ſatis habet dixiſſe *Jo.* XVI, 24. *Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum*; ſed ſuo inſuper exemplo ad orandum incitare nos voluit, orans in paſſione ſua pro nobis ardentiſſime. *Et factus in agonia*, inquit *Luc.* XXII, 44, *prolixius orabat*; *& factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentes in terram.* Hoc itaque orationis ſpeculum tibi ob oculos ſtatue, & in oratione perſeverare diſce. Si vero in orando infirmitatem quandam ſentias, mentis oculos ad Chriſtum reflecte. Hic enim non pro ſe aut ſui cauſſa, ſed pro te & tui cauſſa oravit, & eo modo tuam orationem ſanctificavit, eidemque benedixit & efficaciam addidit. Hunc ergo intuere, qui licet verus Deus eſſet, adeoque omnia haberet; quatenus tamen homo erat, omnia per orationem a Patre ſuo cœleſti impetravit, propter te. Hinc tota ipſius vita aſſidua oratio fuit & perpetuum ſuſpirium ac deſiderium adimplendæ voluntatis divinæ: quam proinde etiam in cruce orando concluſit, *Luc.* XXIII, 46.

Chriſtus ſpeculum & liber precationis.

Graviſſimæ cauſſæ orationis.

9. Quod ſi itaque Servator tui cauſſa tam ardenter oravit & exauditus eſt; ſane nec tuas preces in vanum fundi permittet. Si idem per orationem omnia propter te impetravit, putaſne, ſine illa quicquam te conſecuturum? Jam cum non neſcias, ſine gratia

tia divina, ſine luce, ſine cognitione, ſine fide denique neminem ſalvari; illud etiam noveris, ea omnia non niſi oratione obtineri. Age proinde! precibus aſſiduis a Deo efflagita fidem, charitatem, ſpem, humilitatem, patientiam, Spiritum ſanctum, omneſque virtutes chriſtianas; & qui illas habet, benigne tibi ipſas largietur & adaugebit. Sicut autem qui illas non habet, is nec dare tibi poteſt; ita qui ipſas habet, non niſi rogatus eas dare intendit.

Efficacia orationis ſi quis recolat ſecum paſſionem Chriſti.

10. Ut vero ardenter & devote orare diſcas, nullum expeditius precandi *Medium* eſſe credas, quam oculos animi in ſpeculum humillimæ & manſuetiſſimæ vitæ Chriſti, in illius, inquam, paupertatem, contumeliam, dolores mortemque ignominioſiſſimam jugiter habere intentos. Hunc precationum libellum ſi diligenter inſpexeris, cor tuum mentemque ardentibus, intimis calidiſque ſuſpiriis efferveſcere deprehendes. Et licet Diaboli & carnis tentationes dum ſanctis his exercitiis occuparis, te adoriri non ceſſaverint, eædem tamen devotæ orationis opera propulſabuntur. Neque vero tantum hac Chriſti crucifixi meditatione excitatur oratio & robur colligit, ſed cor inſuper mundatur; abſque qua cordis per fidem repurgatione nihili eſt omnis oratio. Quæ autem hanc ſequitur oratio, per eam Spiritus ſanctus, haud aliter quam ſuper orantes Apoſtolos in pentecoſte, animo fideli illabitur, *Act.* II, 2.

Tentationes orationis ut ſuperandæ. Fructus orationis.

11. Ad tentationes vero, quibus orantes ſunt obnoxii, in iis exemplum Chriſti imitare, Hic enim quanto acrius in monte olivéti tentabatur, tanto *intenſius orationi inſiſtebat*, Luc. XXII, 44. Atque hoc modo & tu citra controverſiam victoriam reportabis. Per orationem

tionem Deus homini ſe manifeſtat, & humilitas recte exercetur. Hinc vero uniuntur ſummum & infimum, *h. e.* cor humillimum & Deus altiſſimus. Per hanc autem humilitatem copioſa in hominis animam transfunditur gratia. Quæ, quo profundius hominem humiliat, eo altiores in anima agit radices. Et iterum: quo copioſior gratia eſt, eo anima humilior evadit.

Impedimenta orationis quomodo tollenda.

12. Præcipua vero *tentatio* & impedimentum orationis eſt, ſi ſenſibilis ardoris & devotionis gratiam ſubtrahat Deus. Quod cum fit, tum vel maxime animus ad orationem eſt excitandus. Etſi enim Deus gratam habet orationem, quæ ardens eſt; longe tamen gratiorem habet illam, quam homo in hac afflictione, tentatione, ariditate & triſtitia fundit. Nam ſicut cor patris magis commovet & emollit filius ægrotus voce lamentabili gemens & balbutiens, quam alius integræ valetudinis firma oratione ipſum implorans; Ita clementiſſimo Deo noſtro, hominis puſillanimis, modicæ fidei, ſpiritu pauperis, & conſolatione deſtituti interna occultaque afflictio & aſpiratio longe eſt acceptior, quam ſi alius firma fide & gaudio plenus in Deum ſeſe effundat. Gratiam autem ſuam Deus ſuo tempore reſtituet tibi, nec ultra ſubtrahet illam vel denegabit.

Afflictorum oratio eſt Deo gratiſſima.

CAP.

CAPUT XXI.

De potentia Humilitatis, virtutum nobiliſſimæ.

Judith. IX, 13. *Superbi ab initio non placuerunt tibi; ſed humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.*

SINE vera humilitate nihil eſt omnis oratio. *Humilitatem* vero a nemine rectius diſcemus, quam a Chriſto ipſo, qui ſpeculum eſt perfectiſſimum omnium virtutum. Ejus vitam ſi intuearis, nil quam puram charitatem & humilitatem deprehendes; ſi doctrinam, puram ſapientiam & veritatem; quæ ſane non in verbis conſiſtit, ſed in viva virtute & reipſa. *Chriſti tota vita, mera humilitas fuit.*

2. Ut autem virtutem hanc eo profundius imbibamus, non verbis modo, ſed factis etiam ac exemplis ſanctiſſimis illam nos docuit, *humiliando ſemet uſque ad mortem crucis*, Phil. II, 8. Unde patet, nobiliſſimam hanc virtutem fundamentum ſuum habere non in Angelo aliquo, non in Apoſtolo aut aliis ſanctis; ſed in ipſo *CHRISTO JESU*, qui idcirco clamat *Matth.* XI, 29: *Diſcite a me.* Quaſi dicat: *Me videte, quomodo rebus omnibus me ſubmittam, qui omnibus ſum ſuperior. Quanto Majeſtas mea major eſt & auguſtior, tanto profundior eſt mea humilitas. Hanc virtutem eo etiam chariorem vos habere oportet, quia mea vita illam vobis delineavi. Itaque diſcite a me, non res arduas, non miracula edere, non opus creationis imitari; ſed* humiles & mites eſſe. *Quod ſi proprio exemplo hanc virtutem vos non docue-* *Fundamentum humilitatis.*

LIB. II. CAP. XXI.

ro, licebit ſane vobis in dubium vocare illius nobilitatem.

Cur Chriſtus pedes diſcipulorum laverit.

3. Atque hoc fine, nimirum ut per exempla humilitatem diſcipulorum animis inſereret, non dedignatus eſt ad opus humillimum ſe demittere, & diſcipulorum pedes abluere; quem actum obſignans, ait *Jo.* XIII, 5, 12: *Scitis quid fecerim vobis?* Quaſi dicat: *Si humilitatis meæ obliviſcemini, peribit vobis ſingulare aliquod meæ doctrinæ & exempli caput. Sit ergo regula & norma totius vitæ veſtræ hoc meum exemplum, hancque humilitatis imaginem nunquam ab oculis veſtris removete.*

Cur oratio ſine humilitate nihili ſit.

4. Nunc ut ad propoſitum veniamus, quod erat monſtrare, orationem (quæ nihil eſt, ſine fide) nec aliquid valere, ſi *humilitate* deſtituatur. Sciendum autem, humilitatem illuſtre lumen vel cognitionem eſſe in corde accenſam, qua ex una parte hominis propria vilitas, ex altera vero Dei ſublimis Majeſtas ac ſupereminens bonitas innoteſcit. Hanc, quo altius perſpexerit homo, eo magis propriam etiam vilitatem intelliget. Unde porro omnis boni expertem ſe videns, ardentius jam orare incipit ad gratiam & miſericordiam Dei obtinendam, ipſumque Deum ut omnis boni ſcaturiginem vere cognoſcere, laudare ac prædicare. Et in profunda hac humilitate, Dei intuetur gloriam, amoremque & gratiam ejus exundantem. Atqui in talem animam fide & humilitate prædita fluenta gratiæ per orationem dein derivantur. Ipſe Spiritus ſanctus magis ac magis ei illabitur, ejuſque dona augentur; immo *per Spiritum ſanctum charitas Dei in cordibus noſtris effunditur*, Rom. V, 5. Nimirum cum anima fidelis, propriæ vilitatis conſcia, ipſum Dei Filium tantopere ſe humiliaſſe, videt, nec tantum hominem factum, ſed

etiam

etiam pro miſerrimis creaturis graviſſima, durisſima & atrociſſima quæque ſubiiſſe; non modo hinc humilis evadit, ſed in ipſa humilitate nobiliſſima divini amoris flammula indies magis magiſque exardeſcit, perque fidem in Deum tracta, docet chriſtianum in Deo & Chriſto omnes jam homines propter magnum Dei amorem diligere, ac recordari quantopere ſeipſum Deus, quantumvis indignum immerentemque, in Chriſto dilexerit. Et cum ita in Deum tracta ſit anima, & illius charitate abſorpta, ſequitur, omnia quæ Deus diligit, non minus diligere & ipſam.

Humilis anima in Deo omnia amat, quæ ipſe amat.

5. Inde jam ſequitur, quod charitas gaudeat, ſi quid boni proximo accidat; triſtetur contra, ſi eidem male ſit. Et cum benigne & amice erga proximum ſe gerat, non temere illum judicat, ſi miſeriam ejus intuetur; multo autem minus inſoleſcit, & ex ſuperbia contemptim illum ducit. Quia enim vere humilis eſt talis anima, propriæ miſeriæ & vilitatis ſenſum nunquam exuit, ſeque in eodem aut deteriore peccati luto hærere novit. Itaque dum ſtat, ſatis intelligit, ſtare ſe non ſuis viribus, ſed ope gratiæ divinæ. Humilis charitas ſe prius judicat & condemnat, quam alios; ac obſervata proximi ſui calamitate, in ſe ipſam deſcendit & ſemet ipſam deplorat. In proximi enim lapſibus proprios legit defectus, peccata, calamitatem & miſeriam.

Neminem judicat.

6. Per humilitatem homo etiam in Dei cognitione & ſpe confirmatur. Etenim conſcius ſuæ ignorantiæ, cæcitatis & ſtultitiæ in rebus divinis, Deo gratias agit pro manifeſtatione verbi ſui, hocque tanto diligentius cordi imprimit. Adhæc omnes ſuas vires nihil eſſe conſiderans, confirmatur in ſancta ſpe illamque in ſolo Deo collocat.

Humilitas confirmat Dei cognitionem & ſpem.

7. Hu-

LIB. II. CAP. XXI.

Humilitas conciliatrix amicitiæ.

7. Humilitas hominem etiam quoad externam vitam *gratum* reddit & acceptum. Lites enim & odia fugit hæc virtus, totumque hominem ad benignitatem & lenitatem componit; immo ipsi Christo hominem reddit conformem, cujus sunt illa *Psal.* XXXVIII, 14, 15: *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Hujusmodi autem fidelis & humilis homo est verum membrum Christi, in quo Christus vivit.

Humilitas non audit convicia.

8. Humilitas affert etiam veram *internamque animi pacem*, facitque, ut homo nullis miseriis & calamitatibus frangatur nimium aut turbetur, sed cum Paulo dicat: *Quis nos separabit a charitate Dei*, Rom. VIII, 35? Et illius memor sit: *Sufficit tibi gratia mea*, 2 Cor. XII, 9. Parit vero etiam *Silentium* vera humilitas. Qui enim præditus est illa, propriam ignorantiam & stultitiam agnoscit, cavetque proinde multa loqui & alios docere.

Parit silentium.

Humilitas est gazophylacium cœleste.

9. Verbo: dici non potest, quot Bona spiritualia thesauroque virtutum cœlestes hæc in se contineat virtus; ita ut *Gazophylacium spirituale* non immerito illam dixeris. Adeoque non sine causa factum est, quod Filius Dei, nostra lux, vita, salus & thesaurus illam non nisi a se ipso voluerit disci. Quod sanctum Domini votum utinam omnes christiani exequerentur, ab illoque vero & unico vitæ magistro hanc virtutem studiosissime addiscerent! Quodnam vero *Medium* suppetit hanc indipiscendi virtutem & qua via ad tantum thesaurum, tot cœlestis gratiæ bonis abundantem, pervenitur? Respondetur: Duo præsto sunt Media: quorum (1) est *ardens devotaq; oratio*, & (2) *Christi crucifixi assidua contemplatio.* Intueamur sedu-

lo

lo paſſionem mortemque Chriſti, inque hoc ceu ſancto libro vitæ tamdiu meditemur, donec in corde noſtro indies magis ac magis, velut in agro fertili & exculto, radix hæc virtutum cum omnibus aliis quæ illam comitantur, procreſcat.

LIB. II. CAP. XXII.

Humilitas eſt ager multarum virtutum.

CAPUT XXII.

Omnia chriſtiani opera in humilitate perfici debere, citra quam ſunt nil niſi abominatio & idololatria.

Luc. XVI, 15. *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt apud Deum.*

OMNIA opera, quæ Deo grata acceptaque hoſtia ſunt futura, ex vera fide proficiſcantur: quæ deinde in corde chriſtianam humilitatem operatur; ut homo agnoſcat, ſi quid in illo boni eſt, id totum divinæ gratiæ ferendum eſſe acceptum, juxta illud *Pauli* 1 Cor. XV, 10: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Quiſquis vero hoc non facit, *duplex* peccatum committit: Primum *apoſtaſiam a Deo*, avertendo ſe a Deo ad ſe ipſum, hoc eſt: a vero ſummoque *ENTE* ad illud, quod nihil eſt. Secundo *ſacrilegium*, arrogando ſibi honorem ſoli Deo debitum, cujus quippe eſt quicquid bonum dicitur, non autem hominum. Itaque cum Deus *Jeſ.* XLII, 8 ait: *Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus*, ſignificat, ſibi ſoli omnem gloriam & laudem deberi.

Qui non facit omnia in humilitate, Deo furatur ſuam gloriam.

2. Unde qui ſibi ipſi applaudit, eo quod multa ſciat, præſtare multa valeat vel reipſa præſtiterit; hic honorem gloriamque ſoli Deo debitam

debitam ſibi arrogat ipſe, adeoque ſuiipſius ſit idololatra. Hinc ambitio, philautia & propriæ gloriæ ſtudium abominabilis idololatria ſunt; ipſeque Diabolus idcirco ſe adorari poſtulat. Et talem Diabolum vanæ adorationis gloriæ cupidum quilibet ſuperbus, arrogans & elate de ſeipſo ſentiens in corde fovet. Vide ergo, qui ſapis, ut hoc *idolum* in adyto cordis erectum impugnes & deſtruas. Sunt hodie multi ridicule ſancti & ſcrupuloſi, qui externas imagines oculis uſurpare ſollicite cavent, ne contagio quodam inficiantur; non obſervantes vaſtum idolum quod corde circumferunt, unde adeo inquinantur, ut abominatio fiant apud Deum. *Omne enim, quod hominibus altum eſt*, puta ex philautia & ambitione, *id abominatio eſt coram Deo*, Luc. XVI, 15. Unde adeo ad unum omnes homines qui ſibi ipſis blandiuntur, proprio honori, viribus & potentiæ deferentes omnia, idololatræ ſunt. Ita vero totus mundus idololatria abundat, ſingulæque domus ſuos lares vivos & ſpirantia idola habent.

Ambitio eſt idololatria.

Mundus eſt plenus idololatria.

3. Idololatria, quæ te inquinat, ex internis egreditur. In quodcunque enim animus tuus propendet, in quo acquieſcit, cui amore & inclinatione adhæret, ſive ſit proſpera fortuna, vel opulentia, vel potentia, vel honor, vel vita longa, jam in *idolum* tranſiit, teque ipſum in *idololatriæ* crimen abripuit. Hinc idololatria non eſt externa quædam pollutio, ſed interna, ſpiritualis intuſque ſcaturiens. Deus autem omnia ex corde æſtimat, idque ſolum *intuetur & probat*, (Pſ. VII, 10,) ex fide & incredulitate cordis judicans omnia. Unde Chriſtus pronunciat, *Matth.* VI, 21: *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, hoc eſt, Deus tuus,

Quid ſit idololatria.

tuus, tua quies, pax, fiducia; ibi paradiſus tuus, ibi denique cœlum tuum & omnia. In quocunque ergo animus tuus cum quadam ſuavitate & jucunditate acquieſcit, id quicquid tandem ſit, certe Deum tuum eſſe credas. Quod ſi ſoli Deo adhæreat cor tuum, tum vero is Deus tuus eſt, & tu beatus; juxta *Pſ.* CXLIV, 15: *Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus*; & Pſ. XXXVII, 4: *Delectare in Domino; & dabit tibi petitiones cordis tui.* Sin animus tuus mundo adhæreat, tum vero mundus Deus tuus eſt. Et ſic de reliquis.

4. Unde patet, alia in mundo idola reapſe non eſſe, quam quæ ipſum cor hominis fabricatur. Unde & ipſe Diabolus *Deus hujus mundi* 2 Cor. IV, 4 dicitur: quia nimirum impii illum ſequuntur, ejus opera faciunt, tenebras diligunt, & diabolicis actionibus delectantur. Et ita ex Diabolo Deum faciunt homines. Lignea idola haud difficulter evitantur; vide, ne aureis capiaris. Emortua idola facile eſt fugere, cave, viva adores, & præcipue teipſum. Simulac enim honorem, laudem, ſcientiam, potentiam & vires tibi ipſi tribuis, jam teipſum in Dei locum erigis. Quam peſtilentiſſimam idololatriam proprie intimat Deus, cum *laudem ſuam ſculptilibus ſe daturum negat*, Jeſ. XLII, 8. Nam quicquid honor & gloria eſt aut dicitur, id nulli præterquam ei debetur, qui altiſſimus eſt & ſanctiſſimus, ſummumque & æternum *BONUM.*

Cur diabolus dicatur Deus hujus mundi.

5. Quicunque ergo idolum ex te ipſo facere non vis, nec tua opera fœdiſſima apud Deum abominatione polluere, hinc diſce, nihil honoris aut gloriæ tibi arrogare, hancque *veram humilitatem eſſe, omnem honorem averſari, & omni gloria indignum ſe ducere.* Quod ubi feceris, & omnem philautiam ac ambitionem

Quid ſit vera humilitas.

LIB. II. CAP. XXII.

mortificaveris, tum ſane mundo mortuus cenſeberis. Et hinc tandem emergit homo novus in quo nobiliſſima vita Chriſti eſt, quam ipſemet *manſuetudine & cordis humilitate* definit, *Matth.* XI, 29. E contrario is adhuc *carnalis* eſt, & ſecundum carnem & veteris nativitatis propenſionem vivit, qui honorari deſiderat, coli & magni æſtimari. Omnia enim hæc carnem corruptam demulcent. Quippe carnalis hominis hæc indoles eſt & natura, alios immo omnes ſupereminere. Qui vero pro nihilo haberi deſiderat, is cor habet vere *ſpirituale* & chriſtianum. Sed heu! ubi nunc veros chriſtianos inveneris, h. e. homines, qui contemni velint & pro *NIHILO* duci? Nam, ut modo dixi, verorum chriſtianorum & Chriſti diſcipulorum proprium eſt: *ſeipſum abnegare, ſeipſum odiſſe, deſpicere & omnibus ſuis abrenunciare*, Luc. IX, 23.

Homo carnalis.

Abrenunciare omnia.

6. Quod ſi quis hoc loco ex me quærat: quid itaque Chriſtiano ſit faciundum, ſi ipſi *Deus gratiam & honorem largiatur, ut eſt*, Pſ. LXXXIV, 12; ipſeque Deus ſuis donis diverſe collatis hominum quandam diſtinctionem, certoſque ordines, ſtatus & officia conſtituat? *Reſpondeo*: Suaſerim tibi, omnem honorem in te collatum Deo reddere, nihilque ex bono alieno & quod ſolius eſt Dei, tibi arrogare. Proinde ſimulac aliquis tibi offertur honor, humilitatis memor, in Deum totum illum transfunde, tibique ipſi nihil arroga. Hoc ſi neglexeris, ac tibi ipſi attribuere aliquid in animum induxeris, certum eſt, divinæ te gratiæ jacturam facere, & ſacrilega impietate invadere quæ ad ſolum Deum pertinent. Ita ſi ſpiritu, arte, ſapientia, intellectu, opibus & ſplendore aliis antecellas, cave honorem tibi hinc ſumas; Deo vero ex intimis

De officio chriſtiani in dignitatibus.

timis animi ſenſibus omnia reſtituere geſtias. Id quod tunc effectum dabis, ſi nulla re fueris gloriatus, juxta illud *Jer.* IX, 23, 24: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in divitiis ſuis; ſed in hoc glorietur, qui glorietur, ſcire & noſſe me, quod ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & judicium & juſtitiam in terra, hæc enim placent mihi, ait Dominus.*

CAPUT XXIII.

Qui propriam vilitatem ignorat, nec ſoli Deo omnem honorem tribuit, committit peccatum graviſſimum & ipſum Diaboli lapſum.

Pſ. XXXIX, 6. *Veruntamen univerſa vanitas omnis homo, ſi vel maxime ſtet.*

UT agnoſcat vanitatem ſuam homo, idcirco illum idem *Pſalmus* XXXIX, 7 *Umbræ* comparavit: *In umbra pertranſit homo.* Et *Pſ.* XC, 5 *ſomnium* appellavit. Quid vero eſt *Umbra?* Eſt figura quædam emortua atque exanimis illius rei, a qua dependet; ex ſe autem ſubſtantiam & vitam non habet, ſed nihil eſt. Ita homo a ſe non ſubſtantiam, non vitam, non vires, non denique ullam facultatem habet; ſed a Deo pendet ut umbra a corpore, ut ſplendor a ſole; cetera exanimis, enervis, immo nihil; nec quicquam habens, de quo velut de quadam proprietate gloriari poſſit. Quid enim ſuum poſſit dicere umbra, quæ ipſa nihil eſt & nullam proprie-

Homo eſt umbra.

tatem poſſidens? *Somnium* autem an quicquam aliud eſt, quam vanitas, *Sir.* XXXIV, 2?

Superbia eſt fœda apoſtaſia & horrendum peccatum.

2. Quapropter quicunque obliviſcitur, ſe velut *umbram* a Deo, qui *OMNIA* ſolus eſt, pendere, *exiſtimans ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, hic ſe ipſum decipit*, Gal. VI, 2. Ruit enim ex vero, æterno ſummoque Ente, in ſuum nihilum, ab immutabili bono in vanitatem, a veritate in mendacium. Atque hoc non tantum peccatorum maximum eſt, ſed etiam pœna atrociſſima. Homo enim quanto magis a Deo ad ſe ipſum, ad philautiam, ad honorem proprium & ad vires facultateſque ſuas convertitur, tanto propius ad extremam miſeriam & calamitatem accedit. Et hoc pacto, ut modo dicebam, homo in propria viſcera ſævit & peccatum ſponte ulciſcitur. Tunc autem cenſetur a Deo ſe avertere, & *petram ſalutis*, (Deut. XXXII, 16) deſerere; cum ſibi ipſi neſcio quas vires, quod robur, quas artes, quam facultatem, quam ſapientiam, quem honorem & quæ merita arrogat, ſic ut ipſe *Aliquid* eſſe velit; cum re ipſa hæc omnia non hominis aut cujuſcunque creaturæ ſint, ſed ſolius Dei. Nam tota creatura, ut modo dictum, mera umbra eſt, & ex ſe ipſa merum nihil; adeo quidem, ut illius vita, ſubſtantia, facultas, ſapientia, vires & fortitudo quæ habere videtur, ſolius Dei, non propriæ ſua ſint.

Dei omnia ſunt, at hominis nihil.

Ambitio & arrogantia eſt apoſtaſia a Deo.

3. Statim ergo atque homo vel hæc omnia, vel illorum aliqua ſibi adſcribit, protinus defectionem a Deo committit. Neque enim aliud erat ipſa Satanæ defectio, quam *non conſiſtere intra terminos & officia propriætatesque creaturæ*, quæ ſuam vitam, ſubſtantiam & virtutem in Deo habet ac habere debet, haud aliter quam umbra motum ſuum corpori fert acceptum:

acceptum : ſed quæ Dei erant ut ſibi propria attribuere, honoremque, gloriam, ſapientiam & exiſtimationem ſibi vendicare ; cum nihil horum creaturæ competat, ad unum autem omnia in ſolum Deum ſint transfundenda cujus revera ſunt. Hinc illum ruere permiſit Deus, divina ſua gratia amplius eum non ſuſtentans. Id quod omnibus hominibus accidere neceſſe eſt, qui ex ſuperbia & ambitione quicquam eorum, quæ Dei ſunt, arrogare ſibi audent. Neque enim divina gratia fulciuntur, qui a Deo ferociter ſe avertunt, divinitatem ipſi affectantes. Nimirum cum ſolus Deus omnia ſit, ſolus bonus, & omne Bonum *Eſſentiale* ; iniquiſſimum fuerit, creaturam aliquid eorum ſibi vendicare, quæ bona ſunt. Hinc Dominus *Matth.* XIX. 17 : *Nemo bonus eſt niſi ſolus Deus*, puta bonum eſſentiale, & ſolus omne bonum. Quam ſolius Dei proprietatem Servator noſter, in ſtatu exinanitionis a vulgo pro mero homine habitus, ſibi arrogare nolebat ; ut luculentiſſimo exemplo nos erudiret, non debere hominem ſibi adſcribere, quæ ſunt Dei.

LIB. II. CAP. XXIII.

Proprietas creaturæ.

4. Secus ſi fecerit, tum vero *capitale peccatum* committit homo, & ipſam divinitatem affectans, nefando ſe ſacrilegio polluit, & ſe a Deo ad ſe ipſum convertit. Atque qui tales ſunt, hi auxilium, conſilium & ſolatium non a ſolo Deo, ſed a creaturis, ac nonnunquam ab ipſo etiam Diabolo petunt. Quod eſt inſaniæ & occœcationis genus deterrimum ; puta bonum a malo, vitam a morte, beatitudinem a damnatis, auxilium ab auxilio deſtitutis, benedictionem a maledictis, lucem a tenebris expectare. Sicut ex adverſo ſumma eſt ſapientia, bonum quærere apud omnis boni fontem & ſcaturiginem, vitam

Ex ſuperbia naſcitur extrema ſtultitia & cæcitas.

apud vitæ auctorem, beatitudinem apud salutis originem, auxilium denique apud eum, qui omnia potest, & cui facto nihil est difficile *Luc.* I, 37.

CAPUT XXIV.

De præstantia Charitatis illiusque virtute & puritate.

1 *Jo.* IV, 8. *Qui non diligit, non novit Deum, quia Deus charitas est.*

CHaritas, Paulo teste, *Virtutum maxima est*, 1 Cor. XIII, 13, & sine illa omnia dona nullius sunt valoris. Proinde jubet, *omnia in charitate fiere*, 1 Cor. XVI, 14. Pariter in charitate orare debemus, dicente Domino, *Matth.* V, 23: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo.* Et in oratione dominica remissio peccati a Deo obtinenda & remissio proximo exhibenda, conjungitur, *Matth.* VI, 12.

In amore orandum est exemplo Christi.

2. Est vero charitas præ ceteris virtus peculiaris & admirabilis, ita ut in nulla etiam re proclivior lapsus sit, quam in illa. Hinc nihil tam suspectum nobis esse debet quam charitas. Nihil enim reperire est, quod animum potentius inclinet, cogat, impediat, penetret, & nisi a vero Spiritus sancti lumine regatur, in infinita mala animam præcipitet. Atq; hæc nequaquam de amore *profano* intelligi velim, quem velut opus diabolicum remis velisq; fugiendum esse omnibus verischristianis in confesso est; sed de amore, qui homini intercedit cum Deo

In amore errare est facile.

LIB. II. CAP. XXIV.

Deo & proximo. Amor enim niſi a ſapientia divina dirigatur, falli, ſeduci & a vero fine facillime aberrare poteſt. Id quod multorum exempla confirmant, qui credentes ſe habere charitatem Dei, nullo alio quam amore mundi, ſui aut etiam Diaboli flagrare, deprehenduntur.

Amor falſus a vero accurate diſcernendus.

3. Sit pro exemplo amoris *inordinati*, quod dicam: Quia in confeſſo eſt, debere hominem ſe ipſo & omnibus rebus Deum habere chariorem, & propter ipſum æque proſpera ac adverſa diligere; ſequitur, qui illum tantum *propter temporalia*, & ut ſe a calamitatibus protegat, amore & cultu proſequitur, ſe ipſum Deo habere charlorem, ſuamque proſperitatem illius voluntate ac charitate ducere potiorem. Hic vero amor ille *inordinatus* eſt. Deum enim magis quam ſe amare, immo ſuper omnia amare debebat, res autem alias omnes, ſive ſint ſecundæ, ſive adverſæ, propter Deum.

4. Quia vero homo ſe ipſum amori erga Deum præfert, ſe ipſum, dum ſe plus quam Deum amat, in Deum erigit: Et quia Deum non amat ut Deum propter ſe ipſum, ſed propter proprium ſaltem commodum, ſequitur etiam *falſum*, hypocriticum & fucatum eſſe illius amorem. Hujus enim proprium eſt, omnia diligere ſuæ utilitatis & honoris cauſſa. Ipſum quoque verbum Dei viroſque ſanctitate ac religione ſpectabiles non amat propter intrinſecum Bonum in ipſis reconditum, ſed propter ſplendidum pietatis nomen quod hinc ſibi conciliat. Qui autem amor cum impurus ſit, ſequitur etiam, fructus illius eſſe impuros, qualis eſt lucri cupiditas, ambitio, propria delectatio, qui ſunt omnes non cœleſtes fructus, ſed carnales. Sic multi magno pruritu addiſcendis artibus incumbunt, non ſane ex Dei aut

Falſus amor ex cupiditate lucri.

Falſus amor ſtudiorum.

proximi amore; sed ambitione stimulati, & ut aliis præferantur ac proprio honori inserviant.

Infirmus amor.

5. Sunt quoque, qui Deum diligunt, ut illorum peccatis parcat, vel ipsis atrociter puniendis supersedeat, immo ut temporalibus bonis illos cumulet. Hic autem amor valde est *infirmus*. Deum enim non propter se ipsum amant, & quia summum Bonum est, sed ob propriam utilitatem, quam ad se hinc redituram existimant. Sunt etiam qui Deum diligunt, ut ipsis largiatur *sapientiam* & *ingenii dona*, quibus celebre sibi acquirant nomen. Sunt itidem qui *virtutem* amant, non tamen propter se ipsam, sed ut ab aliis ut viri virtute ac fortitudine pollentes, suspiciantur. Omnium horum amor verus non est, quia verum *BINEAM* sibi non habet præfixum.

Amor falsus & inordinatus.

6. Observavi etiam nonnunquam licet talem inter aliquos homines amorem, qui eo usque excreverit, ut non modo intimo charitatis vinculo inter omnibus coalescant, sed quoque etiam amoris virtute mutuo consensu alterutrius facta approbent. Hæc quippe amoris indoles est, ut rem amatam, utpote in qua unice pendet, assidue sequatur. Hoc vero affectu fascinatus animus facile in deteriora quæque præceps ruit, altero impellente, cujus studia improvida propensione prosequitur. Quo pacto hi tales sæpenumero ab oratione & aliarum virtutum exercitiis vana amoris prurigine impediuntur.

Verus amor debet dirigi a Spiritu sancto.

7. Itaque perridiculum est, charitatem nostram per Spiritum sanctum & meditationem vitæ passionisque Christi dirigi, quippe ex qua nil nisi purissima sinceriss[illegible] charitas enicat. Non se ipsum, sed Deum super omnia dilexit, proximum vero affectu puro sincer-

ro est prosecutus, suique caussa nihil, nostri autem caussa omnia fecit & dixit. Omnes molestias quas subiit, omnes labores, cruciatus, ipsaque tormenta quibus se subjecit, nostri caussa in se suscepit, ut utilitas & beatitas hinc ad nos rediret; immo ut Dei voluntatem faceret, crux ipsa gaudium ei attulit.

Christus est speculum immaculati amoris.

8. Quæ *pura* est & *sincera* charitas, illi proprium est, nulla difficultate commoveri, omnibus acquiescere, immo sibi ipsi propter rem amatam non parcere; ipsam mortem, nedum leviora non subterfugere, sed omnes afflictiones & calamitates divinitus immissas hilari vultu excipere. Quia enim novit Dei esse voluntatem talia pati eam, prompto animo & parato longe majora propter sanctam hanc Dei voluntatem subire gestit, & in divina voluntate placide conquiescere. Satis enim ipsi constat, nihil non recte & sapienter geri quod divino regimine evenit. Et quia amor cum objecto amato se unit, discit etiam, hujus mores assumere, hoc imitari, & quod huic gratum esse novit, promtissime præstare. Quapropter qui Christum rite diligit, hic similiter illius vitam & virtutes æmulatur. Novit enim hoc gratissimum ei esse. Componit se pariter ad ipsius imaginem, totoque vitæ suæ tempore permanet subjugo & cruce Christi, quemadmodum ipse Christus vitam suam universam sub paupertatis, contemtus & infirmitatis cruce transegit. Et si vero nemo sub hoc infirmitatis statu absolutissimam illam Christi charitatem plene exprimere valeat & assequi; veri tamen christiani est, satagere pro viribus, ut illius charitas sincera sit nec hypocritica, sed juxta mandatum *Pauli*, 1 Tim. 1, 5. *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta* proficiscatur.

Amor purus quomodo intelligendus.

9. Hæc

LIB. II. CAP. XXIV.

9. Hæc pura charitas, ex Christo & Spiritu sancto orta, ad bona quæque hominem dein disponit, nec unquam est otiosa. Nihil gratius habet occasione benefaciendi, cum aliter agere nequeat. Hinc ipse de se Deus ait *Jer.* XXXII, 41: *Lætabor super eis, cum bene eis fecero.* Et ob quam rationem? Quia Deus ipsa *charitas* est, quæ non potest non suæ naturæ similia agere. Atque hic infallibilis veri ac sinceri amoris character est. Amor enim non dicit: Non mihi incumbit, hæc vel talia præstare; cessante enim lege, amor sibi ipsi lex fit, ut saltem multa bona præstare queat. Aliter enim si faciat, amor non erit amor.

Vera charitas est origo omnis boni.

10. Ex hoc jam patet ratio, quare Dei beneficentia nunquam fatigetur, ipseque adeo Deus inexhaustum sit & infinitum Bonum. Æterna enim est charitas, quæ benefactis modum nescit imponere, aut Deus charitas esse desisteret. Unde adeo ipsæ pœnæ & castigationes divinæ ita sunt comparatæ, ut illi instrumenta boni convertantur, Deo ex malo bonum eliciente, omniaque ad bonum *finem* & salutem nostram dirigente ex pura sinceraque charitate.

Cur Deus nunquam cesset benefacere.

11. Porro hujus charitatis fructus est *vera Oratio.* Nam sicut inter amicos quodlibet invicem obtinere æquum est; ita homo devotus Dei efficitur amicus, ab eoque nihil non impetrare valet. Hinc *Lazari* soror, sciens, Christum non modo amicum, sed etiam charissimum Dei Filium esse, ita ipsum compellat *Jo.* XI, 23: *Scio, quod quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Et quia *Maria* ex animo diligebat Jesum, ab eo fuit exaudita, fraterque ipsi restitutus. De hac charitate, quidlibet a Deo impetrante, loquitur *David* Ps. XXXVII, 4: *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.*

Charitas docet recte orare.

12. Ce-

12. Ceterum ut verum amoris characterem perspicias, sequentes quatuor illius *proprietates* observes velim. Prima est: *Arbitrio & voluntati amati se devovere.* Secunda: *Omnibus aliis amicis, quibus amatus est infensus, nuncium mittere.* Tertia: *Interiores animi recessus cordisque penetralia amato manifestare.* Quarta: *Omni studio & affectu amati mores, vitæ, universam expimere eique conformari.* Sic si pauper sit amatus, ipse amator paupertatem ejus amplectitur; si sit contemtus, in ipsius contemtum transit; si ægrotus sit, & amator ægrotat. Sic æqualitatem efficit charitas & tam prosperorum, quam adversorum communionem. Talis enim inter amatum & amatorem animorum sit consspiratio, ut alter alterius tam bonis, quam adversis afficiatur. Ita ut non modo communicatio, sed & *commixtio* duorum æqualium animorum existat, & duo corda in unum videantur coalescere. *Proprietates veri amoris.*

13. Atque hæc charitatis sacræ proprietates in amico nostro fidelissimo Christo Jesu summe fuerunt conspicuæ. *Primo* enim hominis voluntati amor ejus se totum devovit, immo ipsis hostibus, generis humani causa se subjecit, *factus obediens usque ad mortem crucis*, Phil. II, 9. *Secundo*: Omnes alias amicitias, quas sibi in mundo potuisset conciliare, aspernatus est; adeoque sui oblitus, nec propriæ vitæ propter nostram salutem pepercit. *Tertio*: Arcanum cordis sui nobis detexit in Evangelio ut amicis intimis, juxta illud Jo. XV, 15: *Jam non dico vos servos; quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos; quia omnia nota feci vobis.* *Quarto*: Assimilatus est nobis in paupertate, in mortalitate, immo in omnibus, excepto peccato, Phil. II, 7. 8. *Christus exhibet omnes veri amoris proprietates.*

14. Omnia

14. Omnia hæc nobis quoque facienda meminerimus, ſi illius veri amatores haberi volumus. Aut quam cauſſam comminiſci poſſumus, cur illius ſimiles fieri nolimus, cum ipſe noſtri ſimilis factus, ad extremam noſtram miſeriam deſcendere non recuſaverit? Quod ſi vero digne dilexerimus illum, tunc & ipſe omnes noſtras orationes benignus exaudiet, ut teſtatur *Jo.* XIV, 21: *Qui diligit me manifeſtabo ei me ipſum.* O ſecretiſſimam, ſuaviſſimam, amabiliſſimam manifeſtationem in cordibus factam, ac cœleſtis gaudii ſenſu, ſolatio, ſapientia & cognitione comitatam! O veram Academiam, & unicam certiſſimamque ad veram eruditionem & philoſophiam divinam perveniendi methodum ac viam, tantopere a *Salomone* in Proverbiis & libro Sapientiæ dilaudatam, nec alia ratione, quam oratione comparandam! *Invocavi*, inquit Sap. VII, 7, *& venit mihi Spiritus Sapientiæ.* Unde merito concludimus: ſine *CHARITATE* digne hominem orare non poſſe.

Charitas omnia a Deo impetrat.

CAPUT XXV.

Quibus ſignis & indiciis innoteſcat Chriſti charitatem eſſe in homine.

1 *Jo.* II, 15. *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.*

PRimum ſignum charitatis Chriſti in nobis eſt *odium amoris mundi.* Si enim ſanctam Chriſti paupertatem & omnium rerum terrenarum contemtum, qui ex ejus vita relucet, ad animum revoces, non potes non illius charitate ac exemplo inflammatus, mundanum quem-

Chriſtus ſui amatoris unicum lucrum,

quemque amorem exuere, mundumque & mundana omnia ita ex animo delere, ut præter *CHRISTUM* nil possidere desideres, spemque tuam in nulla creatura vel terreno auxilio collocare cupias.

2. *Secundo*: Propter Christum *contemni* non modo non refugies, sed cum *Paulo* contemtum honori tibi duces, *Eph.* III, 13. Nec ægre feres, si parca manu honores in te contulerit mundus. Talis enim & vita Salvatoris tui in hoc mundo fuit. Satis ergo tibi esto, si Christus sit tua gloria, laus, honor, splendor, existimatio, magnificentia, lux, fortitudo, victoria, virtus, scientia & sapientia. *Nam Christum sequi ea demum summa est sapientia.* *Et honor.*

3. *Tertio*: Cum Christus inde a pueritia usque ad mortem incredibiles in sancto suo corpore & anima cruciatus sit perpessus; æquissimum est, illius caussa non modo patienter, sed etiam cum gaudio tristitiam, persecutionem, tormenta & martyrium perferre. *Et patientia.*

Et quarto: Sicut Christus ex nulla creatura, nec ex homine ipso, sed ex solo Deo solamen hausit, ut est in *Ps.* XXII, 12; ita & tu æquo animo feres, si mundana te deserant solatia, certus, te tandem divinis æternisque visitationibus iri recreatum. Quo pertinet luculenta oratio *Pauli*, 2 *Cor.* VI, 4, seqq. piorum cruces & consolationes enumerans: *In omnibus*, inquit, *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris & a sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores & veraces, ut* *Et gaudium.*

LIB. II. CAP. XXV.

ut qui ignoti & tamen cognoti: ut morientes, & ecce vivimus, ut castigati, & non mortificati: ut tristes, semper autem gaudentes: ut egentes, multos autem locupletantes, ut nihil habentes, & omnia possidentes.

Crux omnibus mundi thesauris melior.

4. *Quinto:* Crucem Christi pro summo Bono habeas, & omnibus mundi thesauris ducas augustiorem. Nam si aliter se res haberet, credibile non est, Christum suæ vitæ exemplo hoc docuisse tibique ob oculos posuisse. Memineris itaque, Christum suo exemplo te non voluisse seducere, sed ad summum Bonum, summam sapientiam, & ad summum & cœleste gaudium te perducere voluisse. Ad quæ, utcunque via angusta & arcta sit, ipse tamen illam conrecit. In hoc autem quia perpaucos habet imitatores, idcirco negat, *hanc viam a multis inveniri*, Matth. VII, 14. Nimirum ardui momenti res est, se ipsum vincere & abnegare, sibi ipsi mori, mundoque & omnibus, quæ hominis sunt, renunciare. Et hæc est illa *via angusta*, quam pauci inveniunt.

Sui ipsius victoria difficilis.

5. *Sextum* Amoris erga Christum indicium est; Dilectum *JESUM* in memoria & cogitationibus jugiter gerere, & opera divinæ illius charitatis assidue secum ruminari.

Fructus incarnationis.

6. Ac *primum* quidem *Incarnationem*, ex qua, ceu ex libro vitæ, duo præcipua beneficia elucescunt. Quorum alterum est, quod per illam charitate sui nos implevit; alterum, quod æternæ salutis & beatitudinis hinc certos nos reddidit. O charitatem ineffabilem, Deum assumsisse hominem & similem nobis fuisse factum, ut nos vicissim Deo assimilaret! O charitatis magnitudinem, Deum servi formam induisse, ut nos contra Reges constitueret, regiisque ornamentis adornaret! O miram & stupendam charitatis vim, incomprehensibilem & invisibilem Deum, comprehensibilem & visibi-

sibilem fuisse factum! Quis tandem hanc charitatis abyssum poterit perscrutari? *O felix culpa*, (non tamen ex se, sed ex Dei pietate,) *quæ meruisti nobis ostendere abyssum divinæ charitatis absconditam!* O immensam & inexplicabilem sapientiam, ex malorum extremo, puta peccato, bonum infinitum producere, ad declarandam charitatis suæ abyssum! O magnum solatium, quod scio, te mei carnis natum, tuamque humanam nativitatem meam esse divinam nativitatem, & contra peccati fontem, fontem salutis! LIB. II. CAP. XXV.

7. Deinde sanctam illius *DOCTRINAM* animo suo nunquam non revolvet sincerus Christi amator; quippe in qua æterna est sapientia, veritas, lux, vita & beatitudo: pariter sanctam ejus *VITAM*, qua pie, divine & christiane vivendi rationem nobis exhibuit. Nam exemplum sanctæ illius vitæ lumen est longe pulcherrimum, quod non sinet nos ambulare in tenebris. *Doctrina & vita Christi quid sit.*

8. *Tertium*, quod sedulo meditandum est, *Mysterium est innocentis mortis Christi*, in quo septem veniunt consideranda. (1) Justitiæ divinæ impletio. (2) Satisfactio pro omnibus nostris peccatis. (3) Reconciliatio cum Deo; nam *per mortem Filii reconciliati sumus Deo*, Rom. V, 10. (4) Manifestatio immensæ charitatis divinæ per mortem nostri Redemtoris. (5) Veritas Dei æterna, quia Filium suum nobis donando testatum fecit, se vere esse patrem nostrum. (6) Victoria de omnibus hostibus. (7) Beatitudinis vitæque æternæ recuperatio. *Fructus passionis Christi,*

9. *Quartum*, quod serio considerandum, est *Resurrectio*, quæ nobis spem firmissimam facit cum *corporalis* post hanc vitam resurrectionis, tum *spiritualis*, per quam Dei gratia & virtute vitæ Christi, ex morte spirituali ad vitam in Christo *spiritualiter* resuscitamur. *Quintum* *Resurrectionis,* *Adscensionis,*

LIB. II. CAP. XXVI.

tum est *Adscensio*, quæ est velut fastigium & æternæ nostræ salutis, justitiæ & beatitudinis quædam quasi coronis.

Schola Christi.

10. Atque sedula quinque horum mysteriorum & operum charitatis Christi meditatio *Schola* est vere *christiana*, quam assidue frequentemus, & quæ in ea docentur, tenaci memoria custodiamus.

CAPUT XXVI.

De quinque præcipuis divinæ *CHARITATIS* operibus, ex quibus eximie Dei gratia & benignitas elucet.

Ps. LXXXVII, 2. *Dominus diligit portas Sion super omnia tabernacula Jacob.*

QUinque sunt præcipua divinæ charitatis *Argumenta*, quæ hoc capite aggredimur explicare. *Primum* est Incarnatio Christi. *Secundum*, Passio Christi. *Tertium*, Dei inhabitatio. *Quartum*, Quomodo charitas Dei ex creaturis eluceat. *Quintum*, Quam amabilis Deus sit in sua essentia, & quomodo sua amabilitate omnia creata antecellat.

Charitas unit.

2. (1) Ubicunque Amor est, ibi etiam est *Unio*. Amoris enim indoles est, uniri cum objecto amato. Itaque cum Deus hominem tantopere diligeret, hinc factum est, ut cum illo post lapsum ex puro amore & misericordia se univerit iterum, & homo fieri voluerit. Unde *David* exclamat, *Psal.* VIII, 5: *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quod visitas eum?* Nimirum Deus humanam animam adeo deperit, ut, quemadmodum Christus, Deus itemque homo est, & cum humana nostra natura, *h. e.* corpore & anima, unitus;

Quantopere Deus animas doligat?

tus; ita nihil magis in votis habeat, quam totum se & penitus animæ infundere, si modo ipsa perfecte esset emundata, nec homo Deo refragaretur.

Incarnatio est maximum argumentum charitatis divinæ.

3. Atque hoc infinitæ & ineffabilis charitatis divinæ non postremum est argumentum, quod *Deus factus est homo*; & verum hominum amicum se esse, humanitatis assumptione testatus est, non dedignando humana, ut nos divinis dignos efficeret. Filius fit hominis, ut nos Dei filios constitueret. Descendit in terram, ut nos cœlum conscenderemus. O permutationem admirabilem, eo fine tantum institutam, ut à Deo in illo diligeremur! Itaque hoc perinde se habet, ac si Deus de cœlo nos tali oratione compellaret: *Videte, O homines, Filium meum charissimum, quem idcirco hominem fieri passus sum, ut argumentum & testis sit mei erga vos amoris, ut vos omnes secum ad me pertrahat; & ut per illum omnes filii ac hæredes mei efficeremini.* Qua ex causa ille raro se *Filium Dei*, frequentissime vero & quidem ex humili erga nos charitate *filium hominis* in Evangelio se appellat.

Christus ex charitate & humilitate se nominat filium hominis.

4. (2) Utut vero sancta Christi *Incarnatio* egregium est sui erga nos amoris argumentum; majus tamen argumentum est ipsius *Mors* & passio, quam pro peccatis nostris subire voluit. Nam *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, Jo. XV, 13. Et Epist. 1 cap. IV, 10: *In hoc est charitas Dei, quod ipse misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Hic profecto est summus divini amoris gradus & argumentum longe maximum: Deus pro incomprehensibili sua omnipotentia aliud medium redemptionis potuisset constituere, ut patet ex ipsa oratione in horto, *Marc.* XIV, 36: *Pater, si possibile*

LIB. II CAP XXVI.

Maximum argumentum amoris divini mors Christi.

est, transeat a me calix iste. Verum enim vero in hoc summus amoris gradus non comparuisset. Quem ut luculento testimonio demonstraret Deus, constaretque nihil non nostri caussa se paratum esse erogare, Filium suum charissimum nobis donavit. Et non modo donavit, sed in mortem & propitiationem pro peccatis nostris tradidit. Hujus loci est, quod ait *Paulus*, Rom. V, 8: *Commendat charitatem suam Deus erga nos, quod Christus pro nobis mortuus est.* Et *Rom.* VIII, 32: *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donaret?* Scilicet qui dedit quod erat maximum, minora non est denegaturus. Immo in vita æterna omnia nostra futura sunt, quæ sunt Dei, ut ait *Apoc.* XXI, 7: *Qui vicerit, omnium hæres erit.*

5. *Tertium* charitatis divinæ argumentum est Dei suavissima inter nos & *in nobis habitatio.* Ecquid enim majus solatium esse potest, quam Deum corda nostra in suum habitaculum sanctificare & consecrare? Sicut in Vetere Testamento *Sanctuarium* a *Moyse* dedicabatur, & per sanguinem victimæ adspersum consecrabatur; (omnia quippe necesse erat per *sanguinem sanctificari*, Ebr. IX, 21, cui postea *gloria & Majestas Dei* de cœlis *incumbebat, implens tabernaculum templi*, Exod. XL, 34;) ita postquam Christus pro nobis mortuus est, nosque illius sanguine sanctificati sumus, Deus ad nos venit, & apud nos habitat. Hæc enim amoris indoles est, ut ei quem diligimus, familiariter etiam adhærere velimus. Itaque cum Deus hominem ardentissimo amore complectatur, gestit etiam, versari cum hominibus, habitare & ambulare in hominibus, juxta illud *Jes.* LVII, 15: *Hæc dicit excelsus & sublimis, habitans æternitatem; & sanctum nomen ejus, in*

excelso & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, & cor contritorum.

6. Et vicissim, amare eum solemus, quocum libenter conversamur. Ita necesse est hominem a Deo ardenter diligi, cum hic illius societate tantopere delectetur; ut *Ps.* XVI, 3 videtur innuere: *Sanctis qui sunt in terra, in ipsis tota voluntas mea.* Quæ res consolari nos debet in omni adversitate, sive paupertas sit, vel corporis morbus, vel persecutio, vel contemtus. Hæc omnia æquiore feremus animo, si cogitaverimus, nos nostraque à Deo nobis præsenti amari. Quod si mirum tibi videatur, amari ab illo, qui tantas tibi calamitates immittit; scias velim, consilium Dei esse, homines per crucem glorificare, & per afflictiones ad solatium ineffabile provehere, 2 *Cor.* I, 5; & denique gravitatem crucis, gaudiis & gloria cœlesti compensare, 2 *Cor.* IV, 17. Et hæc verissima caussa est, quare Deus multos in miserias conjiciat, ut nimirum in contritis illorum cordibus habitet, quæ sunt illi palatia cœlo augustiora, *Ps.* XXXIV, 19, *Jes.* LXVI, 2. Replet proinde nos hic gratia sua Deus, ut similiter illic ut cœlestem *Hierosolymam* illuminare nos possit & implere; *Apoc.* XXI, 23.

Dei charitas est nostrum solatium.

7. *Quantum* charitatis divinæ argumentum e *creaturis* relucet. *Paulus* optima quæque, augustissima & excellentissima, *Ephesiis* apprecaturus, *flectit genua sua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det illis cognitionem charitatis Christi, ut possint comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profunditas amoris Dei*; Eph. III, 17. Quasi dicat: *Dei amor cœlo sublimior est, mari profundior, terra amplior, longior quam est ortus ab occasu*, ut est in *Ps.* CIII, 11. Verbo:

LIB. II. CAP. XXVI.

cœlum ac terra plena ſunt charitate Dei. Quæcunque enim creavit Deus ſive viſibilia ſint, ſive inviſibilia, ea hoc tantum fine condita ſunt, ut ineffabilis illius benignitas & charitas hinc innoteſcat.

8. Nec alia cauſſa homini cum internos tum externos a Deo ſenſus datos eſſe, cenſendum eſt, quam ut illis Dei amorem & benignitatem hauriat. Nam quæcunque intellectu, cogitationibus, animo & ratione poteſt comprehendere homo; quicquid externis ſenſibus uſurpat, quicquid denique habet ac poſſidet, id omne divini amoris teſtimonium eſt & argumentum. Immo, creaturæ univerſæ, cum viſibiles, tum inviſibiles, aliud nihil ſunt, quam tot legati & amoris divini interpretes, per quos familiariter nobiſcum loquitur. Quaſi dicat: *Ecce vobis cœlum, terram, & omnes creaturas, veſtrarum commoditatum cauſſa ex puro amore a me conditas!* Ex quibus ſi dulcedinem quandam percipias, divinæ benignitatis emanationem eam eſſe credas. Adeo, ut ſenſibus noſtris, qua *internis*, qua *externis*, valeamus *videre & guſtare, quam ſuavis ſit Dominus*, ut ait *Pſ.* XXXIV, 9.

Omnes creaturæ ſunt teſtes amoris divini.

Deus loquitur nobiſcum per omnes creaturas.

9. Si *ſolem* contuemur, annon ſuo fulgore, lumine & calore hoc nobis dicere videtur: *Ecce me creaturarum viſibilium maximam & ſplendidiſſimam, & de opifice meo conjecturam facite, magnum nimirum oportere eſſe dominum, qui me fecit*, Sir. XLIII, 5, Pſ. XIX, 1? Verum enim vero non tantum per creaturas has nobiles nos alloquitur Deus, ſed etiam per obſcœniſſimos quoſque terræ vermes. Quaſi dicat: *An parvum beneficium cenſes, quod hominem non vermem te creaverim? Utrumque quidem in mea manu fuit; miſericordia autem mea eſt, quod homo fueris factus. Tu hunc vermem*

Sol ſplendidus Dei teſtis eſt.

Turpiſſimi vermes ſunt teſtes amoris divini.

mem oculis usurpans, eum tibi in memoriam voces qui dixit: Vermis sum & non homo; Ps. XXII, 7. Atque ad hunc modum Deus per alias creaturas omnes cum homine instituit colloquium, denuncians illi suam charitatem, & ad se illum invitans, alliciens, movens, ducens, trahens. Hæc est illa Sapientia divina, in omnibus locis, in vicis & *plateis recantans*, Prov. I, 20, *ludens in orbe terrarum, ac delicias suas reputans esse cum filiis hominum*, Prov. VIII, 31.

Dei amor nos complectitur, persequitur, & vocat per omnes creaturas.

10. Et sane si altius rem reputaverit homo, deprehendet, quod, sicut omnes unius cœli ambitu continemur; ita charitate divina quasi concludamur, quia *in ipso Deo vivimus, movemur & sumus*, Act. XVII, 28. Itaque ut nemo nisi fatuus extra mundum fugiendi consilium capiet, cum circumquaque, infra, supra & ab utroque latere cœlo claudatur: Ita quocunque homo se convertat, in ipsam Dei charitatem & benignitatem incidit, quæ ipsum per creaturas omnes propriamque conscientiam, revocat & clamat: *Quorsum vero mi fili? Quo ibis a Spiritu meo? & quo a facie mea fugies? Si ascenderis in cœlum, ego illic sum: si descenderis in infernum, adsum. Si sumseris pennas diluculi, & habitaveris in extremis maris. Et illuc manus mea deducet te, & tenebit te dextera mea*, Ps. CXXXIX, 7. *Quocirca ad me revertere, & gratiam ac charitatem meam, qua tibi in omnibus creaturis occurro, agnosce. Si peccasti, cogita, majorem apud me esse misericordiam meam, quam peccata tua. Si tu me deseruisti, mea tamen fides & charitas te nec dereliquit, nec abjecit, sed velut errantem oviculam te quæsivit & ambiit. Quod si forte magni mundi & creaturarum luculentis testimoniis fidem non adhibes, crede saltem charissimo Filio meo, & inde disce, me mundum in eo reve-*

LIB. II. CAP. XXVI.

Anima nullibi potest requiescere præterquam in Dei gratia.

ra dilexisse. Aliter autem si facis, nullibi requiem pro anima tua invenies, cogerisque tandem, omnibus frustra exploratis, in mea charitate & gratia acquiescere. O beatum vero illum, qui hæc intelligit! Qui videt, cœlum & terram charitate Dei esse plena; sic, ut quot creaturas habet summus ille opifex, tot locupletissimi testes sui erga nos amoris extent. Summus tamen amoris divini testis ipse est Filius Dei.

Deus omnium entium pulcherrimum & amabilissimum.

11. *Quintum* argumentum est *Dei ipsius amabilitas.* Nam si prophetarum visiones & apocalypsin *Joannis* consulimus, satis exinde patescit, Deum infinitis partibus ac modo ineffabili omnium creaturarum venustatem & amabilitatem exsuperare; illumque adeo esse omnium pulchrorum pulchritudinem, amabilium amabilitatem, viventium vitam, & denique *OMNIA* solum. Unde nonnemo veterum pronunciavit: *Si homini in camino ignis sedenti vel ad momentum glorioso & amabilissimo Dei conspectu frui contingeret, omnia illi tormenta & cruciatus in suavissimam voluptatem, ob inenarrabilem hanc pulchritudinem iri conversum.* Id quod sancto *Stephano* accidebat, qui videns gloriam Dei, exclamabat: *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem a dextris Dei*, Act. VII, 50. Tanta est Dei pulchritudo, tanta suavitas, ut qui mille annis illum fuerit intuitus, etiam momento brevius longissimum illud spatium fuisse sit crediturus. In hoc enim gloriæ & Majestatis divinæ conspectu ipsum tempus amittitur & ab æternitate absorbetur; adeo, ut quo plus Deum videt homo, eo diutius videre gestiat; quo plus illum diligit, hoc ardentius amare desideret; & denique quanto magis illum laudat, tanto amplius laudare exoptet. Hinc ex veteribus quidam *Xystus* nomine, dixit: *Piorum animæ insatiabiles*

insatiabiles sunt, amoris & laudis Dei. Cui congruit illud *Siracidis* de divina sapientia, *cap.* XXIV, 29, 30 inquiens: *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* LIB. II. CAP. XXVI.

12. Itaque sancti Angeli, etsi jam inde ab exordio suæ creationis faciem illius viderint, nondum tamen videndi ipsos satietas cepit. Et licet ab initio laudaverint illum, laudandi tamen finem nesciunt. Nam Deus omni laude laudabilior, omni amore amabilior est. Et cum infinitæ sit pulchritudinis, amabilitatis & gloriæ, hinc a creatura digne amari nequit. Adeo amabilis est Deus, ut quanto plus amatur, tanto minus amatus credatur: Adeo laudabilis, ut illius laudandi finem nemo inveniat: Adeo jucundus visu & auditu, ut nullius oculos nulliusque aures possit explere. *Taulerus* ait: *Si cui vel unicam guttulam perfectissimæ charitatis divinæ gustare licuerit, eidem repente totius mundi voluptates & gaudia in merum fel mutatum iri.* Id quod verum esse beatorum martyrum exemplis patet, qui propter divinam charitatem tormenta quæque exquisitissima, & mortem ipsam contempserunt. Si enim vel mille corpora haberet homo; ea tamen omnia, divini amoris retinendi ergo, morti ultro subjicienda esse crederet, juxta illud *Ps.* LXIII, 4: *Melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.* Deus enim adeo sublime, magnum & excellens *BONUM* est, ut quanto magis cognoscitur, tanto magis diligatur. Est incredibilis quædam & exquisita suavitas, Deus. Quo sæpius gustatur, eo magis dulcescit. Quo impensius amatur, eo amabilior evadit. Beatum ergo pectus, quod DEI amore exæstuat! Tanto enim tamque admirando voluptatis sensu perfunditur, ut nihil simile

Deus omnibus creaturis est laudabilior & amabilior.

Dei suavitas ineffabilis.

LIB. II. CAP. XXVII.

omnes creaturas habere, ipsummet facile confiteatur.

Fallacia amoris mundani.

13. Eheu mortales! Quousque a fallaci mundani amoris fraude estis fascinati? Quid aliud quam curas anxias, mœrorem, jacturam temporis, vaniloquia gravissime punienda, simultates, rixas, odia, bella & conscientiæ remorsum, terrestrium amor affert? Quem ut proinde fugere velitis, Joannes vos admonet 1 *Epist.* II, 15: *Filioli, nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo. Et mundus transibit, & concupiscentia ejus; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.*

CAPUT XXVII.

Quomodo Christus Jesus animæ amanti ut absolutissimum *AMOREM* & summum Bonum se manifestet.

Jo. XIV, 21. *Qui diligit me, manifestabo ei me ipsum.*

Christus crucifixus est speculum amoris sincerissimi.

SI Christum crucifixum recte fueris contemplatus, nihil quam sinceram, perfectam & ineffabilem charitatem in ipso deprehendes. Quin Christus ipse cor suum tibi monstrabit, dicens: *Ecce tibi cor meum, in quo nulla impostura, nulla fraus, nullus dolus; sed summa fides & veritas habitant. Inclina ergo ad me caput tuum, & requiesce in corde meo. Applica os tuum, & bibe ex vulneribus meis suavissimam charitatem, quæ ex corde Patris mei per me scaturit & promanat.* Hanc charitatem si semel gustaveris,

guſtaveris, totius mundi tædium & oblivio te capiet. Omnibus renunciabis, nihilque niſi hunc amorem ſuſpirabis, ad Dominum tuum jugiter clamans: *Domine Deus, largire mihi dulcedinem amoris tui; pro qua etſi mundum univerſum mihi dare volueris, ego tamen nihil præter te ſolum & charitatem tuam efflagitabo.*

Unicum votum veri chriſtiani.

2. O beatam animam, quæ hoc amoris ſenſu gaudet! In illa enim Chriſtus vere cognoſcitur & manifeſtatur. Nimirum illum nihil eſſe niſi purum amorem, immo *amorem* noſtrarum animarum *unicum*. Quæ certe verba profundum & experimentalem ſenſum in ſe habent reconditum. Chriſtum enim animarum noſtrarum *Amorem* eſſe, ſatis ſuperque atteſtatur ſpiritualis illius adventus, & ſuaviſſima recreatio qua animas perfundit. Hæ ſi vel guttulam quandam cœleſtium illarum deliciarum deguſtent, vel tremulo quodam radio divinæ lucis afficiantur, incredibile hinc gaudium perſentiſcunt. Tanta enim eſt magnitudo infinitæ illius charitatis, ut cor noſtrum illam comprehendere & capere non valeat. Hujus ſanctus martyr *Ignatius* memor, Dominum Jeſum haud alio quam *AMORIS* nomine inſigniebat, dicens: *Amor meus crucifixus eſt.*

Chriſtus fidelis animæ unicus amor.

3. In hac Chriſti charitate omnia noſtra opera fiant. Ex hac ſi procedunt, ex ipſo etiam procedunt Chriſto exque vera fide, ac placent Deo: vel edamus, vel bibamus, vel dormiamus, vel quicquid vocationis noſtræ ratio requirit, ſubeamus. Quicquid ex hac *fideli charitate* promanat, Dei hominumque favorem attrahit. Cum enim *in Deo fiat*, (*Jo.* III, 21.) Deo etiam placeat neceſſe eſt. Etſi autem hæc Chriſti charitas ſummum cœli terræque ſit Bonum, quippe in quo omnia bona

Chriſti amor eſt ſummum Bonum.

na continentur; Deus tamen adeo promptus est & paratus, hoc tantum taleque bonum nobis elargiri, ut Filium suum dilectissimum in hoc exilium miserit, quo per fidem thesauri hujus reddamur participes. Et promptior est Deus ad summum hoc Bonum nobis donandum, quam nos sumus ad illud accipiendum.

4. Hæc *charitas, si per Spiritum sanctum effunditur in cordibus nostris,* (Rom. V, 5,) a nobis vero experiundo cognoscitur, omnia mundi gaudia superare deprehenditur. Tanta est illius dulcedo, ut propter hanc fidelis amansque anima mundana omnia omnesque creaturarum blanditias, si vel ultro sese offerrent, facessere jubeat, divini amoris delicias cunctarum creaturarum illecebris anteferendo. Et si omnes creaturæ vocem ederent, non tamen dubito, quin divini amoris vox interiores sensus demulcens, suavius resonet potentiusque, quam omnes creaturarum voces. Hæc enim charitas animum Christo alligat & unit, longeque excellentiore & meliore modo summi Boni fructibus implet, quam mundana in universum omnia. Atque hoc summum bonum utcunque in spiritu sentiatur, gustetur, videatur; verbis tamen exprimi non potest. Nullius facundia tanta est, ut voluptates, quibus spiritus summo Bono adhærens fruitur, saltem adumbrare valeat. Corporis enim lingua puras & divinas spiritus delicias non apprehendit. Quo pertinet, quod *Paulus* in paradiso audivisse dicitur *verba arcana ineffabilia*, & *quæ homini non liceat loqui*, 2 Cor. XII, 4.

Effectus amoris divini.

Ineffabile est quod anima deguſtat ex amore divino.

5. E contrario si summum hoc Bonum animæ subtrahatur, tunc vero quæcunque mundi calamitas tolerabilior ipsi videtur. Itaque

Maxima animæ jactura.

que exclamat: *O suavissima charitas, siccine me deseris, qui vix ac ne vix quidem te gustavi? Ablactato similis est anima mea*, Ps. CXXXI, 2. *Melior misericordia tua super vitas*, Ps. LXIII, 4. *Et cum anima mea te solam sitiat* (Ps. XLII, 2,) & inquietum sit cor meum, fac, ut te tandem inveniam, inque te requiescam, cum extra te nulla creatura exhilarare me valeat. LIB. II. CAP. XXVIII.

6. Et suavissimi hujus amoris tanta vis est & energia, ut fidelis anima vitam ipsam miseram, acerbam & calamitosam ducat, si absque hoc amore illi sit vivendum. Immo vero ob hunc amorem cupit homo mori, optans, *ut domus hac terrestris dissolvatur, quo praesens possit esse apud Dominum*, ut loquitur *Paulus* 2 *Cor.* V, 1, 8. *Sine amore Dei vita mera amaritudo & mors ipsa est.*

CAPUT XXVIII.

Quomodo summum Bonum cognoscatur & in anima gustetur.

Ps. XXXIV, 9. *Gustate & videte, quod suavis est Dominus.*

DEUS æternum, absolutum, infinitum, amabile, jucundum, essentiale & communicativum *BONUM* est, & ut tale ab hominibus in viva fide, in spiritu ac veritate vult cognosci. Id vero fieri non potest, nisi animus bonitatem, suavitatem, benignitatem & solatia cœlestia re ipsa in se sentiat & experiatur.

2. Ad hoc autem necesse erat, aliquid in homine *Deo simile* esse, quo mediante summi Boni capax redderetur homo. Itaque Deus *Animam* illi inspiravit, in qua diffunderet suam

am benignitatem, in qua habitaret, & denique cui se modo ineffabili manifestaret, & gustandum se cognoscendumque propinaret.

Diaboli opus in homine.

3. Quia vero homo per peccatum summi hujus Boni jacturam est passus, factusque e contrario habitatio & officina Diaboli, qui in ipso opera sua, puta superbiam, avaritiam, libidinem, iram & invidiam perficit: Idcirco necesse est, hominem per fidem, *quam Deus operatur*, (Col. II, 12,) ad Deum a mundo, & ad Christum a Diabolo converti, *Act.* XXVI, 18; quo Satanas tandem cum suis operibus foras mittatur. Usquequo enim Satanæ opera peraguntur in homine, cessat opus Dei & impeditur; anima vero gustare nequit, quam suavis sit Dominus. Quo fit, ut, quia in plerisque omnibus Satanæ & tenebrarum opera dominantur, adeo pauci Deum recte cognoscant. Maxima mortalium pars mundo, creaturis & sibi ipsi toto affectu inhæret.

Impedimenta propter quæ homo Dei bonitatem in se non sentit.

Deum gustaturus cum illo uniri debet.

4. E contrario qui Deum recte vult cognoscere & gustare, ei necesse est, *DEO adhærere & unus spiritus cum illo fieri*, 1 Cor. VI, 17. Hoc quo ardentius fit, eo altius se Deus in anima manifestat; & quo magis cor a mundo abstrahitur ad Deum, eo magis Deus cum anima amante se unit. Nam omnis amor mundi & creaturarum exulet necesse est, ubi Dei amor locum habere debet; 1 *Jo.* II, 15: *Qui mundum diligit, charitas Patris non est in eo.* Quod si Deus animam mundo vacuam inveniat, eam protinus ille cœlo, se ipso & omnibus bonis suis implet. Quo magis ab amore mundi cor evacuatur, eo magis luce & amore divino adimpletur. Unde præclare quidam ex veteris ævi doctoribus dixit: *Quid Deus sit, facilius in anima vacua, quieta & tranquilla sentiri, quam verbis exprimi.*

5. Ut

LIB. II. CAP. XXVIII.

5. Ut itaque vere sciat homo, Deum esse bonum & ipsum summum Bonum, necesse est, illius bonitatem intus & in corde degustare. Scriptura de hoc in externa litera testatur, cor vero intus sentiat vivumque Dei verbum experimentali notitia gustet. Hinc *Ebr.* VI, 5 de nonnullis dicitur, *quod gustaverint bonum Dei verbum virtutesque seculi venturi.* Deum *suavem* esse & benignum, melius non cognosces, quam si internum illius alloquium & solatium perceperis ipse. Eundem Ens esse omni *gaudiorum* genere affluens, nemo melius Deo ipso te docebit, si scilicet hic in te gaudeat & exultet. Et sic de reliquis Dei attributis. Nisi Deus omnia in te operetur ipse, nunquam ad veram vivamque ejus cognitionem pervenies: *Deum enim absque Deo cognoscere, est impossibile,* dicente *Augustino.* Unde sequitur, cui non ipse Deus se manifestat & patefacit, hunc nunquam, quid Deus sit, *vere* & solide intellecturum. Sicuti contra animus si vivum Dei verbum intra se ipse sentiat, tum vero experientia ipsa cognoscit, Deum revera esse *OMNIA*, & omne, summum, verum, omnibusque, quæ humana mens concipere aut optare potest, præstantius & excellentius Bonum. Æterno enim hoc & sublimi Bono augustius, a nulla creatura cogitari potest.

Nemo scit quid sit Deus nisi qui est conscius illius bonitatis.

Viva Dei cognitio quænam?

6. Atque hoc modo cum Deus cognoscitur & in anima gustatur; (juxta illud *Ps.* LXXXIV, 12, LXIII, 4: *Melior misericordia tua super vitas*;) tum vero incipit anima mundum, cum omnibus suis deliciis & voluptatibus contemnere. Novit enim in Deo se perfectam quietem, immo omnia possidere. Atque tunc intelligit, mundum, bona & opes ejus universas esse fragilia, incerta ac caduca; Deum autem verum

Mundi contemtus unde?

LI B. II. CAP. XXVIII.

verum, perfectum, durabile æternumque Bonum esse. Et ex hoc sensu promanabat illud Davidis, *Ps.* LXXIII, 25: *Domine, quid mihi est in cœlo, & cum te, quid desidero vere super terram?* Hæc est illa anima, quæ gustato semel vero summoque Bono, protinus mundo & creaturis renunciat, nullam amplius ex creaturis terrenisque ac mundanis hauriens voluptatem, sed in solo Deo unice conquiescens. Hæc est illa experimentalis & *affectiva* Dei cognitio. Hæc est ipsa Dei charitas, omnia, quæcunque humanus animus concipere valet, supereminens & tantum intus degustanda. Fieri enim non potest, quin Deus vere rectèque agnitus, super omnia etiam ametur, laudetur, honoretur.

Cognitio Dei practica.

7. Eccur itaque imperfecta hujus mundi bona adhuc consectemur, si æternum Bonum & perfectum possidere queamus, illudq; in quo omne bonum, & quod omnia solum est? Cum (ut modo dictum) ea sit ratio summi Boni semel vere cogniti, ut protinus sibi totum hominem vendicet, & super omnia imperfecta, *h. e.* super omnes creaturas quæ in mundo sunt, diligatur. Et hinc aliquo modo patescere credo, *vivam Dei cognitionem amorem mundi extinguere.* Hanc qui possidet, mundo ejusque vanitatibus prompte renunciabit, cum *Salomone* Rege exclamans, *Coh.* I, 1: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas!* Ita tandem mundi amor interit in corde, manetque sola Dei charitas, & æternum ac incommutabile Bonum.

Mundi vanitas.

CAPUT

CAPUT XXIX.

Quomodo anima amans Deum in ſuis beneficiis ut profuſiſſimam Benignitatem contempletur.

1 Jo. IV, 9, 10. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quod Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc eſt charitas; non quod nos dileximus Deum; ſed quod ipſe dilexit nos & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.*

OMNIA, quæ Deus homini immittit, ſive proſpera ſint, ſive adverſa, hoc unum ſpectant, ut homo a Deo averſus, in gratiam cum eodem redeat. Homo vero cum *bellua-na ignorantia* (Pſ. XXXII, 9.) & ſtultitia ſit occœcatus, veram tantorum beneficiorum cauſſam non intelligit, nihil minus cogitans, quam eo fine in ſe illa conferri, ut his in amorem divinum pertrahatur. Ita neque pœnis Deum hoc unum agere animadvertit, ut ad ipſum redeat homo & convertatur. *Omnia opera Dei ſpectant hominis converſionem.*

2. Conſiderabimus autem primum *corporalia* Dei beneficia & deinde *ſpiritualia* & æterna.

3. Primum palam eſt: Deum omnia uſibus humanis creaviſſe, ſive viſibilia ſint, ſive inviſibilia. Inviſibilium appellatione veniunt beati *Angeli*, quorum ſapientiam, fortitudinem, diligentiam, cuſtodiam & excubias circa nos Scriptura paſſim commendat & aſſerit. Quo pertinet hiſtoria patriarchæ *Jacobi* & *Eliſæi*, Gen. XXXI, 56; 2 Reg. VI, 17. Et cum multi mali genii unius ſæpe hominis exitio invigilent, *Dei beneficia per angelos.*

LIB. II. CAP. XXIX.

lent, plures etiam boni Angeli præſto ſunt, unum hominem Dei juſſu obſervantes. Quantum item illi gaudium percipiant ex converſione & oratione noſtra, docet Chriſtus *Luc.* XV, 10. Hoc autem beneficium, quia in conſpectum hominum non venit, a pleriſque vilipenditur. Contra vero ſapiens, qui non modo *viſibilem*, ſed etiam *inviſibilem* mundum contemplatur, ſatis ſuperque novit, in inviſibili, quem Deus inhabitat, longe majorem eſſe ſplendorem & magnificentiam, gentes & exercitus numeroſiores, principatus denique & ditiones longe ampliores, quam in viſibili noſtro mundo. Quod ſi vero ingens beneficium eſt, terreni alicujus principis miniſtros per deſerta & hoſtium ſtrepitum cuſtodes ſibi habere adjunctos: quale tandem hoc cenſendum erit, quod Deus inviſibilis ſui regni proceres, principes & ſatrapas nos obſervare & protegere jubeat?

Mundus inviſibilis longe auguſtior eſt hoc viſibili.

4. *Cœlum* quæſo intuere, & tuis id uſibus inſervire deprehendes. *Solem* & *Lunam* aſpice, eorumque admirabilem curſum expende. Cum enim noctu & interdiu volvantur, nec ad momentum quidem quieſcant, (*Pſ.* XIX, 7.) an non certum eſt, ſolius hominis commoditatibus ea indefeſſe ſervire? Deus enim illorum miniſterio, luce & influxu non indiget. Et *Sol* quidem, more induſtrii ſervi, primo diluculo ad miniſterium conſurgit, facem pulcherrimam tibi præferens, lucemque æternam, quæ eſt Chriſtus Jeſus, & illius verbum, in memoriam tibi redigens. Hæc ſit lux & lucerna animæ tuæ, ut hac prælucente ut filius lucis ambulare queas. *Luna* vero & *Nox* umbra ſua ut quodam quaſi pulvinari te contegunt, quietem feſſo conciliant, admonentque *ſub umbra alarum divinarum latere* & commo-

Quomodo ſol & luna homini ſerviant.

morari, *Ps.* XCI, 1. *Luna* more gnavæ ancillæ aquatum proficiscitur, & terram irrigando fœcundat. Immo nulla quantumvis minima stella est, quin singularem benedictionem ad homini inserviendum, divinitus sit sortita, illiusque causa luceat.

Omnis stella habet suam benedictionem.

5. *Aerem* intuere & *ventos*, perpendeque quam serenos reddant cœlos, quod nubes nunc dispellant, nunc cogant, easdemque in cumulos aquosos ceu utres collectas in terram dein effundant; *Ps.* XXXIII, 7. Quæ est res admiratione digniſſima, puta aquas in nubibus velut in utribus sub cœlo contineri, & ab aere bajulari. Nihil enim aliud sunt nubes, quam vapores a terra in sublime acti, & in guttas resoluti, *Job.* XXVI, 18. cap. XXXVI, 27. Tonitrua etiam, fulmina & grandines (*Job.* XXXVII, 3) eo inserviunt, ut Dei hinc potentiam intelligamus, precesq; ac gratias persolvamus, si in horribili tempestate divina nos servavit gratia, ut docet *Ps.* XVIII, 8. Considera vero etiam *ventorum varietatem*, navigationi rerumque commerciis inservientem. Ventorum impetu naves per fluctus feruntur haud aliter quam aves per aerem. Hac ratione omnia orbis loca & abdita adeuntur, ne quicquam eorum lateat, quæ humanis opportunitatibus creavit Deus, *Ps.* CXXXV, 7.

6. Nec minus admirabile est illud multiplex genus *piscium marinorum*, (Gen. I, 20. *Ps.* CIV, 25.) qui statas mensium periodos accuratissime observantes, appetente legitimo tempore, ex abyssо maris in altum ascendunt, & gregatim more avium, nec minus spissi quam segetes, jussa hominum præstolantur, velut si dicant: *Ecce nos stato tempore sistimus nos: Ecce messem maritimam, quam involate & diripite.* Similis ratio *Avium* est, quæ stato tempore turmatim

Messis maris & aeris.

LIB. II. CAP. XXIX.

conveniunt, humanis neceſſitatibus opem ſuam deferentes.

Terra eſt Dei penuarium. Montes ſunt Dei ærarium.

7. Quid autem de *Terra* dicam, quæ eſt amplum quoddam penuarium, ærarium, veſtiarium & pharmacopolium Dei, unde ſingulis cibum, potum, veſtem, medicinam, domum & omne genus metallorum deſumimus? Ex hac ſingulis menſibus certi floſculi prorumpentes, hunc quaſi in modum alloquuntur hominem: *Ecce nos cum munuſculis noſtris, quæ vobis offerimus, ut nos illa a communi Opifice noſtro accepimus.* In hac *nemora* ſunt quæ tot conſtituunt latibula ferarum, quas Deus hominum imperio & poteſtati ſubjecit. Sunt autem numero tot ac tanta corporis beneficia, ut quæ ſaltem unica aliqua regione continentur, enumerari non poſſint. Nam profecto vel ſingula poma, ſingula Dei dona ſunt. Quæ cum numero fere innumera ſint, eccur non aſpiciamus ea ut tot divinæ bonitatis & beneficentiæ teſtimonia, *Pſ.* LXV, 10, 11? Quod ſi aliquis mundi hujus princeps omnes ſuos magnates & proceres regni cum ſubditis univerſis tuo imperio ſubjiceret, illiſque ediceret, te obſervare, protegere & veſtire; tibi cibum, potum, medicamenta & tributa pendere; denique ſub capitis pœna proſpicere, nequid tibi deeſſet: Annon credideris, merito talem principem eſſe amandum & illius benignitatem dilaudandam? Nemo certe niſi mente captus remiſſe in hoc aget. Quid autem cauſſæ dixeris, cur non Deum ſimiliter diligas, qui omnia, quæ cœli terræque ambitu continentur, hominum ſervitio in totum deſtinavit? Ipſe enim nulla creatura indiget; nec quicquam in mundo angelico, aſtrali, aut ſublunari excepit aut ſegregavit, quod ſuis, non autem tuis uſibus, deſerviret. Omnia ergo juſſa & mandata noſtra

Cujuſque provinciæ beneficia ſunt innumerabilia.

Magna hominis ingratitudo.

ſtra præſtolantur, velimus modo: non ipſo quidem inferno excepto, qui metu pœnarum a peccatis nos revocat, omneſque impios & hoſtes noſtros gravius, quam optare ipſis quiſquam poſſit, punit. LIB. II. CAP. XXIX.

Omnia ad noſtrum uſum ſunt creata.

8. (2) Sed aſcendamus nunc per hanc creaturarum ſcalam ad ipſum opificem Deum, beneficia ejus *ſpiritualia* expendendo. Nonne quælibet S. Trinitatis perſona eminentia in hominem contulit beneficia? Pater Filium ſuum nobis donavit, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donaret*, Rom. VIII, 32? Filius quantus quantus eſt, nonne ſe nobis impendit ipſe juxta illud, *Rom.* V, 8: *Commendat charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt?* Et Spiritus ſanctus nonne eſt in nobis, illuminans animas noſtras, purgans, docens, conſolans, doniſque ſuis exornans, & ut eſt *Rom.* VIII, 16: *teſtimonium reddens ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei?*

Beneficia S. S. Trinitatis.

9. Verbo: Divina miſericordia ſe totam in nos effundit, nihil quicquam omittens, quo in amorem Dei hominem allicere poſſit. Itaque quot in nos beneficia confert Deus, tot conciliatores benevolentiæ & mutuæ charitatis ad nos mittit, ut tandem ad illum venientes, divino ejus amore perfruamur. Quod ſi nunc ex illius verbo, Angelis, Prophetis, Apoſtolis & ſanctis univerſis ſciſciteris, quid & unde ad nos veniant? Reſpondebunt: *eſſe ſe internuncios miſericordiæ divinæ ac ignem cœleſtem flammamque afferre, quo corda hominum lethali gelu & glacie conſtricta, reſolvantur, ad calorem charitatis divinæ concipiendum.* Verum quæ eſt durities cordium noſtrorum & quouſque in amore frigeſcunt! Cum ad tot tantorumque legato-

Dei internuncii & duces noſtri ad illum.

LIB. II. CAP. XXIX.

rum conatus nil quam amoris ignes flammaſque ſpirantes, ob lethale gelu quo concreta ſunt, non incaleſcant. Certe inter præcipuas Diaboli artes referendum, quod corda humana tanto frigoris rigore ſtupefacere ſciat, ut quantæcunque ſint divini amoris flammæ, ea tamen emollire vix queant.

Ingens Diabli poteſtas in cor hominis.

Beneficia atteſtantur amori divino.

10. Agite ergo, mortales! Agnoſcite, opificem veſtrum in medio ignitorum & flammantium beneficiorum vos collocaviſſe, interque infinitos Angelos & creaturas, qui tot ſunt amoris divini teſtes ac internuncii. Ecquam itaque cauſſam dicere poteris, vel quam in Deo deprehendere culpam, ut illum neque amare neque laudare poſſis aut cupias? Quod ſi forte parvi ducis, quæ præſtitit hactenus, ſpondet, ſe plura adhuc præſtiturum. Promittit, novum ſe cœlum terramque novam cœleſtemque civitatem conditurum, quam non minus ac te gloria ſua ſit colluſtraturus, *Apoc.* XXI, 10. Nonne fatuam pronunciaveris illam puellam, quæ venuſtiſſimæ formæ adoleſcentem, illius amore captum, cujus cum pulchritudo, tum probitas ſemper & ab omnibus commendetur, immo qui e mortis faucibus eripuerit eam, nulliſque non donis ornare pertendat, reciproco amore dedignetur? In te pariter ipſum intuere, O homo, & quantum frigoris rigorem tibi induxerit Diabolus conſidera, quippe quo eouſque rigeſcit anima tua, ut ſub ipſo divini amoris ardore non colliqueſcat.

Homo refrixit in amore divino.

11. Immo cum omnium hominum cordibus amorem implantaverit Deus, cedo quæſo, ſi venalis eſſet amor tuus, annon potius Deo vendere eum velis, quam ulli alii? Nonne vero ſat amplo pretio tuum amorem jamdudum emit Deus? Nonne Filii ſui, immo cœli ac terræ pre-

Deus amorem noſtrum magni emit.

tio

tio comparavit eum? Nam quicquid mundus pro tuo amore te sperare & expectare jubet, id nihil est, si cum iis comparetur, quæ partim jam dedit Deus, partim *præparaturus est illis qui ipsum diligunt*, Jes. LXIV, 4. 1 Cor. II, 9. Eheu! Paululum honoris, paululumque divitiarum, multis tamen doloribus sociatum, tibi concedit mundus, & tamen in mundi amorem ruis! Ecquare non consecras amorem tuum Deo ipsi, qui æternum *BONUM* est? Quod si autem amorem tuum gratis obtinere liceat, dic quæso, in quo suavius acquieverit, quam in summo, æterno & pulcherrimo Bono? Cum enim nihil diligatur, quam quod pulchrum est & venustum, idcirco jubeo te credere, nihil elegantius te habiturum, quam si Deum amore complectaris.

Nihil meretur amorem nostrum Deo excepto.

12. Denique æquum est, redamare eum, qui *prius amavit nos*, 1 Jo. IV, 19. Computa vero jam beneficia Dei omnia, & deprehendes, omnes omnino creaturas plenas esse charitate divina. Hæc ergo te ambit, te consectatur & circumstat, ut illam declinare & effugere non possis. Valida est ac potens, & usque adeo te superat, ut vel invitus ea perfruaris, vel vivere plane cesses.

Nolentes volentes fruimur amore divino.

13. Præterea cum ipsæ bestiæ benefactores suos redament, quæ, malum! impietas est, bestiis deteriorem fieri, & hunc, in cujus amore vivis & moves, stas & ambulas, dormis & vigilas, odio prosequi? Sicut autem ea, quæ accendere volumus, igni tamdiu sunt admovenda, donec flammam concipiant & ardeant: Ita cor tuum tantisper divinæ charitatis igni est applicandum, ruminando assidue Dei erga te beneficia, donec divinitus exardescat. Et ut olim sacerdotes igne sacro victimas comburebant, *Lev.* VI, 12: Ita sum-

Argumentum pro amore divino.

Quomodo amor divinus in nobis accendatur.

Typus ignis in sanctuario

LIB. II. CAP. XXX.

mus pontifex Christus Jesus sancti sui Spiritus igne cordis tui sacrificia accendat. Qui sacer ignis ab æterno erga nos arsit, quippe quos Deus ante mundi fundamenta in Christo dilexit. Erupit autem postea per Domini incarnationem & nativitatem, præcipue vero passionem & mortem, per quam talem tantumque nobis exhibuit amorem, ut in omnem æternitatem sit flagratura hæc charitatis flamma. Ad hunc amoris ignem accede, ut cor tuum languidum & frigidum incalescat, & reciproco amore Christo tandem ardentissime uniatur.

CAPUT XXX.

Quomodo Deus animæ amanti ut perfectissimam *PULCHRITUDINEM* se manifestet.

Ps. CIV, 1, 2. *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer, induisti robur & decorem, amictus lumine sicut vestimento.*

SIcut vero amore imbuta anima nihil carius habet Christo, nec quicquam melius & augustius Deo; ita eodem nihil pulchrius, nihil speciosius ducit. Deum enim ut summam intuetur *pulchritudinem*, cui usque adeo neque in cœlo, neque in terra quicquam est comparandum, ut ipsi etiam beati Angeli in omnem æternitatem satis digne eam dilaudare nequeant. Itaque si ea nobis obtingeret felicitas, ut beatos Angelos omnes electosque Dei, in uno loco, cum omni suo splendore & claritate quo coruscant, spectare liceret; intelligeremus sane, omnem eorum pulchritudinem, ac luculentum illum,

Dei pulchritudo est major omni pulchritudine creata.

illum, quo pollent, nitorem ex Deo, ceu *essentiali* æternaque pulchritudine & omnis lucis ac splendoris infinito fonte promanare. Sicut ergo Deus omne & summum Bonum est; ita idem omnis summaque pulchritudo est & venustas. LIB. II. CAP. XXX.

2. Dei decorem quisquis in spiritu contemplatur, is confestim omnium creaturarum, immo ipsius Angelorum pulchritudinis oblivisciturr; nec ulla re magis contristatur, quam tantum taleque Bonum sua malitia, & tam infinitam æternamq; pulchritudinem & claritatem, immunditia sua offendisse. *Qui Deum vere novit, dolet se illum offendisse.*

3. Posteaquam vero Filius Dei, *splendor gloriæ Dei*, (Ebr. I, 3.) humanam naturam assumsit, homines *divinæ suæ naturæ* & cœlestis pulchritudinis *participes effecit*, 2 Pet. I, 4; ita, ut quotquot per fidem Christo sunt insiti, iidem *toti venusti sint & splendidi coram Deo*, Ps. XVI, 3. Qui utcunque residuos nostros defectus videat; quia tamen splendore gloriæ & charitatis Christi conteguntur, æternæ eos oblivioni tradit, *Eph.* V, 27. *In christo sumus pulcherrimi & sine macula.*

4. Cum *Plato*, ethnicorum facile sapientissimus, creaturarum pulchritudinem, cœli lumina, camporum flores, metalla denique & bestias considerasset, ex rationis dictamine collegit, Deum non posse non esse Ens longe pulcherrimum, eumque omnium creaturarum pulchritudinem ambitu suo complecti. Nos vero ex Dei verbo & Evangelistæ Joannis 1 Epist. III, 2 discimus, *nondum apparuisse quid fuerimus, Scimus autem, cum apparuerit, similes Deo nos fore, ipsumque nos visuros sicut est.* Quasi dicat: *In ipsam Dei imaginem perfecte renovati, Deoque simillimi erimus, relucente ex nobis Dei pulchritudine, claritate & magnificentia.* Ex Domino autem nostro Jesu Christo supra omnia di-

LIB. II. CAP. XXXI.

vina haec claritas explendescet; *quippe in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, Col. II, 9. *Deo enim complacuit in eo omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, sive quae in terris, sive quae in cœlis sunt*, Col. I, 19. Eph. I, 10. Quae pulchritudo omnem creaturae cognitionem exuperat.

Dei pulchritudo ex Christo relucebit.

5. Itaque in illa die Angeli & homines pulchritudinem Christi admirabundi intuebuntur; praesertim vero electi Dei obstupescent, quod *illorum vilissima corpora clarificato corpori Christi Jesu adeo similia sint effecta*, Phil. III, 21. Quo pertinet, quod *Dan.* XII, 3 legitur de sanctis: *Fulgebunt quasi splendor firmamenti: & quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Et cum *Ps.* CIV, 2 dicatur Deus *lumine esse amictus*, sequitur, nobis etiam lucem & claritatem pro veste esse futuram.

CAPUT XXXI.

Quomodo Deus animae amanti ut *OMNIPOTENTIAM* immensam se revelet.

Ps. LXXXIX, 9. *Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.*

Deus ex amore sua bona nobis dat, ut nos vicissim illa aliis ex amore demus.

CHaritas Dei vult animam sincere amantem omnibus hominibus, nullo discrimine amicitiae aut inimicitiae habito, benefacere, idque non utilitatis aut honoris proprii caussa; sed propter amorem divinum, qui infinitam Dei omnipotentiam impulit, ad nos descendere. Idem amor ex thesauris suis inexhaustis omnia eum in finem largitur, ut & nos ex amore reddere discamus, quaecunque Dei amor

ex

ex omnipotentiæ thesauro nobis communicat. Quocirca cave, O homo, ne quicquam tibi arroges, sed protinus Dei omnipotentiæ restituas, quicquid es aut habes. Neque enim ulla creatura tibi quicquam dare potest aut eripere, quippe quod est solius omnipotentiæ divinæ. Pariter nec ulla te creatura consolari potest; cum hoc solum amoris divini sit proprium.

2. In hac Dei charitate contemplatur devota anima incomprehensibilis omnipotentiæ Dei plenitudinem, quæ cœlum & terram maria ac arida in se comprehendit, ipsa omnem comprehensionem exuperante. Mundus enim universus ad Dei omnipotentiam ut quidam *pulviseulus* & *situlæ gutta* reputatur; *Jes.* XL, 15. *Sap.* XI, 23. Atque ex hac plenitudine divinæ omnipotentiæ scaturiunt omnes virtutes Angelorum, hominum & creaturarum. Huic cœli ut basi innituntur. Hæc maris impetum & fluxum refluxumque moderatur. Hæc terram variis virtutibus dotat & locupletat. Ut vere dicere liceat, cœlum & terram plena esse Deo, plena divinis virtutibus & operibus, *plena* denique *Spiritu Dei*, Sap. I, 7. Dei potentia omnia complectitur, continet & implet, ipsa a nullo comprehensa, *Ps.* CXXXIX, 2, seqq. *Speculum divinæ omnipotentiæ.*

3. Quanta vero *sublimitate* Deus omnibus rebus supereminet, tam *profundus* etiam est in omnibus, & omnia in ipso; juxta illud *Pauli* Rom. XI, 36: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipsum sunt omnia.* Et Eph. IV, 7: *Qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis.* Cum autem Deus adeo excelsus sit super omnia, sequitur, neminem similem illi esse posse; aut si quis hoc affectet, eum semetipsum in Deum erigere, & eo ipso, peccatorum maximum committendo, in proprium interitum plenis gressibus ruere. Cum enim *OMNIA* sit Deus, patet, quicquid extra

LIB. II. CAP. XXXI.

tra illum est, nihil esse. Hac ratione homo ex divina omnipotentia propriam vilitatem agnoscit, Deumque timere discit. Deus autem tantum delectatur illis, qui ita *se humiliant sub potenti manu Dei*, 1 Pet. V, 6.

Verus usus divinæ omnipotentiæ.

4. Quam *excelsus* vero & sublimis Deus est ratione suæ omnipotentiæ, tam humilis & demissus idem est respectu amoris. Christum intuere hic Filium Dei vivum potensque Dei brachium, quo *omnia facta sunt* ac etiamnum subsistunt; *Col.* I, 16. Sed annon ex charitate de cœlo ad nos descendit, infra omnium creaturarum conditionem ac vilitatem semet abjiciens? Ut itaque omnipotentiam Dei verbis exprimere menteque assequi non valemus; ita nec Christi humilitatem & abjectionem concipere possumus. Veruntamen quantum se exinanivit, tantum *super omnia exaltatus est*, Eph. I, 20. IV, 10. Ipsi laus & gloria in æternum, *Amen!*

Deus est magnus & parvus.

O Deus, O Jesu, O Spiritus alme!
Mens invariabilis,
Lux inextinguibilis,
Pax imperturbabilis,
Unitas indivisibilis,
Veritas infallibilis,
Benignitas ineffabilis,
Potentia immensa,
Sapientia infinita,
Bonitas incomprehensa,
Æternitas omnipræsens,
Simplicitas omnia replens,
Principium omnia regens,
Stabilitas omnia movens,
Vita omnium viventium,
Sensus omnium sentientium,
Operatio omnium operantium,
Illumina me, sanctifica me, vivifica me!

CAPUT

CAPUT XXXII.

Quomodo anima amans Deum agnoſcat ceu ſummam *JUSTITIAM* & Sanctitatem.

Pſ. XXXVI, 7. *Juſtitia tua ſicut montes Dei: judicia tua abyſſus multa.*

QUotquot animæ Deum diligunt, ut ſummam & ſanctiſſimam *juſtitiam* ipſum cognoſcunt. Hæc autem pervadit & tranſcendit omnia. In Deo eſt ſanctiſſima voluntas Dei, in Angelis ſancta obedientia, in hominibus teſtimonium conſcientiæ, in omnibus denique creaturis ordo & diſpoſitio naturæ, per quam Deus rebus creatis *certum numerum, pondus ac menſuram conſtituit*, Sap. XI, 21. Contra hoc ſi quid admittitur, id cum naturæ & Dei injuria eſt conjunctum. *Dei juſtitia in omnibus rebus.*

2. Quocirca omnia in terrarum orbe peccata, contra *Dei juſtitiam* fiunt, & per ea peccator Angelos in cœlo, conſcientiam propriam, & creaturas univerſas offendit & in ſe provocat. Neque enim Deus lædi poteſt, quin una omnia creata graviſſime offendantur ac irritentur. Eadem ratio eſt reconciliationis. Nam Deo placato, creaturæ univerſæ peccatori reconciliantur eique applaudunt. Unde *Paulus* ait *Col.* I, 20: *poſtquam Pater cœleſtis per Chriſtum fuerit reconciliatus, pacificata ſimul eſſe, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.* Et Chriſtus ipſe Dei & hominum cauſſa Angelos exultare profitetur *Luc.* XV, 10: *Gaudium erit coram Angelis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Adeoque Angeli in Deo propter hominem exultant. *Peccatum eſt contra Dei juſtitiam. Cum Deus iraſcitur, omnes creaturæ homini adverſantur.*

3. Sin

LIB. II. CAP. XXXII.

3. Sin Deus cum hominibus non reconcilietur, tum vero omnes creaturæ, Angeli totaque natura pœnas de peccatore ſumunt. Hinc tanta emergunt judicia, ut omnia tandem elementa in talem conſpirent, injuriam Creatori illatam vindicare parata. Talium judiciorum & ſuppliciorum executio nulla ratione impediri poteſt, cum ipſa terra pavore ſileat & contremiſcat, ut ait *Pſ.* LXXVI, 8: *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi in ira tua?* Pertinent huc *plagæ Ægyptiacæ*, quæ vel ſolæ illuſtre documentum ſunt, quomodo omnes creaturæ impios ad pœnas depoſcant. Vid. *Lib. Sap.* cap. V, 18. Conf. *cap.* XI. Et ex hac ſanctiſſimæ juſtitiæ læſione provenit etiam *Maledictio* illa, quam *Moyſes*, vir Dei, contra legis divinæ tranſgreſſores detonat, *Deut.* XXVII, 15, ſeqq.

Cur Deus creaturas ad vindictam utatur.

Maledictio propter offenſam Dei juſtitiam.

4. Eſt autem *Maledictio*, quando juſtitia divina de peccatis vindictam ſumptura in talem conditionem prævaricatorem redigit, ut nullius prorſus boni ſive a Deo conferatur, vel a creatura, ſit capax, & *abominatio omni carni fiat*, Jeſ. LXVI, 24. Eſt itaque *Maledictio ad æternam miſeriam obligatio & condemnatio.* Cui qui obnoxius eſt, eum omnes creaturæ execrantur, nec pati illum aut tolerare poſſunt. Et hæc ultima eſt juſtitiæ divinæ vindicta ſupremuſque gradus. Et ex hac ſancta divinæ juſtitiæ abyſſo emanant etiam ſtupenda illa, imperſcrutabilia, occulta & terribilia Dei judicia, quorum meminit *Pſ.* XXXVI, 7: *Judicia tua abyſſus multa.* Et *Paulus* Rom. XI, 33: *Quam incomprehenſibilia ſunt judicia Dei, & imper-veſtigabiles viæ ejus?*

Quid ſit anathema.

Dei judicia imperſcrutabilia.

5. Atque hæc qui intuetur, ſpeculum juſtitiæ divinæ intuetur, de qua verba *Moyſis* audiamus *Deut.* XXXII, 35, 36, 41, 43:

Mea

Descriptio vindictæ divinæ.

Mea eſt ultio, & ego retribuam, inquit Dominus. Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea; reddam ultionem hoſtibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam. Laudate gentes populum ejus, quia ſanguinem ſervorum ſuorum ulciſcetur, & propitius erit terræ populi ſui. Quibus verbis *Moyſes* diras & pœnas omnibus improbis denunciat juſtitiæ divinæ adverſantibus. Quod enim ait: *Deum velle acuere ut fulgur gladium ſuum*, eo innuit terribilia judicia Dei, ad quæ quaſi ad fulgura & tonitrua *terra contremiſcit*, Pſ. LXXVI, 9. Et quibus nulla creatura poteſt reſiſtere, non magis quam horribili alicui tempeſtati. Quem enim Deus ad pœnas & ſupplicium trahit, hunc mundus univerſus adjuvare non poteſt, dicente *Pſ.* XCIV, 1: *Deus ultionum Dominus; Deus ultionem libere egit. Exaltare qui judicas terram; redde retributionem ſuperbis.* Ex quo datur intelligere, utcunque Deus mitis, miſericors, longanimis, patiens, ſuavis & benignus ſit his, qui timent eum; attamen vi ſuæ juſtitiæ etiam juſtum judicem eſſe impiorum, & vindicem ſpretæ contemtæque ab illis juſtitiæ.

6. Ob eandem cauſſam non ſolum gratiæ & miſericordiæ ſuæ, ſed etiam juſtitiæ & vindictæ exempla extare voluit in verbo ſuo. Tale eſt *diluvium*, *Sodomæ & Gomorrhæ conflagratio*, *Pharaonis in Ægypto & rubro mari ſupplicium.* Tale item eſt in *Core*, *Datan* & *Abiran*, in *Saul*, in *Achitophel*, in *Achab*, in *Jeſabele*, in *Nebucadnezare*, in *Belſazar*, in *Sennacharib*, in *Antiocho.* Adhæc in Novo Teſtamento in *Herode*, *Nerone*, Valente, Juliano, Diocletiano, &c. Ex quibus omnibus mirabilia Dei judicia & ultio terribilis elucent. Unde etiam *Deus ultionum* dicitur, utpote vindictam

Exempla vindictæ divinæ.

LIB. II. CAP. XXXII.

dictam ſibi ſoli reſervans, tanquam Deo juſtiſſimo, immo juſtitiæ ipſi. Quem proinde ſanctorum animæ (*Apoc.* VI, 10) implorant: *Uſquequo, Domine, non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra?*

Deus dicitur Deus ultionum, quia propter ſuam juſtitiam non poteſt non ulciſci.

7. Et talia quidem judicia Dei quotidie exercentur, ſed a ſolis fidelibus & ſanctis recte æſtimantur, juxta illud *Pſ.* XCI, 8: *Oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis.* Quam ſententiam nequaquam carnali affectu, ſed in ſpiritu interpretari oportet, Deo noſtro juſtitiæ laudem tribuentes, ac cum *Pſ.* CXIX, 137 dicentes: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Et *Pſ.* CXLV, 17: *Juſtus Dominus in omnibus viis ſuis; & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Atque hoc ſenſu ſancti de executione judiciorum divinorum gaudent; non ſecundum *carnem*, propter interitum impiorum, & privatæ vindictæ dulcedinem exultantes, ſed ſecundum *ſpiritum*, h. e. propter laudem & gloriam juſtitiæ Dei, qui promiſſiones ſuas implendo, juſtitiæ ſuæ gloriam aſſeruit. Deplorant interim ſortem & interitum impiorum, *Chriſti* exemplo, qui Hieroſolymam *Luc.* XIX, 41; & *Davidis*, qui Abſolonem deflebat 2 *Sam.* XVIII, 33.

Quo ſenſu ſancti gaudeant pœnis & vindicta Dei.

8. Itaque, in judiciis *duo* ſpectantur, Deus & homo; quorum etiam diverſa ratio eſt habenda. Si in hominum interitum conjiciamus oculos, æquiſſimum eſt, alte commoveri; Deum vero ſi ſpectemus, utique illius juſtitia eſt prædicanda, utpote nemini injuriam facientis, *Pſ.* XCII, 12.

CAP.

CAPUT XXXIII.

Quomodo anima amans, Deum contempletur ceu æternam *SAPIENTIAM.*

Actor. XV, 18. *Notum a ſeculo Domino opus ſuum.*

DEUS ordinat, gubernat, regit & moderatur omnia ſecundum imperſcrutabilem ſuam ſapientiam; ut eſt *Jeſ.* XLV, 4, ſeqq. *Vocavi te nomine tuo, & non cognoviſti me. Ego Dominus, & non eſt amplius, & extra me non eſt Deus; formans lucem & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc. Væ qui contradicit fictori ſuo teſtæ cum aliis teſtis terræ. Numquid dicet lutum figulo ſuo; Quid facis? opus tuum abſque manibus eſt. Væ qui dicit patri; Quid generas? & mulieri; Quid parturis? Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael, plaſtes ejus; Ventura interrogate me, ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, & hominem ſuper eam creavi ego: manus meæ tetenderunt cœlos, & omni militiæ eorum mandavi.* *Deſcriptio ſapientiæ & admirabilis œconomiæ divinæ.*

2. Quæ ſententia continet graviſſimum teſtimonium æternæ ſapientiæ, & mirabilis ac incomprehenſibilis regiminis & œconomiæ omnipotentis Dei. Ea vero in primis elucet in eo, quod *ſingulos ſuo nomine vocavit, antequam illum cognovimus & cum necdum eſſemus.* Eſt autem *Nomen* noſtrum, quo nos Deus vocat, noſtra fides, vocatio & periodus, œconomia & curſus vitæ univerſæ. Sic, ut vitæ noſtræ initium, medium, finis, ſive ut *Pſ.* CXXI. 8 appellat, *introitus & exitus* in Dei æterna *Quid ſit nomen noſtrum, quo Deus nos vocat.*

LIB. II. CAP. XXXIII.

æterna ſapientia & providentia contineantur. Similiter *Pſ.* CXLVII, 4 dicitur: *Qui numerat multitudinem ſtellarum: & omnibus eis nomina vocat*; h. e. vim, curſum, vires, operationes & influxus ſtellis impertit Deus: Quanto ergo magis hominibus?

3. Jam quod propheta dicit: *Deum eſſe autorem lucis & tenebrarum, pacis & belli*, id ad *mala pœnæ* pertinet, quæ ipſe procurat aut permittit, ſic, ut interdum etiam *gladium vocet*, illique juſtitiæ ſuæ executionem contra impios commendet, *Jer.* XLIX, 2, ſeqq. Verbo: Deus diſponit omnia ſapienter, omnia prævidet, omnia audit; aſſerente, *Pſ.* XCIV, 8, 9, 10: *Intelligite inſipientes in populo*; *& ſtulti aliquando ſapite. Qui plantavit aurem, non audiet*; *aut qui finxit oculum, non conſiderabit? Qui corripit gentes, non arguet*; *qui docet hominem ſcientiam.* Quibus docet *David*, Deum ſuæ omniſcientiæ & ſapientiæ æternæ ſpeculum in ipſo colloçaſſe homine: in ipſa nempe *Aure* audiente, & *Oculo* vidente. Quæ duo ſunt organa ſenſitiva hominis admiratione digniſſima.

Typus ſapientiæ divinæ.

4. Jam ſicut homo ægre fert, quoties iniquum aliquid videt vel audit; quis dubitet, Deum, qui eſt *Oculus* omnia videns, & *Auris* omnia audiens, ad hominum ingratitudinem graviſſime commoveri? Præcipue ſi conſideremus, per æternam ſapientiam omnia ita diſpoſuiſſe Deum, ut hominum opportunitatibus tantum inſerviant. *Solem* videmus non ſibi ipſi, ſed nobis lucere. *Aquam* potare non ſemet, ſed nos. *Terram* non ſibi fructus ferre, ſed nobis. *Ignem* non ſe ipſum, ſed nos calefacere. *Aerem* non ſibi ſpiritum, ſed nobis dare. *Panem* non ſe cibare, ſed nos. *Herbas* denique

Sapientia Dei in omnibus bonum noſtrum intendit.

denique non ſibi ipſis, ſed nobis ſalutifera exhibere medicamina. LIB. II. CAP. XXXIII.

5. Divina ſapientia tot tantaſque vires rebus creatis indidit, tamque ſapienter erogavit, ut hæ quædam velut manus Dei ſint, per quas illius bonitas & ſapientia theſauros ſuos diſtribuit, juxta illud *Jobi* cap. XII, 9: *Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? In cujus manu anima omnis viventis, & ſpiritus univerſæ carnis?* v. 7. *Nimirum interroga jumenta, & docebunt te; loquere terræ & reſpondebit tibi; & narrabunt piſces maris: quia apud ipſum ſapientia & fortitudo; ipſe habet conſilium & intelligentiam. Si deſtruxerit, nemo eſt, qui ædificet; ſi incluſerit hominem, nullus eſt, qui aperiat.* Et cap. XXVI, 7, 8: *Qui ligat aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorſum. Qui extendit aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum.* *Vires creaturarum ſunt manus bonitatis divinæ.*

6. Quando autem certum eſt, Deum nihil temere, ſed omnia ſapientiſſime diſponere, ſequitur, illum etiam afflictiones noſtras prævidiſſe. Has proinde patienter tolerare, & ſapientiam divinam æquo animo admirari convenit. Cum preſertim immutabilia ſint, quæ Deus prævidit ac diſpoſuit. Neque vero ea tantum, quæ nobis ſingulis accidunt, ſapientiſſimo Dei decreto evenire ſtatuendum eſt; ſed etiam mala publica, ut ſunt annonæ caritates, bella, peſtilentiæ & imperiorum converſiones. Adeo, ut quæ nobis ſæpe videntur confuſiones inextricabiles, & nihil quam vaſtitates & interitus, illa nil aliud ſint, quam tot luculenta ſapientiſſimi decreti divini teſtimonia; ex quibus, ſi penitius introſpiciantur, egregius ordo eluceſcit. Id quod evincunt exempla in Scripturis obvia; ubi annonæ difficultas, bella, peſtes, everſiones regnorum *Omnia fato divino geruntur.* *Sapientiſſime a Deo conſulta ſunt, quæ nobis videntur ſtultiſſima*

L. I B. II. C. A P. XXXIII.

æterna ſapientia & providentia contineantur. Similiter *Pſ.* CXLVII, 4 dicitur: *Qui numerat multitudinem ſtellarum: & omnibus eis nomina vocat*; h. e. vim, curſum, vires, operationes & influxus ſtellis impertit Deus: Quanto ergo magis hominibus?

3. Jam quod propheta dicit: *Deum eſſe autorem lucis & tenebrarum, pacis & belli*, id ad *mala pœnæ* pertinet, quæ ipſe procurat aut permittit, ſic, ut interdum etiam *gladium vocet*, illique juſtitiæ ſuæ executionem contra impios commendet, *Jer.* XLIX, 2, ſeqq. Verbo: Deus diſponit omnia ſapienter, omnia prævidet, omnia audit; aſſerente, *Pſ.* XCIV, 8, 9, 10: *Intelligite inſipientes in populo*; *& ſtulti aliquando ſapite. Qui plantavit aurem, non audiet*; *aut qui finxit oculum, non conſiderabit? Qui corripit gentes, non arguet*; *qui docet hominem ſcientiam.* Quibus docet *David*, Deum ſuæ omniſcientiæ & ſapientiæ æternæ ſpeculum in ipſo collocaſſe homine: in ipſa nempe *Aure* audiente, & *Oculo* vidente. Quæ duo ſunt organa ſenſitiva hominis admiratione digniſſima.

Typus ſapientiæ divinæ.

4. Jam ſicut homo ægre fert, quoties iniquum aliquid videt vel audit; quis dubitet, Deum, qui eſt *Oculus* omnia videns, & *Auris* omnia audiens, ad hominum ingratitudinem graviſſime commoveri? Præcipue ſi conſideremus, per æternam ſapientiam omnia ita diſpoſuiſſe Deum, ut hominum opportunitatibus tantum inſerviant. *Solem* videmus non ſibi ipſi, ſed nobis lucere. *Aquam* potare non ſemet, ſed nos. *Terram* non ſibi fructus ferre, ſed nobis. *Ignem* non ſe ipſum, ſed nos calefacere. *Aerem* non ſibi ſpiritum, ſed nobis dare. *Panem* non ſe cibare, ſed nos. *Herbas* denique

Sapientia Dei in omnibus bonum noſtrum intendit.

denique non ſibi ipſis, ſed nobis ſalutifera exhibere medicamina. LIB. II. CAP. XXXIII.

5. Divina ſapientia tot tantaſque vires rebus creatis indidit, tamque ſapienter erogavit, ut hæ quædam velut manus Dei ſint, per quas illius bonitas & ſapientia theſauros ſuos diſtribuit, juxta illud *Jobi* cap. XII, 9: *Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? In cujus manu anima omnis viventis, & ſpiritus univerſæ carnis?* v. 7. *Nimirum interroga jumenta, & docebunt te; loquere terræ & reſpondebit tibi; & narrabunt piſces maris: quia apud ipſum ſapientia & fortitudo; ipſe habet conſilium & intelligentiam. Si deſtruxerit, nemo eſt, qui ædificet; ſi incluſerit hominem, nullus eſt, qui aperiat.* Et *cap.* XXVI, 7, 8: *Qui ligat aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorſum. Qui extendit aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum.* *Vires creaturarum ſunt manus bonitatis divinæ.*

6. Quando autem certum eſt, Deum nihil temere, ſed omnia ſapientiſſime diſponere, ſequitur, illum etiam afflictiones noſtras prævidiſſe. Has proinde patienter tolerare, & ſapientiam divinam æquo animo admirari convenit. Cum preſertim immutabilia ſint, quæ Deus prævidit ac diſpoſuit. Neque vero ea tantum, quæ nobis ſingulis accidunt, ſapientiſſimo Dei decreto evenire ſtatuendum eſt; ſed etiam mala publica, ut ſunt annonæ caritates, bella, peſtilentiæ & imperiorum converſiones. Adeo, ut quæ nobis ſæpe videntur confuſiones inextricabiles, & nihil quam vaſtitates & interitus, illa nil aliud ſint, quam tot luculenta ſapientiſſimi decreti divini teſtimonia; ex quibus, ſi penitius introſpiciantur, egregius ordo eluceſcit. Id quod evincunt exempla in Scripturis obvia; ubi annonæ difficultas, bella, peſtes, everſiones regnorum *Omnia fato divino geruntur.* *Sapientiſſime a Deo conſulta ſunt, quæ nobis videntur ſtultiſſima*

LIB. II. CAP. XXXIII.

mundi, excidium politiæ Judaicæ, interitus Romani imperii, captivitates & his ſimilia deſcribuntur. Quo pertinet illud *Coh.* III, 14: *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perſeverent in perpetuum: non poſſumus eis quicquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur.* Et quod extat *cap.* VII, 13: *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quod ille pervertit.*

7. Quæ ſi ad animum ſerio revocemus, fateri cogimur, Deum ſapientius agere non potuiſſe. Idem etiam de perſecutionibus in Novo Teſtamento verum eſt; de Chriſto ipſo, de Evangelio, ſanctis martyribus aliiſque multis. Quæ utcunque nobis ſtulta videantur & abſurda, ſumma tamen exinde relucet Dei ſapientia. Sicut autem in admirabilibus Dei judiciis, ejus *juſtitiam* laudare par eſt; ita in ſtupendis mutationibus & converſionibus mundi, noſtriſque adeo calamitatibus, illius *ſapientiam* prædicare decet. Quippe qua peſſima ad optimum finem perducere novit, & ex malis bona elicere. Hinc quæcunque in rebus univerſis, ut ſumme perturbata noſtro judicio apparent, ex illis ſapientia Dei exſplendeſcit; ut ex judiciis ejuſdem divina juſtitia.

Maxima Dei ſapientia in redemptione.

8. Præcipue vero hanc Dei ſapientiam admiratur devota anima in reparatione & redemptione generis humani, itemque in renovatione animæ & illius facultatum. Placuit enim divinæ ſapientiæ amiſſam Dei in homine imaginem per divinam & eſſentialem Dei imaginem, *CHRISTUM JESUM*, inſtaurare. Poſtquam enim homo beatam ſapientiam & verum intellectus lumen, quo vivide Deum agnoſcebat, per peccatum amiſerat, in extremas æternaſque tenebras ac cœcitatem detruſus; Filius Dei, qui eſt æterna Patris Sapientia,

pientia, homo, hominibuſque *Lux Vitæ* factus eſt, ut errantes in viam reduceret, ignorantes erudiret, peccatores ad ſe alliceret, lumen agnitionis divinæ per fidem & Spiritum ſanctum rurſus accenderet, & denique ſemetipſum cum hominis anima uniret, in illaque luceret.

Lux æterna eſt facta hominibus lux vitæ in intellectu.

9. *Secundo:* Quia voluntas hominis a Deo penitus erat averſa & abalienata, illique in omnibus reclamans & immorigera; Filius Dei homo factus eſt, ut nobis exhiberet *abſolutiſſimæ obedientiæ exemplar*, pravam noſtram voluntatem ſanaret, ſanctam vero ſuam & divinam in cordibus noſtris plantaret, noſtramque per ſanctum ſuum Spiritum renovando, ſanctæ nos ſuæ obedientiæ per fidem participes redderet, juxta illud *Gal.* III, 14: *pollicitationem Spiritus accipimus per fidem*; immo ut nobiſcum ſe uniret, in nobis viveret, & ita tandem voluntas noſtra divinæ efficeretur conformis.

Renovatio imaginis divinæ. Chriſtus renovat noſtram voluntatem per ſuam obedientiam.

10. *Tertio:* Quia affectus & facultates cordis noſtri Deo adverſantur, & cuncta *illius cogitatio intenta eſt ad omne malum a pueritia*, Gen. VIII, 28. Idcirco Filius Dei, qui eſt ipſa charitas, homo eſt factus, quò cor in nobis novum crearet, charitatem Dei, ſinceramque humilitatem & manſuetudinem nobis implantaret, vetus cor & carnale tolleret, & ita ſe nobiſcum uniret, ut ejuſdem cordis, animi, ſenſus ſpirituſque, qui in ſe ipſo eſt, participes nos faceret. Et hi tot fructus ſunt ſanctiſſimæ ejus in nobis incarnationis.

Amor æternus cor noſtrum inflammat.

11. Atque hæc eſt ſumma Dei ſapientia, puta *hominis per Filium ſuum Renovatio*. Sicut enim Deus per ſuam ſapientiam hominem ad abſolutiſſimam ſui imaginem creaverat; ita eundem per Filium ſuum incarna-

LIB. II. CAP. XXXIII.

tum, qui æterna est Sapientia, denuo creavit ad novamque Dei imaginem regeneravit; ex qua sapientia divina, sanctitas & justitia æternum reluceret. In his enim Imago Dei præcipue consistit. Et hoc modo deperdita Dei imago per *essentialem* Dei *IMAGINEM*, Christum nempe, fuit reparata.

ORATIO

ORATIO

Pro recto prævenientis Gratiæ uſu.

OMnipotens ac miſericors Deus! Humiles tibi ago gratias, quod ex immenſa Tua miſericordia, me in peccatis & carnalis ſecuritatis ſtatu altum hactenus dormientem, ac cœco mentis impetu huc atque illuc per multos annos abreptum, aliquo tam vitæ divinæ, quam propriæ miſeriæ ſenſu afficere ſis dignatus. Tu Domine ex ignorantia mentis & obduratione cordis, in qua nihil quam mendacia patravi, potenti tui Evangelii voce, ex mera miſericordia ita excitare me cœpiſti, ut aliqua jam ſalutis in Chriſto recuperandæ ſpes affulgeat!

Deprædico exuberantem miſericordiam tuam, quam in me peccatore, qui voluntario in mala tam diu rui ac gratiæ tuæ ſalutiferæ reſtiti, declarare voluiſti! Sentio jam Domine, verum eſſe tuum effatum, quod antea ſuſque deque habui: Portam, *ſcilicet,* eſſe anguſtam & viam ſtrictam, *quæ ad vitam ducit.* Matth. 7. 13. *Sentio etiam deſideria mea, quæ in unum collecta, vitam & veſtigia Chriſti ſequi debebant, (ut ipſius exemplo animata, ea quæ a tergo ſunt, obliviſcerentur, ad ea vero, quæ a fronte, ſerio contenderent,) ita in amorem proprium, mundique & creaturarum implicata eſſe, & ita in vanitatem & falſitatem naturæ corruptæ immerſa, ut redeundi facultatem vireſque non inveniam, niſi eadem tua gratia, quæ primos convictionis aculeos mihi immiſit, eandem convictionem efficacem etiam reddat & ſalutiferam; ut ex convictione in veram tandem converſionem tranſeat, & animum ex regno tenebrarum ereptum, in admirabile lucis regnum transferat.* Phil. 3. 14. 1 Pet. 2. 9.

Ad te clamo Domine! ex profundo innumerabilium cupiditatum chao, quo anima ad ſerenitatem & quietem anhelans, obnubilatur, & nunc huc,

nunc

nunc illuc trahitur rapiturque. Radiolus quidam
1 Tim. 6. 16. *lucis divinæ ex te, qui lucem alias innacceſſam inhabitas, in me promanans, proprias meas detegit tenebras, ſed emergendi ex illis virtutem, non ſuppeditat. Legis tuæ horrorem perſentiſco, & ex metu iræ divinæ, hoc vel illud peccatum omittere allaboro, ſed naturæ impetu in malum propenſo longoque peccandi habitu in malo radicato, in peccandi conſuetudinem retrahor, & ſpem inter & anxietatem hærens, quo me vertam neſcio!*

Rom. 7. 13. *Sagittæ convictionum tuarum alte in me ſunt defixæ, & internum pravarum cupiditatum ſemen irritantes, peccatum admodum peccans reddunt. Sed cum ſalvificæ fidei gratia & potentia ex Evangelio derivanda, deſtitutum me ſentiam, ea abnegare non valeo, quæ legis tuæ rigor ut abneganda expoſcit. Lux illa, quam tenebroſo cordi meo*
Rom. 7. 14. *immiſiſti, intimam Legis tuæ* ſpiritualitatem *ex una parte demonſtrat, indolemque & converſationem*
Gal. 3. 21. *ipſi conformem, requirit: Sed cum ex altera, virtutem vitamque ad hoc præſtandum non impertiat, lex tua inſtar facis mihi eſt, qua abyſſum miſeriæ meæ exploro, ſed media meipſum extricandi non videns, proprio conatu & activitate in peccati voraginem altius meipſum demergo.*

Quam vana fuit ſpes mea, qua animum inſtabilem delinivi hactenus, & cui tanquam quaſſatæ arundini innixus, meipſum miſere decepi! Totus bonorum operum apparatus, quo animum in vanam
Apoc. 3. 17. *præſumptionem induxi, (meipſum divitem & nulla re egentem credens,) jam ut cumulus operum carnis mihi apparet, poſtquam* ſpiritualis *legis tuæ ſenſus me edocuit, omnia naturalis hominis cogitata,*
Matth. 12. 33. *dicta & facta tot eſſe peccata, & arborem putrem & emortuam, bonos fructus ferre non poſſe.*

Fac, omnipotens Deus, ut animus meus hinc vere humilietur: humiliatus ab omni vano ac hypocritico velamine denudetur; denudatus vero &

plane

plane evacuatus, liberæ & efficacis gratiæ in Christo patefactæ, particeps, fiat; hæc autem spiritum servitutis & legalis anxietatis expellat prorsus, ne diutius sub legis coactione hæream, sed veras gratiæ ac filialis spiritus primitias sub dispensatione Filii suaviter deguſtem! 1 Jo. 4. 18.

Eheu Domine miserere mei! miserere mei! Ne diutius quæso sub lege peccati captivus teneatur animus! Fac, ut anxio tuo & legali tractu, sub quo cum lege peccati misero peccatori confligendum est, tanquam ad Christum pædagogo, sincere utar, lætusque tandem in Filii Dispensationem transiens, non diutius in vetustate literæ, sed in novitate spiritus incedam, & postquam dilataveris animum, cum gaudio semitam præceptorum tuorum decurram. Jo. 6. 44. Gal. 3. 24. Rom. 7. 6. Ps. 119. 23.

FINIS.

ERRATA potiora Volum. I.

Pag. 81. lin. 31. leg *amori*. p. 147. l. ult. leg. *conſpicua*. p. 165. l. 21. del. *non*. p 229. l. 36. pro *hunc* leg. *tunc*. p. 284. l. 29. 30 & 31. pro *puncto interrogat.* pone *colon*. p. 341. l. 15. leg. *abominationem*. p. 356. l. 2. leg. *nullo*. p. 359. l. 11. leg. *dies*. p. 378. l. 32. leg. *perferre*. p. 413. l. 2. pro *puriſſima* leg. *duriſſima*. p. 460. l. 35. leg. *imperveſtigabiles*.

BRITISH
4 NO 73
MUSEUM